


REGNVM DEI

R.P. NICOLAI CAVSINI So. IESV SACERD.

Coloniæ Agrippinæ
Apud IOANNEM KINCHIVM Bibliopolam Colon.
Anno MDCLII.
Cum Priuil. S.C.M.

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. NICOLAI

CAVSSINI

E SOC. JESU

REGNVM DEI

SEV DISSERTATIONES AD LIBROS REGVM.

IN QVIBVS TOTIVS OPERIS

CVRIÆ SEV AVLÆ SANCTÆ Compendium continetur.

AD INSTITUTIONEM PRINCIPUM, Et Illuſtrium Virorum,

TOTAM POLITICEN SACRAM inſigni Methodo complectens.

CARMELITANI

COLONIÆ AGRIPPINÆ.
Apud JOANNEM KINCHIUM Sub Monocerote Veteri. M. DC. LII.
Permiſſu Superiorum & Privilegio S. C. Majeſt.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO, ATQUE *Eminentiſsimo Domino,*

D. CAROLO CASPARO
DEI GRATIA ARCHIEPISCOPO TREvirenſi, S. Rom. Imp. Electori, ac per Galliam Archicancellario &c. Domino meo Clementiſſimo.

REGNUM DEI.

CHaradrion imitari nolui, ideoque rem omnibus deſiderabilem, ac ſalutarem, REGNUM DEI, non Germaniæ ſolum noſtræ, ſed luci Orbis univerſi reproduxi, illudque hic TIBI, Illuſtriſſime Princeps, Sacri Romani Imperii ELECTOR Eminentiſſime, ſiſto, offero, conſecroque: REGNUM, inquam, DEI, Cauſinianis elucubrationibus ingenioſiſſimè patefactum, & totius orbis cognitioni, admirationi, laudique utiliſſimè propoſitum. Quod, quia poſt Regnorum omnium Archetypon â Rege Regum, ac Domino Dominantium, in totius Mundi ſapientiſſimâ gubernatione expreſſum, vetuſtiſſima etiam Regnorum Capita Populo DEI præpoſita complectitur, videbam, TIBI, Trevirorum ſupremo Antiſtiti, tanquam Principatuum hujus ævi vetuſtiſſimo Succeſſori jure quodam ſingulari deberi, cum, uti certum, decantetur illud plurium Hiſtoricorum, non nimis metricum, elogium:

Ante Romam Treviris ſtetit annis mille trecentis.

Hic enim gratum Tibi erit videre coævos tuæ Vrbi (tot Regum,

atque Imperatorum antiquiſſimæ ſedi) veteres illos Regiæ dignitatis Soles illuſtres, Davidem, Salomonem, Ioſaphatum, & Ochoſiam; volupe erit intueri Ioathan, Ezechiam, Ioſiam, alioſque complures Regios Heroes, ex quibus, tanquam ex vero ſtipite, Spiritus Sancti cooperatione, Christi Iesu, veri Dei, ac Hominis, Filii Vnigenæ, Regalem proſapiam propagatam recognoſces, & quid in eis encomio dignum, quid vituperio notandum, quid fugâ, quid imitatione proſequendum, tanquam in lucidiſſimo ſpeculo animadvertes.

Hic Regnorum firmamenta, Pietatem & Iuſtitiam, hic Fortitudinem, Bellorumque peritiam: hic Clementiam (Principum ſupremam gloriam) aliaſque nobiliſſimas virtutum gemmas emicantes contueberis.

Hic Regnorum ruinas atque vaſtationes à ſuperbiâ, & Ambitione productas; ab invidiâ, & Philargyriâ promotas; ab Irâ & Fraude, aliiſque Rerumpublicarum peſtibus accumulatas videbis, Doricâ trutinâ juſtius trutinabis, odio denique pluſquam Vatiniano proſequêris.

Hic demum cæleſtes Paranymphos obſervabis, Sanctiſſima Divini Numinis juſſa in Decalogo exhibere: Regum, & Imperatorum Leges, atque Statuta Regnorum Moderatoribus, omnibuſque ſubditis protendere, ut horum obſervationem, præmia, Coronas, & ſceptra; tranſgreſſionem, pœnas, & ſupplicia conſequi recognoſcas, Deique perfectum & abſolutum regimen benedicas.

Atqui ſi Annæo Senecæ Philoſopho, morũ doctrinâ veriſſimè Chriſtiano fidem habemus, hæc eſt vera Regibus, ac Principibus digna Sapientia, quà neceſſe eſt, ut Princeps tantò cæteros antecellat Mortales, quantò dignitate, opibus, ornatu, potentiaque eoſdem antecedit.

Hæc eſt Sapientia, quà Dei moderantis univerſa ſalutaris Princeps vivam imaginem refert: & quà tantò eſt magnificentior, quantò propius ad Archetypi ſui formam, qui eſt Deus, acceſſerit.

Hæc eſt Sapientia, quæ docet, & inculcat, ut Princeps ſit aliquis, non ſatis eximio genere natum eſſe; non ſatis vetuſtas Parentum imagines oſtentare; non ſceptrum, non diadema geſtare: Animus ſua eruditione imbutus, animus pro publica incolumitate ſolicitus, animus nulli, niſi publico bono intentus, hic verè Principem, hic Patriæ Patrem, hic omnibus ſubditis, ſalutis atque proſperitatis Autorem reddit exoptatiſſimum.

Talem ſi Te, Princeps Eminentissime, proclamarem, mihi

etiam

etiam Διὸς ψῆφος, Suffragium Jovis, adpromittere auderem:

Talem enim Te, ſapientiſſimum Trevirenſe Capitulum recognovit, quando unanimi conſenſu in ſuum Te Principatus Archigubernum delegit: Talem Sanctiſſimus Papa noſter Innocentius Decimus adprobavit: Talem Te Invictiſſimus Romanorum Imperator Ferdinandus Tertius confirmavit.

Cum his igitur Tali ego Tibi, Eminentiſſime Princeps, honore hunc tantum adgratulor, precorq; Regnorum omnium, Principatuumq; Dominum, ut poſt multas felicis regni Periodos, Te, totamq; tuam Leyanam proſapiam nobiliſſimam, cum omnibus Tibi ſubjectis Populis, ad Regnum ſuum nullo fine terminandum evehat, Regeſque tales Vos omnes efficiat, ut dicere poſſitis, atque concinere, cum Regibus illis Apocalypticis, Fecisti Nos Deo Nostro Regnum In Sæcula Sæculorum. Amen.

Sic voveo & exopto, meque Reverendiſſimæ, atque Eminentiſſimæ Veſtræ Celſitudinis Favori & benevolentiæ ſolitæ commendo. Coloniæ Agrippinæ, Anno ſalutis M. DC. LII. Pridie Kal. Septembris.

EMINENTISSIMÆ ATQUE REVERENDISSIMÆ VESTRÆ CELSITUDINIS.

Humilis Cliens ac ſervus

Ioannes Kinchius Senator & Bibliopola Colonienſis.

Digitized by Google

DEO OPTIMO MAXIMO.

OPERIS INSTITUTUM.

INCOEPERAM ſub auſpiciis Ludovici XIII. *piæ & glorioſæ memoriæ Regis, cùm apud illum eſſem, de ſacra Politice ex officio ſcribere. Placuit iſtud Principi & iis qui tum plurimum poterant: Amant enim veritatem lucentem, juxta ſanctum Auguſtinum, etiam ipſi qui oderunt redarguentem.*

Sed ut plerumque Mortales incurſant infeſta ſanctioribus curis tempora, quibus labor in diſcrimine, & deſidia pro ſapientia eſt, abrupit nos viciſſitudo rerum, & negotiorum, atque in alias exercitationes egit. Non deſpondit tamen animum in hoc ſeceſſu: ſed adiutus in ſtudiis munificentiâ Illuſtriſſimi atque ſapientiſſimi viri, qui vult bona facere, & ſileri facta, pondus in me magnæ quæſtionis excepi, ut formam Regni Dei ex libris Regum quàm poſſem accuratiſſimam redderem.

Feci iſtud quidem innocenti ſtylo neminem incuſans, neminem indicans, quaſi C*onſtantini magni, aut Ludovici Sancti ætate ſcieberem. Nec tamen debui animi mei lineamenta, & conſiliorum illibatum decus poſteris ſupprimere, ſi quid fortè in Principum ac populorum utilitatem aliquando poſſet emanare. Ad gloriam enim* R*egnantium attinet, ut liberè ſincera dicantur & proba, nec in dedecus ſuum efferri putent, quicquid impenditur veritati.*

Non fuit autem mea mens hoc opere commentarium in libros Regum ſcribere, quod à Theodoreto, Alphonſo Toſtato, C*aietano, ſed maximè à Sanctio noſtro luculentè præſitum non ignoro. Non juvat hic verba & apices conſectari, literam*

ex

ex variis linguis ſcrutari, nec concionum attentare communes locos. Tantum placuit in ſacram politicen totis viribus incumbere, ex multis iiſque diſſitis, ut ad argumentum occurrebant, locis, unum corpus efficere, & in varias diſſertationes extendere, quibus Regni *Dei præclariſſima ſpecies mentis oculis objiceretur.*

Diviſi totum opus in tractatus quinque, quorum primus eſt de origine cauſiſque Regnorum: *ſecundus* de moribus Principis: *tertius* de adminiculis Regni, *quartus* de induſtriis Regni ſervandi: *quintus eſt* paradigmaticus, in quo Regnantium exempla ex quatuor libris Regum exponuntur.

In iis ego cœleſtis illius Monarchiæ ad Dei legem æternam compoſitæ ſimulachrũ trado, non tritâ & communi viâ, ſed eruditis antiquorum ſenſibus, utilia miſcens dulcibus, non inſulsâ varietate. Secutus quoque ſum dicendi genus non latum & ſonans, ſtato periodorum ductu idem ſemper recurrens, nec tamen triſte, aut impexum, ſed decorum, ni fallor, & robuſtum, adſtrictum nervis, illuminatumque ſententiis, quod ad propoſitam mihi diſſerendi materiam aptius videbatur: ſi quis attentius conſiderare volet, inveniet me Aulam *verè* Sanctam *tot libris antea ſparſam, hoc uno opere conſummaſſe. Placuit autem latinè ſcribere quod* Regi, *cui laborabam, latina, quæ modicè intelligebat, magis arriderent: deinde quòd viderem mea quantulacumque ſunt opera, ab aliis, nationibus verſa, ne quid à me deſiderarent, eam arripui linguam quâ nec inferior eſſem, & pluribus utilior evaderem.*

APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS JESU.

EGo Stephanus Charletus Provincialis Societ. Jesu, in Provincia Franciæ, poteſtate ad id mihi facta, ab Admodum Reverendo Patre noſtro Præpoſito Generali Vincentio Caraffa, facultatem concedo, ut Patris Nicolai Cauſſini è Soc. Jesu Sacerdotis, Libri de Regno & Domo Dei, trium eruditorum ex eadem Societate noſtra judicio, approbati, typis excudantur. Datum Pariſiis. Anno 1649. Junii die 20.

Stephanus Charletus.

PRI-

Digitized by Google

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

FERDINANDUS III. Divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator Semper Auguſtus ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis, quod cùm demiſsè nobis exponi curavit noſter & Sacri Imperii fidelis dilectus JOANNES KINCHIUS, Senator & Bibliopola Colonienſis, diverſos ſeſe libros tum novos, tum antiquos, ſeu manuſcriptos, in quibus indagandis nulli operæ & impendio hactenus pepercerit, communi rei litterariæ bono, prælo ſubjicere decreviſſe: Vereri autem, ne quòd malo ſuo ſæpiùs ſit expertus, aliorum fraude ac dolo, qui primas iſtiuſmodi editiones temerè & doloſè nonnunquam imitari conſueverint, ipſe ſperato laboris & impendii ſui fructu, ad alios inique translato, fraudetur, & ob id demiſsè à nobis petierit, ut Privilegio noſtro Cæſareo ſibi clementer conſulere dignaremur: Nos hujuſmodi precibus, ut quæ æquitate nitantur, & ſtudiorum utilitatem concernant, clementer annuendum duxerimus, ideòque omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis, & aliis librariam negotiationem exercentibus firmiter inhibemus, & vetamus, ne quis libros illos, cujuſcunque profeſſionis, per memoratum JOANNEM KINCHIUM, & ejus proximum hæredem imprimendos, intra proximum decennium à primâ cujuſque editionis die computandum, intra Sacri Romani Imperii, Regnorumque & Dominiorum noſtrorum hæreditariorum fines, ſimili aut alio quovis typo vel forma, ſive in toto, ſive in parte recudere, aut aliò recudendos dare, vel alios etiam impreſſos adducere, vendere, & diſtrahere clam vel palam, citra voluntatem & conſenſum dicti KINCHII, ejuſque hæredis proximi præſumat. Si quis verò ſecus faciendo PRIVILEGIUM hoc noſtrum Cæſareum ſpernere, negligere, aut tranſgredi auſus fuerit, eum non ſolùm hujuſmodi libris, perperam quippè recuſis & adductis (quos quidem ante dictus JOANNES KINCHIUS, ejuſvè proximus hæres, ubicunque deprehenſos, ſive propriâ voluntate, vel authoritate Magiſtratus loci iſtius auxilio ſibi vindicare poterunt) privandum, ſed & pœna inſuper viginti marcharum auri puri Fiſco noſtro Cæſareo fraudis vindici, ſed & ſæpedicti JOANNIS KINCHII, ejuſvè hæredis uſibus ex æquo pendenda decernimus omni ſpe veniæ ſublata plectendum. Dummodo tamen iſtiuſmodi libri nihil in ſe ſcandaloſum, aut orthodoxæ Religioni Catholicæ, Sacrique Romani Imperii conſtitutionibus adverſum, vel bonis moribus contrarium, ſive in præfatione, ſive in textu, ſeu aliàs quocunque modo contineant, & ab inquiſitione de Cenſore, qui iſtic Coloniæ ordinarius eſt luſtrati accuratiſſimè & approbati fuerint, nec alius ſuper iiſdem libris anterius Privilegium impreſſorium à Nobis impetraverit, & dictus Typographus quaterna ut minùs cujuſlibet Operis exemplaria propriis ſuis ſumptibus quàm primum ad Cancellariam noſtram Imperialem tranſmittere teneatur, quatenus Privilegio hoc noſtro uti voluerit. Mandamus ergo univerſis noſtris ac Sacri Romani Imperii Regnorumque & Dominiorum noſtrorum hæreditariorum ſubditis, cujuſcunq; ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, ac præeminentiæ exiſtant, tam Eccleſiaſticis quàm Secularibus, præſertim verò iis qui in Magiſtratu conſtituti, vel proprio, vel ſuperiorum nomine, & loco, Juris & Juſtitiæ adminiſtrationem exercent, ne quemquam Privilegium hoc noſtrum Cæſareum temerè vel impunè tranſgredi, aut violare patiantur, quin potiùs contumaces, ſi quos fortè compererint, præſcripta pœna plecti aliiſque idoneis modis coerceri curent, quatenus & ipſi eandem mulctam evitare maluerint. Harum teſtimonio litterarum manu noſtra ſubſcriptarum, & Sigilli noſtri Cæſarei impreſſione munitarum. Datum in Civitate noſtra Imperiali Ratisbonæ, Die Decima Menſis Septembris Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo primo, Regnorum noſtrorum Romani quinto, Hungarici Decimo ſexto, Boemici verò decimo-quarto.

FERDINANDUS

Locus Sigilli.

Vt.

Ferdinandus Comes Curtius.

Ad mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium

Joan: Walderode.

Digitized by Google

SERIES TRACTATUUM ET DISSERTATIONUM OPERIS DE REGNO DEI.

TRACTATUS I.

DISSERTATIO I.

QVOD Reges Chriſti Domini, & regna ſint expreſsiones Monarchiæ cæleſtis. p.1

DISSERTATIO II.

De ortu Regnorum & triplici modo quo Reges ſunt à Deo. p. 2

DISSERTATIO III.

Quòd penes fideles Principum; maximè verò Chriſtianos verè Regia ſit authoritas, & Chriſtianiſmus ſit ad imperia aptiſsimus. p.3

DISSERTATIO IV.

Cùm Chriſtiana Religio ſit ad imperia regenda aptiſsima, qui fit ut infidelium Regna quale eſt Turcicum, ſint florentiora. p.8

DISSERTATIO V.

Quibus modis poteſtas & imperium comparetur. p.13

DISSERTATIO. VI

De variis formis imperii, & quòd Monarchia moderata nihil præſtantius. p.16

DISSERTATIO VII.

De fine quem intendere debeant regnantes. p.20

DISSERTATIO VIII.

De modo imperandi. p.23

TRACTATUS II.

De moribus Principis.

DISSERTATIO IX.

UNde tam pauci Principes inter Chriſtianos, bene morati deprehenduntur. p.28

DISSERTATIO X.

Fieri magis quàm naſci Principes. p.30

DISSERTATIO XI.

De inſtitutore. p 31

DISSERTATIO XII.

De natura & indole. p 33

DISSERTATIO XIII.

De inſtitutione p.35

DISSERTATIO XIV.

De quatuor ſcitu neceſſariis ad inſtitutionem: judicare loqui agere, pati, quæ in Davide dignoſcuntur. p.37

DISSERTATIO XV.

De prima luce judicis, ſeu cognitione Dei. p.39

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO XVI.
De altera face judicii, quæ eſt ex eruditione. p 40
DISSERTATIO XVII.
De conformando judicio. p.43
DISSERTATIO XVIII.
De tribus judicii peſtibus, affectu, ira, & vanitate. p.45.
DISSERTATIO XIX.
De moderanda lingua. p 48
DISSERTATIO XX.
De Actionibus Principis. p 53
DISSERTATIO XXI.
De prima ſerie actionum principis quæ Deum ſpectant. p 54
DISSERTATIO XXII.
De actionibus, quæ ad corporis curam attinent. p 59
DISSERTATIO XXIII.
De tertia ſerie actionum quæ Regia. p.63
DISSERTATIO XXIV.
De magnitudine principis, & ejus comitatu. p.66
DISSERTATIO XXV.
De tribus functionibus Principis. Religionem protegere, juſtitiam adminiſtrare, bella ubi opus eſt gerere. Ac primum de Religione. p.74
DISSERTATIO XXVI.
Religionis patronum potius quàm judicem aut miniſtrum Principem agere debere. p.77
DISSERTATIO XXVII.
Quomodo princeps erga pontificem ſe gerere debeat. p.80
DISSERTATIO XXVIII
De impietate & novitate ſectarum coercenda. p.83
DISSERTATIO XXIX.
Ad ſectatores novæ Religionis admonitio. p.88
DISSERTATIO XXX.
De diſtributione beneficiorum & Epiſcoporum delectu. p.94
DISSERTATIO XXXI.
De piis operibus & miſericordia erga pauperes. p 97
DISSERTATIO XXXII.
De zelo propagandæ religionis. p.99
DISSERTATIO XXXIII.
De juſtitia & ejus prima functione in legibus ſanciendis & ſervandis. p.101
DISSERTATIO XXXIV.
De juſtitia principis erga ſubditos. p.103
DISSERTATIO XXXV.
De foro & judiciis. p.106
DISSERTATIO XXXVI.
De pœnis & præmiis. p.109
DISSERTATIO XXXVII.
De juſtitia erga exteros. p.112
DISSERTATIO XXXVIII.
De bello, an expediat? p.115
DISSERTATIO XXXIX.
De conditionibus belli. p.118
DISSERTATIO XL.
De modo belli gerendi. p.119

TRACTATUS III.
De Regni adminiculis.
DISSERTATIO XLI.
De viris fortibus parandis, & de educatione juventutis. p 121
DISSERTATIO XLII.
An rebus civilibus bene clerici præficiantur. p.124
DISSERTATIO XLIII.
Quod multitudo ſapientum juxtà Salomonem ſanitas ſit orbis terrarum, nec uni gratioſo omnia ſemper bene committantur. p.131
DISSERTATIO XLIV.
De Conſiliariis. p.135
DISSERTATIO XLV.
De Adminiſtris. p.139
DISSERTATIO XLVI.
De cenſu & tributis. p.141
DIS-

DISSERTATIO XLVII.
De potentia. p.147
DISSERTATIO XLVIII.
De Fœderatu. p.152
DISSERTATIO XLIX.
De connubiis. p.158
DISSERTATIO L.
De litteris & artibus. p.161

TRACTATUS IV.

DISSERTATIO LI.
De induſtriis ſervandi Regni. Ac primum de authoritate. p.164
DISSERTATIO LII.
De Regis poteſtate moderata. p.170
DISSERTATIO LIII.
De manſuetudine. p.173
DISSERTATIO LIV.
De prudentia Regnatrice. p.178
DISSERTATIO LV.
De ſecuritate Principis. p.181
DISSERTATIO LVI.
De amovendis bellis civilibus. p.183
DISSERTATIO LVII.
Contra ſeditiones. p.186
DISSERTATIO LVIII.
De præſidio innocentiæ, & vitiis eliminandis p.189
DISSERTATIO LIX.
De duratione imperii. p.192
DISSERTATIO LX.
De honeſtate tutelæ regiæ. p.193
DISSERTATIO LXI.
Calliditatem & malas artes nihil ad Regni tutelam facere. p.198
DISSERTATIO LXII.
Perfectiones Regis & ſubditorum magnum ad tutelam inſtrumentum. p.201
DISSERTATIO LXIII.
De utilitate boni communis. p.203
DISSERTATIO LXIV.
De jucunditate vitæ paranda populis à Principe. p.207

TRACTATUS V.

PARADIGMATICUS.

In quo poſt explicatum ſtilo commentarii, regni Iudaici ſtatum à Deo fundatum, ſubjiciuntur Regum qui eundem tenuerunt, exempla; & quid in quoque laudandum, quidve reprehendendum; breviter oſtenditur.

DISSERTATIO LXV.
An Reges fuerint de mandato Dei. 210
DISSERTATIO LXVI.
Quomodo creati Reges Hebræorum, & quibus eligendi jus competebat. p.202
DISSERTATIO LXVII.
Quod ſignum fuerit principale poteſtatis regiæ apud Hebræos. p.213
DISSERTATIO LXVIII.
De ſapientia Regis & inſtitutione. p.215
DISSERTATIO LXIX.
De poteſtate Regis. p.217
DISSERTATIO LXX.
An Regibus Iudæorum divitiæ ingentes à Deo permiſſæ & probatæ fuerint. p.220
DISSERTATIO LXXI.
Quis fuerit ſtatus & ſplendor aulæ regiæ. p.223
DISSERTATIO LXXII.
De majeſtate & veneratione Regis p.226
DISSERTATIO LXXIII.
De lenitate imperii Iſraelitici. p.229
DISSERTATIO LXXIV.
De juſtitia Iſraeliticorum Regum. p.230
DISSERTATIO LXXV.
De bello. p.233
DISSERTATIO LXXVI.
De militum delectu, & diſciplina militari. p.235.
DISSERTATIO LXXVII.
Cur tam pauci Reges boni etiam in gente Dei? p.238

SAUL.

SAUL.

DISSERTATIO LXXVIII.

De Saule, judicium de laudandis ac vituperandis ejus facinoribus. p.340

DAVID.

DISSERTATIO LXXIX.

Quæ laudanda in Davide, quæ censura etiam digna? p 243

SALOMON.

DISSERTATIO LXXX.

Quæ Salomonis probanda, quæ vituperanda. p.246

ROBOAM.

DISSERTATIO LXXXI.

De Roboamo.

Cur Heroum filii rariſſimè in tertiam aut quartam generationem ſimiles origini evadant. p.249

ABIAS ET ASA.

DISSERTATIO LXXXII.

Cui cùm unus eſſet impius, alter pius, amboque ingentes victorias de inimicis retulere. p.250

ASA.

DISSERTATIO LXXXIII.

Cur in Aſa reprehenduntur multa? &c. p.252

JOSAPHAT.

DISSERTATIO LXXXIV.

Quid in Ioſaphato præcipuum, quid etiam culpandum? p.254

JORAM.

DISSERTATIO LXXXV.

Vnde tot ſcelera ejus & ruina? p.256

OCHOSIAS.

DISSERTATIO LXXXVI.

Vtrùm plus noceat malum conſilium etiam cum bono Rege, quàm malus Rex cum bono conſilio. p.268

ATHALIA.

DISSERTATIO LXXXVII.

An Iojadas Pontifex licitè Athaliam occidi juſſerit. p.260

JOAS.

DISSERTATIO LXXXVIII.

De Joa.

Vnde poſt occiſam Athaliam tanta in Regno ſerenitas? p.262

AMASIAS.

DISSERTATIO LXXXIX.

Cur Amaſiæ ſicut multorum Principum initia læta, progreſſus vix unquam initiis pares. p.264

OZIAS.

DISSERTATIO XC.

Vnde Oſiæ & tot Regibus appetentia ſacerdotii cum Regno nectendi. p.266

JOATHAM.

DISSERTATIO XCI.

An præſtabilior ſit Rex innocens & juſtus domitore urbium? p.268

ACHAZ.

DISSERTATIO XCII.

Vnde tanta propenſio Regibus Iudæ in Idololatriam; ut à bono patre tertia generatio vix maneat in fide? p.270

EZECHIAS.

DISSERTATIO XCIII.

Quare ex peſſimis parentibus optimi naſcuntur liberi? p.273

MANASSES.

DISSERTATIO XCIV.

Quæ in eo mira. p.277

JOSIAS.

DISSERTATIO XCV.

An ab omni culpa & cenſura ſit immunis? p.280

JOACHASUS.

DISSERTATIO XCVI.

Cur Deus ſuprema Regni Iudæ fata ſub filiis Ioſiæ permiſerit? p.282

R.P.NI.

R. P. NICOLAI CAVSSINI
SOC. IESV SACERDOTIS
REGNVM DEI
SEV
DISSERTATIONES
IN LIBROS REGVM,
CVRIAE ET AVLAE SANCTAE COMPENDIVM CONTINENS
TRACTATVS PRIMVS.
DISSERTATIO PRIMA.

Quod Reges, Chriſti Domini, & Regna ſint expreſſiones Monarchiæ Cæleſtis.

In hæc verba. CHRISTUS DOMINI EST. *1. Regum 24. 11.*

MAGNUM habent divina cum humanis commercium, & infima quæque continentur à ſuperis: Horum auſpiciis, illorum obſequio, perpetuâ quadam agitatione rerum viget æternitas. Terrena ipſa licet mole tarda, & materiæ pondere depreſſa, expreſſiones ſunt cæleſtium, & quaſi deciduis orta de cælo ſeminibus (ut veteres plerique dixere.) Nec erraverunt qui Deum *mundum in ſe contractum*, mundum verò, *Deum explicitum extra ſe, atque diffuſum nuncuparunt.*

Oriuntur omnia ex uno & in unum quâ poſſunt redeunt, lege certâ, diverſis itineribus. Et iſtud quidem cùm in aliis rebus ſit conſpicuum, eminere tamen debet in regnis, rebuſque publicis, quæ ſunt cœtus inter ſe jure quodam & utilitatis communione congregati. Reges ſunt Chriſti Domini, hoc eſt à Deo uncti, & ſignati, ut inviſibilem Deum, ſpecie viſibili repræſentent in terris: Regna quoque ad numeros Harmoniæ cæleſtis componant: juxta illud Jobi. *Quis enarrabit calorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet?* *Iob. 38. 37.* Conſtitui igitur hoc opere Regni Dei formam exhibere, atque oſtendere, ut ortum à Deo in Deum redeat, per primæ legis ſtatuta, ſanctioneſque optimas, quibus à piis regibus adminiſtratur.

Digitized by Google

DISSERTATIO SECUNDA.
De Ortu Regnorum, & triplici modo quo Reges ſunt à Deo.

In illa verba *Conſtitue nobis Regem ut judicet nos ſicut & univerſa habent nationes.* 1. Reg. 8 5.

Rom. 13. 1

OMnis igitur poteſtas à Deo eſt (clamat Apoſtolus,) nec ullum ſine Deo imperium. Nempè ab omnipotentia ſummi, & ſempiterni regis, ſparguntur in orbem univerſum potentiæ radii, in reges præſideſque populorum, auctis undique magnificæ bonitatis rivulis, non diminuto fonte. Terrena quidem omnia communione ſui patiuntur aliquod detrimentum, atque in iis ſæpe evenit, ut ſi quis ingens ſpeculum in multas comminuat partes, omnes imaginem reddituras, ſed defecta ejus à quo orta ſunt amplitudine & gloria. Ita & regnantium in hoc ſæculo res opeſque partium diviſione decreſcunt, at ſupremum numen diffuſio nõ minuit, ſed cõmendat.

Terrena communione ſui imminuta, Deum diffuſio commendat.

Nullum magis decet imperare rebus factis quam qui fecit. Unde & penes omnium creatorem prima, & eminentiſſima juriſdictio, exinde in viros, & parentes, ab eo à quo omnis paternitas in cælo terriſque nominatur naturali jure derivata eſt: Ea verò qua homo hominem, nec à ſe factum, nec genitum, nec datum ſibi ſubiicit, magis factitia eſt, & initiò per ambitum invecta.

Deus primus, & Solus independens Monarcha.

Ab eo poteſtas ſparſa primum in Patres & viros.

Natæ ſunt regna dedentibus ſe ultrò hominibus homini, ut collecta in unum omnium authoritas ſingulos faciliùs regeret. Et quidem ordinis divini eſt ut congregati hominum cœtus regantur à ſuperioribus ad bonum univerſi, ſed ut dominandi libidine ſubjugati ſternantur potius quam juventur, uſurpationis humanæ eſt. Itaque quod Sanctus Auguſtinus poſt Trogum dixit: Principio rerum, gentium nationumque imperium penes reges erat, quos ad faſtigium hujus majeſtatis non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio provehebat. Tum ſingulæ familiæ ſingulos reges habuerunt, vel patres, vel fratres natu maximos, vel qui erant conſilio, prudentia, æquitate, vigore animi, & corporis præſtantiſſimi. Idem rex multis aliquando familiis numeroſiori jam gente legem ſumma moderatione dicebat, imperii tuendi magis quam proferendi cupidus, intra ſuam cuique patriam regna finiebantur.

Ortus regnorũ.

Ita etiam Molina de Iuſt. & jure tract. 2. diſp. 23.

Auguſt. lib. 4. de Civit. Dei. c 6.

Status primorũ hominũ.

Lud Vives ad hunc locum.

Primus omnium Belus ſive Ninus Rex Aſſyriorum veterem & quaſi avitum gentibus morem nova imperii cupiditate mutavit, intulit bella finitimis, domuit populos, & magnitudinem quæſitæ dominationis continuâ poſſeſſione firmavit. Non ita res agebantur in populo ac civitate Dei, ubi ſecundum priſtinos aurei ſæculi mores penes Patriarchas mitiſſima poteſtas fuit, quos Juſtinus Reges ſuo more nominat: ſed tria fermè annorum millia jam effluxerant ab orbe condito, antequam nomen Regis in hac Dei familia ſubditis audiretur. Primus laſcivientibus impatientia fœlicitatis, quaſi irato & minaci numine datus eſt Saul, ſibi ſuiſque exitioſus.

Beli tyrannis.

Regimẽ populi Dei.

Sed cùm multi ſint ad dominationem aditus, unum eſt tamen à Deo principium, à quo boni malique principes dantur, nõ tantum permittente, ſed & decernente. Omnes, inquam, à Domino ſunt, ſed non omnes cum Domino. Quidam ut *vaſa iræ* ab ultore Deo in pœnas aſſumuntur, diraſque mortalium, quales olim Nabuchodonoſor, Sennacherib, Salmanaſſar, cœterique Reges Aſſyriorum, quos divina vis ferocientibus Iſraëlitis tanquam flagella,

Reges à Deo dãtur modo triplici.

Digitized by Google

gella & terrores mortiferos incuſſit, nec immeritò Dominus vocat, *Aſſur virgam furoris ſui* ut qui ſæpe immanes Chaldæorum, Medorum, Syrorumque copias, ad vindicanda ſui populi ſcelera juſtus judex excitaret. Adhibiti quoque in idem opus Pharaones, Ammonitæ, & Moabitæ, quos omnes ferali officio functos cæleſtis tandem flamma combuſſit. S. Gregorius in concordia, interrogatione octava quærit, ſi nulla poteſtas niſi à Deo, cur Oſe. 8 4. dicitur, *Ipſi regnaverunt, & non ex me.* Reſpondet ex illo, & non ex illo, Reges regnare, qui & poteſtatem à Deo datam habent, & tamen ab eo ſe accepiſſe ſtultè denegant.

Iſa. 10. 5.

Alii ſunt quos ob juſtitiam, & clementiam, animi moderationem, aliaſque virtutes civilis vitæ, donis imperiiſque providentia ſolet evehere, ut in Cyro conſtat, quem licet veræ religionis expertem benefica vis numinis amplexa, domitorē Aſiæ ingenti pompa circumvexit. Is enim eſt de quo ſpiritus dicit: *Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo portas æreas cōterā, & vectes ferreos confringā. Et dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorū, ut ſcias quia ego Dominus qui voco nomen tuum Deus Iſrael.* Nec diſſimili in re S. Auguſt. tam illuſtre Romanis imperium à Deo diſpoſitum ac donatum eſſe judicat quod eſſet apud ipſos domi induſtria, foris juſtum imperium, animus in conſulendo liber, neque libidini, neq; delicto ob noxius, ſalutemque patriæ ſuæ ſaluti præponere non dubitarent.

Iſa 45 2. 3

S. Auguſt lib. 1. de Civit. cap 14.

Pauci autem tertio gradu Reges, qui tanquam accuratiſſima Dei ſimulachra proponuntur orbi, veræ pietatis notitia illuſtres, maximarumque virtutum comitatu ſepti. Ii ſunt qui non tantum poteſtatem, ſed uſum habent poteſtatis optimum, qui prodeſſe magis quam præeſſe mortalibus ſtudent, & regnum in terris ad formam imperii cæleſtis componere. Qui ferociter & libidinosè regnant, ſola regni gloria tumidi, dæmones imitantur, quos inter ipſas inferorum tenebras excellentis naturæ fulgor illuſtrat, æternis interim ſceleribus infectos, pœniſque nunquam defuturis obrutos. At pios Reges honor imperii, decuſque bonæ mentis præſtantiſſima laude cumulatos quaſi *Deos humanos*, mortalibus oſtendunt. Talis olim David, talis Conſtantinus, talis Carolus Magnùs, talis omnium integerrimus ſanctus Ludovicus, & tot alii Imperatores, Regeſque terrarum, fide præcipui, veriſſimis animi bonis inclyti, & rerum geſtarum gloria inſignes, quos ſolos Principes & germanos Dei Vicarios eſſe dixeris.

DISSERTATIO TERTIA.

Quod penes Fideles Principes, maxime verò Chriſtianos, verè Regia ſit authoritas, & Chriſtianiſmus ſit ad imperia aptiſſimus.

In hæc verba. *Dominus judicabit fines terræ, & dabit imperium Regi ſuo, & ſublimabit cornu* Chriſti *ſui.* 1. Reg 2. 10.

Unde ſubit mirari Tertullianum qui è Chriſtiano genere Reges Imperatores oriundos, vix mente ſibi fingere potuit. *Sed & Cæſares*, inquit, *credidiſſent ſuper Chriſto, ſi aut Cæſares non eſſent ſæculo neceſſarii, aut ſi* Chriſtiani *potuiſſent eſſe Cæſares.*

Tertull. Apolog. cap. 21.

Audax illa quidem & nimis auſtera ſententia, quæ videtur principes Magiſtratuſque civiles extra ſanctam civitatem relegare, quaſi Chriſto ſint inutiles, qui ſæculo ſunt neceſſarii. Fuit olim eadem opinio Euſtachii cujuſdam Sebaſtæi Epiſcopi, qui pontificiæ dignitatis abjectis ornamen-

Tertull. non putat Chriſtianum fieri poſſe Cæſarem.

Euſtach. Epiſcop.

Digitized by Google

ornamenta Epiſcopi abjecit vitâ Cynicus namentis & in Philoſophi pallio ſqualli-dus, vanitatem potius oſtentabat ingenii quam ſenſus veritatem. Is Chriſtianos omnes ſine re, ſine nomine, ſine magiſtratu & dignitate in obſcura vita conſeneſcere volebat. Idem error Manichæos, idem Apoſtolicos & Apotacticos abripuit, homines publica mente deſtitutos, abundantes ſua.

Nec deſunt hoc ſæculo politici qui Chriſtianam religionem rebuſpublicis atque imperiis, non modo inutilem, ſed importunam infeſtamq; prædicant. *Cur lex Chriſtiana videatur imperiis parū apta?* Quid enim, inquiunt, tam remotum à gubernādi induſtria, ab amplitudine & gloria, quā noſtrum genus, paupertati, ludibriis, & prædæ ſua profeſſione natū? Quid facient inter aſtutos rerum ignari, inter armatos inermes, inter opulentos nudi, inter lupos agni? Lex imperiorū eſt rapere quę poſſis, quæ nō poſſis, cōcupiſcere, terras vertere, inquietare maria, promovere res, calcare ſubditos, exſcindere adverſarios, mentem velare mendaciis, quicquid prodeſt licitum putare juſtitiam & fidem è re ſua metiri, vera falſis, falſa veris confundere, ſitire gloriam, alienis potiri, illatas injurias multiplici fœnore reddere. At ſapientia Chriſtianorum eſt ſua largiri, aliena nec oculis libare, honorem deſpicere, opes parvi pendere, &, ut ait Greg. Magnus *nil fingere, ſenſum verbis aperire, vera ut ſunt diligere, devitare falſa, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quam facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare.* *Greg. lib. 10. Mor. c.26.*

Lex ſtatus omnia pro dominatione jubet facere: lex Chriſti omnem dominationem videtur funditus tollere, cùm ipſa veritas dicat: *Principes gentium dominantur eorum: & qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: Sed quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter & qui voluerit inter vos primus eſſe, ſit veſter ſervus.* *Matt. 20.*

Lex Chriſti tunicam petenti dari & pallium præſcribit: Lex ſtatus ſua jubet mordicus defendere, & nova quærendi nullum finem facere. *Idem c. 5.* Lex Chriſti vix audet dejerare in veris, lex ſtatus urbanum putat pejerare in falſis. Lex Chriſti inermi manſuetudine vult omnia confici, lex ſtatus cuncta per rigorem & ſævitiā melius putat adminiſtrari. Lex Chriſti mentem quemque ſuam ſcrupuloſo veri ſtudio omnibus prodere docet; Lex ſtatus exquiſitis artibus velari monet. Lex Chriſti beatitudinem conſtituit in paupertate, abjectione, & lachrymis; Lex ſtatus in opulentia, in gloria & gaudiis. Quî poſſunt igitur tam remota jungi, aut cohærere tam diſcrepantia, ſi Cæſares veri ſint Chriſtiani?

Parùm vident, aut malitioſè ſentiunt qui conſiliis Evangelicis volunt omnes indifferenter illigari, & quæ à Chriſto nominatim Apoſtolis, viriſque Apoſtolicis dicta ſunt, in omnium hominum vitam conditionemque traducunt. *Reſponſio ad objecta* Conſiderare imprimis eos oportuit, ſermonē Domini in monte quo ſtrictioris vitæ inſtituta ſanciuntur. Non promiſcuè ad turbas, ſed in ſeceſſu habitum ad diſcipulos, quos ille non ad terrarum imperia, ſed ad ſui Evangelii vocabat obſequia. *Conſilia Chriſti ut intelligenda.* Deinde etſi quid hujuſmodi ad eos qui ſæcularibus vitæ curis obſtricti manent enuntiatum, non continuò præcipere, ſed potius conſulere, ſummus præceptor exiſtimandus eſt. Imò quædam ſimilia occurrunt, quæ neq; præcepti, neque conſilii vim habent, neq; ex ipſo verborum textu & ſono, ſed ex ſenſu ac ſpiritu ſunt intelligenda. Nam quod percutienti unam maxillam, alteram offerri ad ictus præſcribit, neque Chriſtus fecit, neque Paulus, quod tamen neuter omiſiſſet, ſi ſic fieri oportuiſſet.

Vene-

Digitized by Google

Chriſti mira ſapientia in orbe reformando. Venerat quidem Dominus per demiſſionem, & animi patientiã paupertatem, & manſuetudinem conſecraturus orbem: unde & malorum omnium radices, ſuperbiam, iram, cupiditaté, vindictam funditus tollere atque exſcindere voluit, non molli brachio ſed impetu. Atque ut illi qui fæde tortuoſa cupiunt dirigere, in cõtrariam partem toto põdere inclinant, ut non levi detorſione caſtigata, ſed penitus compreſſa, tandem rectâ conſiſtant. Sic & genus humanum Servator noſter cum videret in capitales illas virtutis peſtes, natura, conſuetudine, & quaſi ipſa profeſſione non leviter, ſed effuſis ad omnem licentiam habenis propendere, contra ictum torrentis enixus, abrupta vi tulit in adverſum, donec intra moderatos limites rationis contineretur. Noluit vindictam malorum tolli de rebus humanis, ſed à privatâ ulciſcendi libidine deflexit in jus publicum, committi voluit ſibi ſuiſq; miniſtris, nõ temere à privatis uſurpari. Noluit omnes omnibus ſpoliari divitiis, ſed affectu ad divitias immodico. Noluit Anarchiam eſſe in re Chriſtiana & ſervitia confundi cum dominis, ſed compreſſit in ambitioſis dominandi appetitum. Voluit nos mente & animo ad ſuam voluntatem comparatos, ut ferre paupertatem, pati divitias, & perſequi cum opus eſſet, & inultas relinquere injurias, abiici & extolli, hinc erecto animo, illinc moderato poſſemus, flectique in eam partem in quam majus Domini obſequium provocaret.

Artes regnandi maiores eſſe apud Chriſtianos quam apud infideles. Nunc autem videamus ſi placet accuratius, & Dei mentem fuiſſe ut Cæſares fierent Chriſtiani, & penes Chriſtianos Reges longe majora eſſe ad artem bene regnandi præſidia. Eſt ſanè aliquid in regia poteſtate magnificum, quo & Chriſtus Dominus ſuos titulos voluit exornari. Nã etſi per calcatum regni temporalis decus feſtinavit ad æternum, Regis tamen appellationem lubenter uſurpavit, Chriſtum ſe & unctum profeſſus. Audivit natus Rex Judæorum, Reges Orientis ad cunas abjectos vidit, Regis partes quoad vixit in miſeros ac deſtitutos egit, quà ſolando, quà juvando, ad ſummum Regis nomen in cruce ſuper cruentum caput affixum, inter ſæva ludibria & diram gloriam conſtanter retinuit. Ipſe nos *regale ſacerdotiũ* ſpiritus appellat, & blandè ad cœleſtem vitam per regiæ ſpeciem gloriæ ſæpius invitat, thronos loquitur, coronas, & diademata, tribunal non unius provinciæ, ſed totius generis humani. *Chriſtus ubique Regem egit, etiã in Cruce.* *1. Pet. 2. 9*

Tarde nomen permiſit Chriſtianos Reges eſſe. At verò ne ad terrena decora veniſſe in mundum videretur, & humani præmii libidine divini ardor langueſceret, trecentos ferme annos effluere inter ſæviſſimas perſecutiones voluit, antequam ulli Chriſtiano capiti corona terreni imperii deſtinaretur. Primus poſt Philippos deſertores Conſtantinus cum Chriſto nomen daret, non eſt juſſus à Concilii Nicæni Patribus purpuram abiicere, Regemque exuere, ſed cœleſtibus prodigiis animatus, ut quã latiſſimè regnaret, ita ad ejus arma & vexilla amicæ virtutes Chriſti auſpiciis undique convolabant. Num qui de Cæſaris domo Chriſtianos jam Deo ſacraverat Paulus, ipſum Cæſarem reſpuiſſet, aut hũc à ſceptro removiſſet qui cæteros in aula Principis detinuit? An cum gravatè jam ferret in primordiis Eccleſiæ Chriſtianos ad ſæculi tribunalia deflectere, ſi qua in terris Chriſtianorum juriſdictio eo tempore fuiſſet, num vehementer probaſſet, & retineri cum laude voluiſſet? *Conſtantinus animatur de cœlo ad imperium.* *1. Cor. 6. 6*

Præſidia apud Chriſtianos ad regnandum ap- Bene omnino cum rebus humanis ageretur, ſi reges omnes aut Chriſtiani eſſent, aut ex Chriſti ſenſu legibuſque regnarent. Neque enim ad continenda regna noſtra hac religione eſt aliquid aptius, ſive Principem

 cipem

Digitized by Google

ta tam Princi-pib. quam populis.

cipem, ſive populos, ſive etiam formam modumque principatus ſpectes.

In hac moderatè docentur imperare Reges, parere reverenter ſubditi, regna per pietatem & juſtitiam, ad pacem felicitatemque componi. Inprimis quicquid habet Regia fortuna tumidum & arrogãs, præceptis divinis mitigatur, decoquitur aſpectu immenſæ poteſtatis exultans in altis ferocia, caſtigantur deliciæ: Audiunt ſe præeſſe homines hominibus tamquam Chriſti Vicarios, ad breve & incertum tempus: Sciunt ſe legum eſſe cuſtodes nõ dominos, imminere ſtrictum regnantibus numinis judicium, annumeranda illi tot mortalium quibus imperant capita. Specioſa illa quæ eos undiq; circumſtant fortunæ ornamenta, puerilibus ſimillima crepundiis. Nihil opes, nihil militum præſidia, nihil propugnacula civitatum, nihil ſummam dignitatem, contra fatum divinum, & Deum poſſe.

Hinc niſi planè leves ſint, aut ſtupidi, & à bona mente deſtituti, diſcunt temperare regna, juſtitiam colere, regias amare virtutes, lenire paternis affectibus potentiam, & exiſtimare ſe non tam regnum hominum habere, quam ſub regno Dei eſſe. Exſurgunt inde compoſiti mores, placida imperia, comitas affabilitaſque ſermonis, & quæ tã ſuaviter lucet in ſumma vi ſumma clementia. Conſequitur iſta veneratio quædam & cœleſtis Majeſtas quæ imperantium ſolia ſtipat omni ſatellitio fortior. Neque enim ulla vis æque ſartos tectoſque præſtat quã de virtute illorum & eximia pietate populorum ſenſus. Itaque cum cæteri principes qui per ſævitiam regnant ſolo gladii terrore ſanciant dominatum, noſtri præter arma legitima quibus rebelles & factioſi coërcentur, habent miram illam & perpetuam, ſi velint corporis cuſtodem, opinionẽ ſanctitudinis, quæ in intimis ſubditorum pectoribus ſedet, honoremque regnantium ſumma cum ſuavitate diſpenſat.

Habent etiam tunc populares inæſtimabile honeſtæ ſervitutis leni mentũ, amorem dominantis, cui cùm ſerviunt, Deo ſervire ſe putant: Cujus cùm vultum inſpiciunt, delibare ſe aliquid ex divinitate credunt. Spiritus ille vitalis quo regna omnia continentur, ille inquam obſequendi promptus & facilis affectus, non jam per metum & minas extorquetur, ſed fide & charitate in divinum ſenſum coaleſcit. Ex quo fit ut noſtrorũ Principum ſit longè firmior dignitas & vita ſecurior. Videmus enim tam ſæpe in Ethnicis tragicos fortunæ ludos, ferocientibus in ſuum jugum populis, palamque ferro & igne bacchantibus. Unum ſpecta mihi ſæculum quod eſt à Chriſto nato tertium, invenies illic pluſquam quinquaginta principes qui Romani imperii faſces attigere potius quam tenuere, cruentâ morte ſublatos. At in noſtris annalibus omnes ferè reges vitam placida tranquillitate decurrunt, & ſuo fato de rebus humanis excedunt, refloreſcente in filiis vita, nunquam emortua dignitate: niſi fanatici nebulones errore religionis illuſi, poſtremos reges feraliter confodiſſent, vix ulla exſtaret libati de regio latere ſanguinis apud nos memoria, tot ſæculis tam placida ferè defluentibus, & nulla hujuſmodi labe maculoſis.

Populi per ritus Chriſtianos aptiores ad regnum.

Jam populos ſi ſpectes, longe fiunt imperiis per Chriſtianos ritus aptiores, ſi quidem illa rebellium armorum immanitas qua tam ſæpe regna concutiuntur, divinis legibus arcetur, quæ dominis etiam dyſcolis præſtari obſequia per Apoſtolum jubent. Concordia verò civium quæ eſt ſalutis fundamentum, firmatur per legem amoris in noſtris diffuſam pectoribus, re-

tinetur

Digitized by Google

tinetur compreſſa dominandi atque habendi ſæva libidine, quam lex Evangelii funditus evellit. Tolluntur injuriæ, contumeliæ, & ſemper inſidioſa civili vitæ rapacitas.

Ipſa etiam auſterioris vitæ rudimenta contemptores deliciarum animos grandibus negotiis & curis apparant. Tradunt militiæ non comatos aut unguentatos, ſed navos, ac fortes, per calcatã mortem ituros ad decus. Ipſa denique regni cœleſtis impreſſa fidis mentibus ſpecies non leviter ſtimulat animos ad audendum paratos, non magis ſecuritate conſcientiæ, quàm illecebra gloriæ.

Vid. Molin. tract. 2. de Iuſt. & jure diſ. 106.

Grande iter ad palmas Christiana lex aperit.

Parum dico Chriſtiana lex ſi quibuſdã Theologis credimus totum aperit orbem, palmas, & triumphos, agitantibus. Siquidem Antonius, Sylveſter, Innocentius, major, & Alphonſus à Caſtro bellum juſtũ inferri gẽtibus putant, ſive ob idololatriã, ſive ob criminum immanitatem quæ naturæ lumini penitus adverſantur. Sic eas licitè puniri, ſic noſtrorum armis cum laude & celeberrima gloria ſubjugari credunt. Præit in iſtis, ajunt, divina vox quæ toties Chananæos, Jebuzæos, Moabitas, Ammonitas, non diſparibus flagitiis implicatos Iſraëlitarum armis deleri juſſit.

An juſtè omnes infideles imperiis à Chriſtianis poſſint ſpoliari?

1. Cor 5. 12.

Nimis latè iſtud quidem, nam ſi Paulus de iis qui foris ſunt nolebat judicare, neque ſummus Pontifex, neque Imperator, aut Rex quilibet Chriſtianus externa regna invadere ad puniẽdos indigenas poſſunt, ob flagitia & nefarios concubitus, aut alia hujuſmodi vitia, cum nullam adverſus eas Deus juriſdictionem cœleſti voce ut olim Moſi, Gedeoni, Samuëli, & aliis conceſſerit.

Molina.

At ubi contigerit innocentes à ſæviſſimis & infidelibus Tyrannis opprimi, & mactari, tũ ea lege qua cuique Deus mandavit de proximo ſuo, poſſunt Chriſtiani duces armis laceſſere ſævientes, nõ ut eorum opes & fortunas per avaritiam diripiant, ſed ut graſſantem per ſcelera injuſtitiam comprimant. Quod ſi pertinaci voluntate & indomitâ malitiâ reſiſtant, ferrum & ignes immedicabili ſæpe ulceri juſtis de cauſis adhibentur.

Sic olim Hercules, ſic antiqui heroes, tot nefaria capita cruore humano ſaginata meſſuerunt. Sic Galliæ & Hiſpaniæ Reges Saracenos & Longobardos Eccleſiæ perſecutores ſumma cum laude ſpoliatos ſubjecere. Cumque rariſſimum ſit ut infidelium domini in tanta corruptionis labe, ita ſint compoſiti, ut non multa committant per injuſtitiam & ſævitiam; inde fit ut ad tam Illuſtres laureas ingens ſemper pateat campus in quo decurrere noſtrorum virtus poſſit.

Objicitur imperii forma apud Chriſtianos Reges aliquãdo ſcrupuloſa. Reſponſio

Reſtat imperii forma quam nimis fortaſſe mollem & ſcrupuloſam adverſarii dictitabunt, Chriſtianis ſæpe Principibus per nimiam religioſitatem in ſocordiam lapſis.

Non imus inficias pleroſque ad arctiorem vitam, nimis forte effuſo pietatis ſtudio defluxiſſe. Sed neque hanc educàtionem unquam probarim in Rege, neque ulla Eccleſiæ lex exigit, neque in popularium mores transferri ſanus quis optaverit. Tale autem regnum volumus, in quo religione magis quam ſuperſtitione Deus timeatur, in quo nec enervis probitas, nec improba licentia, in quo ſplendor & honeſtas ab imperantibus in omnia mẽbra diffundatur: in quo ſit decora majeſtas, nec ſegnis Juſtitia, placidus terror, & in civilibus vitæ officiis præſtans gratia: in quo timeri & amari regnantes poſſint, in quo commodè & laxè non flagitioſè, aut petulanter ſubditi vivant.

Digitized by Google

Inquinata quorundam Politicorum ingenia de Christiano regimine male ſentiũt. Imperia tamen Christiana ad ſenſum optimorum Philoſophorum & naturæ lumen compoſita

Sunt tamen quædam ingenia omni labe inquinatiſſima quæ Regnum & Rempublicam nullam putant niſi effrænata in illis vigeat libertas & profuſa in omnes voluptates vita. At verò ſi lubet propius conſiderare, quid Plato, quid Ariſtoteles, quid ſapientiſſimi quique Philoſophorum ſenſerint, quid Athenienſes, quid Spartani, quid Romani nondum ſolutis moribus ſed ſtante adhuc diſciplina fecerint: inveniemus profectò Chriſtianorum imperia ad rectiſſimum quemque eorum ſenſum, & lucidiſſimum naturæ lumen omnino eſſe compoſita, ut ex legibus & ſtatutis majorum patet. Quod ſi è Chriſtiano ritu res omnes adminiſtrarentur, nihil eſſet noſtra gente aut victorioſius aut felicius Verum dum Politici profanæ prudentiæ figmentis deluſi, ad callida conſilia & ſævas artes deflectunt, omnia præpoſterè confuſa in graves ruinas, & cœca trahunt exitia Spectent illi quibus artibus, regnavit Conſtantinus, quibus Carolus Magnus, invenient tam diſcrepantes à ſuis, ut furere ſe poſſent agnoſcere, niſi mallent falſis rationibus inſanire.

DISSERTATIO QUARTA.

Cum Chriſtiana Religio ſit ad Imperia regenda aptiſsima, quî fit ut infidelium Regna, quale eſt Turcicum, ſint florentiora.

In hæc verba. *Pro eo ergo quod abjeciſti ſermonem Domini abjecit te Dominus.* 1. Reg. 15. 23.

NImis fortaſſe videor prudentibus ſæculi res efferre Chriſtianas, cum ſatis conſtet infidelium regna contrariis nixa legibus ſæpe, ut ajunt, eſſe meliora, ſemper feliciora. Illuſtri exemplo eſt Turcicum Imperium, cujus faſtigio nihil eminentius nihil viribus & opulentia majus. Contendit per adverſum nobiliter ad apicem gloriæ, & præit acri virtute, felicitate non cæca.

Turcicũ imperiũ cur adeo magnum

Occurram equidẽ hoc capite ſemibarbaris ingeniis, aliena mirantibus, ſui ignaris, & oſtendam qua vi, qua manu, Sarracena poteſtas nititur, ut audere tanta poſſit, & facere. Primùm quis non videt arcanum eſſe quoddam in ea re Dei conſiliũ, qui ſæpe immania gentium robora, adverſus ſuos rebelles vel excitat, vel excitata ſuſtinet? Quid miramur ſi Rex tam clemens, & tam juſtus, habet affectum quo diligat, habet vim qua cogat? habet ergaſtula, carnifices & tot inſtrumenta pœnarum, quibus ſceleſtos vel coercere nimis exultantes, vel obſtinatos poſſit opprimere! Numquid ceſſant inferi? numquid conſumpti dæmones, per tot & tamdiu depaſcentes flammas? vivunt in ſua & aliorum ſupplicia, iræ adminiſtri, qui adoratores bonitatis eſſe noluerunt. Ea igitur mente qua Deus ad inferna diſponit improborum tormenta, dæmones; diſpenſat etiam in terris feros homines, quibus vel ſuorum virtutem exerceat, vel puniat malitiam.

Improbi in terris diſpoſiti ut damnatis in inferis.

Magnum eſt iſtud quidem regni Dei myſterium, quod omnem Piorum potentiam, omnem ætatem permanavit: Tribulatio & ſervitus cœpit in gente Dei, ubi cœpit eſſe gens Dei. Poſt Abrahamum & Jacobum tam variè exercitos, poſt infenſos Moſi Pharaones; poſt tot frementium contra novos hoſpites gentium certamina, timenda fuit proſperitas in otio, & pace læva. Qui fuerant antea rebus adverſis eruditi ad gloriam, caſtigari poſtea ſunt ad pœnam. Nunquid parum æquus nobis Deus, ſi donat omnia præter licentiam pereundi? ubinam deſerta gens quæ prius ipſum non deſeruit? percurrantur hiſtoriæ,

Tribulatio magnum Regni Dei myſteriũ. Tribulatio in gente Dei continua.

triti, Tyrannos triginta paſſi ſunt qui Regem unum ferre non poterant. Tandem poſt varios æſtuantis fortunæ ludos in Macedones, deinde in Romanorum poteſtatem devenere.

Spartani

Spartani quoq; libertatis tenaciſſimi initio fuere, poſtea non tantum unus ut cæteris gentibus, ſed bini Reges ex duabus familiis præfuere. Nemo duos in mundo Soles ferre poterat, niſi lumine & calore diminutos. Temperavit Lycurgus viginti & octo Principum virorum Senatu inſtituto. Nec tamen ille diu ſtetit authoritate inconcuſſa, additi Ephori populari ingenio & turbidâ dominatione adverſus ipſos Reges ſævi.

Romani.

Nec deſultorium iſtud adminiſtrandi genus effugere Romani, apud quos regnatum primum à Regibus ſeptem per annos ducentos & quadraginta quatuor: Hos ſuperbia & libido faſtigio depulere. Creati Conſules gemini, iidem qui tyranni vindices. Ex perpetuo annuum placuit, ex ſingulari duplex imperium, ne poteſtas ſolitudine vel morâ corrumperetur. Viſa optimatum factio nimis potens, expreſſus per ſeditionem Tribunus, magiſtratus Plebejus, ſæpe adverſus Senatores inſolens. Dein anno urbis 303. potiti rerum Decemviri quorum nomen & faſces infamiâ polluit Appius ingenuæ virginis amore incenſus quam pater ſtupro ſurripuit, ferro confoſſam, ne libidine tangeretur. Mox facti Tribuni militum conſulari poteſtate, qui nec diu ſtetere, redditis conſulibus quos poſteà jus dictatorum, deinde ſumma Imperatorum poteſtas abſorpſere.

Florus lib. 1.

Unde regnorum viciſſitudo & varietas gubernandi.

Unde quæſo tam varia Magiſtratuum viciſſitudo? niſi quod durum eſt homini adverſus homines imperium, niſi ſapientiâ & ſuavitate mitigetur. Regere & regi ex iis ſunt, inquit Ariſtoteles, quæ neceſſaria habentur apud mortales. Sed tamen undique ſe quaſi ægri verſant in lecto triſtes & avidi, donec quies optata ſurrepat in illa cœleſti regni Dei quam quærimus temperie.

De ſtatu Monarchia.

Monarchia optimus omnium ſtatus creditur & jure, à viris ingenio & prudentiâ excellentiſſimis. Obſtant tamen multi qui Rempublicam ab uno regi oneroſum regenti, ſubditis periculoſum putant. Nihil ſummũ, ajunt, fecit in rebus humanis, qui ſummus eſt: Sed nec facere poteſt. Deo enim ut nihil deeſt, ſic nihil abundat, nec habet unde generet alium æqualẽ ſibi, qui ſit naturâ diſtinctus. Ipſa quæ cenſentur in orbe maxima, ſuos habent pares, cum quibus componantur, & validiſſimis viribus ab externo divina vis temperamenta diſpenſat. Sol qui ſiderum, cælique rector celebratur, qui temporum vices annumque renaſcentem ex uſu naturæ moderatur, cũ tanta poſſit, non poteſt omnia. Habet (ſi credimus aſtrorum peritis) ſuos adverſarios quorum maligna vi beneficæ lucis favor hebeſcit. Ignem ſuperis inferiſque terribilem tam mites aquæ ſuffocant, tam fluidum elementum necat. Æſtuoſi maris obices ſunt arenæ, ferrum rubigo conſumit, & culices vim leonum exercent. Non omnia in noſtris corporib. bilis velox & ignea poſſidet: ſed nimias ejus vires cæteri humores mitigant adeo nullam exſtare ſine libramento potentiam prudentiſſimus mundi arbiter voluit.

Nihil Deus fecit ſummum.

Plin. l. 2.

Omnis naturæ poteſtas cum libramento eſt.

Gentiles vix Monarchiã in cœlo imaginati.

Mirum quod hebes & infirmus in religione æſtimanda gentilium animus, nec ſibi de Deo hoc perſuaſit ut eſſet ſine rivali. In partes eum digeſſit fragilis, & laborioſa mortalitas, quod unius ſummi ſola cogitatione mens obrueretur. Deinde nõ pavemus (ajunt) eſſe aliquid in humanis im-

Digitized by Google

SAUL.

DISSERTATIO LXXVIII.

De Saule, judicium de laudandis ac vituperandis ejus facinoribus. p.340

DAVID.

DISSERTATIO LXXIX.

Quæ laudanda in Davide, quæ cenſura etiam digna? p 243

SALOMON.

DISSERTATIO LXXX.

Quæ Salomonis probanda, quæ vituperanda. p.246

ROBOAM.

DISSERTATIO LXXXI.

De Roboamo.

Cur Heroum filii rariſſimè in tertiam aut quartam generationem ſimiles origini evadant. p.249

ABIAS ET ASA.

DISSERTATIO LXXXII.

Cui cùm unus eſſet impius, alter pius, ambo aque ingentes victorias de inimicis retulere. p.250

ASA.

DISSERTATIO LXXXIII.

Cur in Aſa reprehenduntur multa? &c. p.252

JOSAPHAT.

DISSERTATIO LXXXIV.

Quid in Ioſaphato præcipuum, quid etiam culpandum? p.254

JORAM.

DISSERTATIO LXXXV.

Vnde tot ſcelera ejus & ruina? p.256

OCHOSIAS.

DISSERTATIO LXXXVI.

Vtrùm plus noceat malum conſilium etiam cum bono Rege, quàm malus Rex cum bono conſilio. p.268

ATHALIA.

DISSERTATIO LXXXVII.

An Iojadas Pontifex licitè Athaliam occidi juſſerit. p.260

JOAS.

DISSERTATIO LXXXVIII.

De Joa.

Vnde poſt occiſam Athaliam tanta in Regno ſerenitas? p.202

AMASIAS.

DISSERTATIO LXXXIX.

Cur Amaſiæ ſicut multorum Principum initia læta, progreſſus vix unquam initiis pares. p.264

OZIAS.

DISSERTATIO XC.

Vnde Oſiæ & tot Regibus appetentia ſacerdotii cum Regno nectendi. p.266

JOATHAM.

DISSERTATIO XCI.

An præſtabilior ſit Rex innocens & juſtus domitore urbium? p.268

ACHAZ.

DISSERTATIO XCII.

Vnde tanta propenſio Regibus Iudæ in Idololatriam, ut à bono patre tertia generatio vix maneat in fide? p.270

EZECHIAS.

DISSERTATIO XCIII.

Quare ex peſſimis parentibus optimi naſcuntur liberi? p.273

MANASSES.

DISSERTATIO XCIV.

Quæ in eo mira. p.277

JOSIAS.

DISSERTATIO XCV.

An ab omni culpa & cenſura ſit immunis? p.280

JOACHASUS.

DISSERTATIO XCVI.

Cur Deus ſuprema Regni Iudæ fata ſub filiis Ioſiæ permiſerit? p.282

R.P.NI.

Digitized by Google

R. P. NICOLAI CAVSSINI
SOC. IESV SACERDOTIS
REGNVM DEI
SEV
DISSERTATIONES
IN LIBROS REGVM,
CVRIAE ET AVLAE SANCTAE COMPENDIVM CONTINENS
TRACTATVS PRIMVS.
DISSERTATIO PRIMA.

Quod Reges, Chriſti Domini, & Regna ſint expreſſiones Monarchiæ Cæleſtis.

In hæc verba. CHRISTUS DOMINI EST. *1. Regum 24. 11.*

MAGNUM habent divina cum humanis commercium, & infima quæque continentur à ſuperis: Horum auſpiciis, illorum obſequio, perpetuâ quadam agitatione rerum viget æternitas. Terrena ipſa licet mole tarda, & materiæ pondere depreſſa, expreſſiones ſunt cæleſtium, & quaſi deciduis orta de cælo ſeminibus(ut veteres plerique dixere.) Nec erraverunt qui Deum *mundum in ſe contractum*, mundum verò, *Deum explicitum extra ſe, atque diffuſum nuncuparunt.*

Oriuntur omnia ex uno & in unum quâ poſſunt redeunt, lege certâ, diverſis itineribus. Et iſtud quidem cùm in aliis rebus ſit conſpicuum, eminere tamen debet in regnis, rebuſque publicis, quæ ſunt cœtus inter ſe jure quodam & utilitatis communione congregati. Reges ſunt Chriſti Domini, hoc eſt à Deo uncti, & ſignati, ut invisibilem Deum, ſpecie viſibili repræſentent in terris: Regna quoque ad numeros Harmoniæ cæleſtis componant: juxta illud Jobi. *Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet?* Conſtitui igitur hoc opere Regni Dei formam exhibere, atque oſtendere, ut ortum à Deo in Deum redeat, per primæ legis ſtatuta, ſanctioneſque optimas, quibus à piis regibus adminiſtratur. *Iob 38. 37.*

Digitized by Google

DISSERTATIO SECUNDA.

De Ortu Regnorum, & triplici modo quo Reges ſunt à Deo.

In illa verba *Conſtitue nobis Regem ut judicet nos, ſicut & univerſa habent nationes.* 1. Reg. 8 5.

Rom. 13. 1

OMnis igitur poteſtas à Deo eſt (clamat Apoſtolus,) nec ullum ſine Deo imperium. Nempè ab omnipotentia ſummi, & ſempiterni regis, ſparguntur in orbem univerſum potentiæ radii, in reges præſideſque populorum, auctis undique magnificæ bonitatis rivulis, non diminuto fonte. Terrena quidem omnia communione ſui patiuntur aliquod detrimentum, atque in iis ſæpe evenit, ut ſi quis ingens ſpeculum in multas comminuat partes, omnes imaginem reddituras, ſed defecta ejus à quo orta ſunt amplitudine & gloria. Ita & regnantium in hoc ſæculo res opeſque partium diviſione decreſcunt, at ſupremum numen diffuſio nõ minuit, ſed cõmendat.

Terrena communione ſui imminuta, Deum diffuſio commendat.

Nullum magis decet imperare rebus factis quam qui fecit. Unde & penes omnium creatorem prima, & eminentiſſima jurſdictio, exinde in viros, & parentes, ab eo à quo omnis paternitas in cælo terriſque nominatur naturali jure derivata eſt. Ea verò qua homo hominem, nec à ſe factum, nec genitum, nec datum ſibi ſubiicit, magis factitia eſt, & initiò per ambitum invecta.

Deus primus, & Solus independens Monarcha.

Ab eo poteſtas ſparſa primum in Patres & viros.

Natæ ſunt regna dedentibus ſe ultrò hominibus homini, ut collecta in unum omnium authoritas ſingulos faciliùs regeret. Et quidem ordinis divini eſt ut congregati hominum cœtus regantur à ſuperioribus ad bonum univerſi, ſed ut dominandi libidine ſubjugati ſternantur potius quam juventur, uſurpationis humanæ eſt. Itaque quod Sanctus Auguſtinus poſt Trogum dixit: Principio rerum, gentium nationumque imperium penes reges erat, quos ad faſtigium hujus majeſtatis non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio provehebat. Tum ſingulæ familiæ ſingulos reges habuerunt, vel patres, vel fratres natu maximos, vel qui erant conſilio, prudentia, æquitate, vigore animi, & corporis præſtantiſſimi. Idem rex multis aliquando familiis numeroſiori jam gente legem ſumma moderatione dicebat, imperii tuendi magis quam proferendi cupidus, intra ſuam cuique patriam regna finiebantur.

Ortus regnorũ.

Ita etiam Molina de Iuſt. & jure tract. 2. diſp. 23.

Auguſt. lib. 4. de Civit. Dei. c. 6.

Status primorũ hominũ. Lud. Vives ad hunc locum.

Primus omnium Belus ſive Ninus Rex Aſſyriorum veterem & quaſi avitum gentibus morem nova imperii cupiditate mutavit, intulit bella finitimis, domuit populos, & magnitudinem quæſitæ dominationis continuâ poſſeſſione firmavit. Non ita res agebantur in populo ac civitate Dei, ubi ſecundum priſtinos aurei ſæculi mores penes Patriarchas mitiſſima poteſtas fuit, quos Juſtinus Reges ſuo more nominat: ſed tria fermè annorum millia jam effluxerant ab orbe condito, antequam nomen Regis in hac Dei familia ſubditis audiretur. Primus laſcivientibus impatientia fœlicitatis, quaſi irato & minaci numine datus eſt Saul, ſibi ſuiſque exitioſus.

Beli tyrannus.

Regimẽ populi Dei.

Sed cùm multi ſint ad dominationem aditus, unum eſt tamen à Deo principium, à quo boni malique principes dantur, nõ tantum permittente, ſed & decernente. Omnes, inquam, à Domino ſunt, ſed non omnes cum Domino. Quidam ut *vaſa iræ* ab ultore Deo in pœnas aſſumuntur, diraſque mortalium, quales olim Nabuchodonoſor, Sennacherib, Salmanaſſar, cæterique Reges Aſſyriorum, quos divina vis ferocientibus Iſraëlitis tanquam flagella.

Reges à Deo dãtur modo triplici.

Digitized by Google

gella & terrores mortiferos incuſſit, nec immeritò Dominus vocat, *Aſſur virgam* Iſa. 10. 5. *furoris ſui* ut qui ſæpe immanes Chaldæorum, Medorum, Syrorumque copias, ad vindicanda ſui populi ſcelera juſtus judex excitaret. Adhibiti quoque in idem opus Pharaones, Ammonitæ, & Moabitæ, quos omnes fetali officio functos cæleſtis tandem flamma combuſſit. S. Gregorius in concordia, interrogatione octava quærit, ſi nulla poteſtas niſi à Deo, cur Oſe. 8. 4. dicitur, *Ipſi regnaverunt, & non ex me.* Reſpondet ex illo, & non ex illo, Reges regnant, qui & poteſtatem à Deo datam habent, & tamen ab eo ſe accepiſſe ſtultè denegant.

Alii ſunt quos ob juſtitiam, & clementiam, animi moderationem, aliaſque virtutes civilis vitæ, donis imperiiſque providentia ſolet evehere, ut in Cyro conſtat, quem licet veræ religionis expertem benefica vis numinis amplexa, domitorē Aſiæ ingenti pompa circumvexit. Is enim Iſa 45 2. 3 eſt de quo ſpiritus dicit: *Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo. portas æreas cōteram, & vectes ferreos confringā. Et dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorū, ut ſcias quia ego Dominus qui voco nomen tuum Deus Iſraël.* Nec diſſimili in re S. Auguſt. tam illuſtre Romanis imperium à Deo diſpoſitum ac donatum eſſe judicat quod eſſet apud ipſos domi induſtria, foris juſtum imperium, animus in conſulendo liber, neque libidini, neq; delicto ob noxius, ſalutemque patriæ ſuæ ſaluti præponere non dubitarent.

S. Auguſt. lib. 1. de Civit. cap. 14.

Pauci autem tertio gradu Reges, qui tanquam accuratiſſima Dei ſimulachra proponuntur orbi, veræ pietatis notitia illuſtres, maximarumque virtutum comitatu ſepti. Ii ſunt qui non tantum poteſtatem, ſed uſum habent poteſtatis optimum, qui prodeſſe magis quam præeſſe mortalibus ſtudent, & regnum in terris ad formam imperii cæleſtis componere. Qui ferociter & libidinosè regnant, ſola regni gloria tumidi, dæmones imitantur, quos inter ipſas inferorum tenebras excellentis naturæ fulgor illuſtrat, æternis interim ſceleribus infectos, pœniſque nunquam defuturis obrutos. At pios Reges honor imperii, decuſque bonæ mentis præſtantiſſima laude cumulatos quaſi *Deos humanos*, mortalibus oſtendunt. Talis olim David, talis Conſtantinus, talis Carolus Magnus, talis omnium integerrimus ſanctus Ludovicus, & tot alii Imperatores, Regeſque terrarum, fide præcipui, veriſſimis animi bonis inclyti, & rerum geſtarum gloria inſignes, quos ſolos Principes & germanos Dei Vicarios eſſe dixeris.

DISSERTATIO TERTIA.

Quod penes Fideles Principes, maxime verò Chriſtianos, verè Regia ſit authoritas, & Chriſtianiſmus ſit ad imperia aptiſſimus.

In hæc verba. *Dominus judicabit fines terræ, & dabit imperium Regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui.* 1. Reg. 2. 10.

Unde ſubit mirari Tertullianum qui è Chriſtiano genere Reges Imperatores oriundos, vix mente ſibi fingere potuit. *Sed & Cæſares*, inquit, *credidiſſent ſuper Chriſto, ſi aut Cæſares non eſſent ſæculo neceſſarii, aut ſi Chriſtiani potuiſſent eſſe Cæſares.* Tertull. Apolog. cap. 21.

Audax illa quidem & nimis auſtera ſententia, quæ videtur principes Magiſtratuſque civiles extra ſanctam civitatem relegare, quaſi Chriſto ſint inutiles, qui ſæculo ſunt neceſſarii. Fuit olim eadem opinio Euſtachii cujuſdam Sebaſtæi Epiſcopi, qui pontificiæ dignitatis abjectis ornamen- Tertull. non putat at Chriſtianum fieri poſſe Cæſarem. Euſtach. Epiſcop.

ornamen-ta Epiſcopi abje-cit vitâ Cynicus

namentis & in Philoſophi pallio ſqualli-dus, vanitatem potius oſtentabat ingenii quam ſenſus veritatem. Is Chriſtianos om-nes ſine re, ſine nomine, ſine magiſtratu & dignitate in obſcura vita conſeneſcere volebat. Idem error Manichæos, idem Apoſtolicos & Apotacticos abripuit, homines publica mente deſtitutos, abundantes ſua.

Cur lex Chriſtiana videatur imperiu parũ apta?

Nec deſunt hoc ſæculo politici qui Chriſtianam religionem rebuſpublicis atque imperiis non modo inutilem, ſed importunam infeſtamq; prædicant. Quid enim, inquiunt, tam remotum à gubernãdi induſtria, ab amplitudine & gloria, quã noſtrum genus, paupertati, ludibriis, & prædæ ſua profeſſione natũ? Quid facient inter aſtutos rerum ignari, inter armatos inermes, inter opulentos nudi, inter lupos agni? Lex imperiorũ eſt rapere quę poſſis, quæ nõ poſſis, cõcupiſcere, terras vertere, inquietare maria, promovere res, calcare ſubditos, exſcindere adverſarios, mentem velare mendaciis, quicquid prodeſt licitum putare juſtitiam & fidem è re ſua metiri, vera falſis, falſa veris confundere, ſitire gloriam, alienis potiri, illatas injurias multiplici fœnore reddere. At ſapientia Chriſtianorum eſt ſua largiri, aliena nec oculis libare, honorem deſpicere, opes parvi pendere, &, ut ait Greg. Magnus *nil fingere, ſenſum verbis aperire, vera ut ſunt diligere, devitare falſa, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quam facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare.*

Greg. lib. 10. Mor. c. 16.

Lex ſtatus omnia pro dominatione jubet facere: lex Chriſti omnem dominationem videtur funditus tollere, cùm ipſa veritas dicat: *Principes gentium dominantur eorum: & qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: Sed quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter & qui voluerit inter vos primus eſſe, ſit veſter ſervus.*

Matt. 20.

Lex Chriſti tunicam petenti dari & pallium præſcribit: Lex ſtatus ſua jubet mordicus defendere, & nova quærendi nullum finem facere. Lex Chriſti vix audet dejerare in veris, lex ſtatus urbanum putat pejerare in falſis. Lex Chriſti inermi manſuetudine vult omnia confici, lex ſtatus cuncta per rigorem & ſævitiã melius putat adminiſtrari. Lex Chriſti mentem quemque ſuam ſcrupuloſo veri ſtudio omnibus prodere docet; Lex ſtatus exquiſitis artibus velari monet. Lex Chriſti beatitudinem conſtituit in paupertate, abjectione, & lachrymis; Lex ſtatus in opulentia, in gloria & gaudiis. Quî poſſunt igitur tam remota jungi, aut cohærere tam diſcrepantia, ſi Cæſares veri ſint Chriſtiani?

Idem c. 5.

Reſponſio ad objecta

*P*arùm vident, aut malitioſè ſentiunt qui conſiliis Evangelicis volunt omnes indifferenter illigari, & quæ à Chriſto nominatim Apoſtolis, viriſque Apoſtolicis dicta ſunt, in omnium hominum vitam conditionemque traducunt. Conſiderare imprimis eos oportuit, ſermonẽ Domini in monte quo ſtrictioris vitæ inſtituta ſanciuntur. Non promiſcuè ad turbas, ſed in ſeceſſu habitum ad diſcipulos, quos ille non ad terrarum imperia, ſed ad ſui Evangelii vocabat obſequia. Deinde etſi quid hujuſmodi ad eos qui ſæcularibus vitæ curis obſtricti manent enuntiatum, non continuò præcipere, ſed potius conſulere, ſummus præceptor exiſtimandus eſt. Imò quædam ſimilia occurrunt, quæ neq; præcepti, neque conſilii vim habent, neq; ex ipſo verborum textu & ſono, ſed ex ſenſu ac ſpiritu ſunt intelligenda. Nam quod percutienti unam maxillam, alteram offerri ad ictus præſcribit, neque Chriſtus fecit, neque Paulus, quod tamen neuter omiſiſſet, ſi ſic fieri oportuiſſet.

Conſilia Chriſti ut intelligenda.

Vene-

Digitized by Google

Chriſti mira ſapientia in orbe reformando.

Venerat quidem Dominus per demiſſionem, & animi patientiã paupertatem, & manſuetudinem conſecraturus orbem: unde & malorum omnium radices, ſuperbiam, iram, cupiditatẽ, vindictam funditus tollere atque exſcindere voluit, non molli brachio ſed impetu. Atque ut illi qui fæde tortuoſa cupiunt dirigere, in cõtrariam partem toto põdere inclinant, ut non levi detorſione caſtigata, ſed penitus compreſſa, tandem rectâ conſiſtant. Sic & genus humanum Servator noſter cum videret in capitales illas virtutis peſtes, natura, conſuetudine, & quaſi ipſa profeſſione non leviter, ſed effuſis ad omnem licentiam habenis propendere, contra ictum torrentis enixus, abrupta vi tulit in adverſum, donec intra moderatos limites rationis contineretur. Noluit vindictam malorum tolli de rebus humanis, ſed à privatâ ulciſcendi libidine deflexit in jus publicum, committi voluit ſibi ſuiſq; miniſtris, nõ temere à privatis uſurpari. Noluit omnes omnibus ſpoliari divitiis, ſed affectu ad divitias immodico. Noluit Anarchiam eſſe in re Chriſtiana & ſervitia confundi cum dominis, ſed compreſſit in ambitioſis dominandi appetitum. Voluit nos mente & animo ad ſuam voluntatem comparatos, ut ferre paupertatem, pati divitias, & perſequi cum opus eſſet, & inultas relinquere injurias, abiici & extolli, hinc erecto animo, illinc moderato poſſemus, flectique in eam partem in quam majus Domini obſequium provocaret.

Artes regnandi majores eſſe apud Chriſtianos quam apud infideles.

Nunc autem videamus ſi placet accuratius, & Dei mentem fuiſſe ut Cæſares fierent Chriſtiani, & penes Chriſtianos Reges longe majora eſſe ad artem bene regnandi præſidia. Eſt ſanè aliquid in regia poteſtate magnificum, quo & Chriſtus Dominus ſuos titulos voluit exornari. Nã etſi per calcatum regni temporalis decus feſtinavit ad æternum, Regis tamẽn appellationem lubenter uſurpavit, Chriſtum ſe & unctum profeſſus. Audivit natus Rex Judæorum, Reges Orientis ad cunas abjectos vidit, Regis partes quoad vixit in miſeros ac deſtitutos egit, quà ſolando, quà juvando, ad ſummum Regis nomen in cruce ſuper cruentum caput affixum, inter ſæva ludibria & diram gloriam conſtanter retinuit. Ipſe nos *regale ſacerdotiũ* ſpiritus appellat, & blandè ad cœleſtem vitam per regiæ ſpeciem gloriæ ſæpius invitat, thronos loquitur, coronas, & diademata, tribunal non unius provinciæ, ſed totius generis humani.

Chriſtus ubique Regem egit, etiã in Cruce.

1.Pet.2.9

Tarde nomen permiſit Chriſtianos Reges eſſe.

At verò ne ad terrena decora veniſſe in mundum videretur, & humani præmii libidine divini ardor langueſceret, trecentos ferme annos effluere inter ſæviſſimas perſecutiones voluit, antequam ulli Chriſtiano capiti corona terreni imperii deſtinaretur. Primus poſt Philippos deſertores Conſtantinus cum Chriſto nomen daret, non eſt juſſus à Concilii Nicæni Patribus purpuram abiicere, Regemque exuere, ſed cœleſtibus prodigiis animatus, ut quã latiſſimè regnaret, ita ad ejus arma & vexilla amicæ virtutes Chriſti auſpiciis undique convolabant. Num qui de Cæſaris domo Chriſtianos jam Deo ſacraverat Paulus, ipſum Cæſarem reſpuiſſet, aut hũc à ſceptro removiſſet qui cæteros in aula Principis detinuit? An cum gravatè jam ferret in primordiis Eccleſiæ Chriſtianos ad ſæculi tribunalia deflectere, ſi qua in terris Chriſtianorum juriſdictio eo tempore fuiſſet, num vehementer probaſſet, & retineri cum laude voluiſſet?

Conſtantinus animatur de cœlo ad imperium.

1.Cor.6.6

Præſidia apud Chriſtianos ad regnandum ap-

Bene omnino cum rebus humanis ageretur, ſi reges omnes aut Chriſtiani eſſent, aut ex Chriſti ſenſu legibuſque regnarent. Neque enim ad continenda regna noſtra hac religione eſt aliquid aptius, ſive Principem

Digitized by Google

na tam Princi-pib. quam populis.

cipem, ſive populos, ſive etiam formam modumque principatus ſpectes.

In hac moderatè docentur imperare Reges, parere reverenter ſubditi, regna per pietatem & juſtitiam, ad pacem felicitatemque componi. Inprimis quicquid habet Regia fortuna tumidum & arrogãs, præceptis divinis mitigatur, decoquitur aſpectu immenſæ poteſtatis exultans in altis ferocia, caſtigantur deliciæ: Audiunt ſe præeſſe homines hominibus tamquam Chriſti Vicarios, ad breve & incertum tempus: Sciunt ſe legum eſſe cuſtodes nõ dominos, imminere ſtrictum regnantibus numinis judicium, annumeranda illi tot mortalium quibus imperant capita. Specioſa illa quæ eos undiq; circumſtant fortunæ ornamenta, puerilibus ſimillima crepundiis. Nihil opes, nihil militum præſidia, nihil propugnacula civitatum, nihil ſummam dignitatem, contra fatum divinum, & Deum poſſe.

Hinc niſi planè leves ſint, aut ſtupidi, & à bona mente deſtituti, diſcunt temperare regna, juſtitiam colere, regias amare virtutes, lenire paternis affectibus potentiam, & exiſtimare ſe non tam regnum hominum habere, quam ſub regno Dei eſſe. Exſurgunt inde compoſiti mores, placida imperia, comitas affabilitaſque ſermonis, & quæ tã ſuaviter lucet in ſumma vi ſumma clementia. Conſequitur iſta veneratio quædam & cœleſtis Majeſtas quæ imperantium ſolia ſtipat omni ſatellitio fortior. Neque enim ulla vis æque ſartos tectoſque præſtat quã de virtute illorum & eximia pietate populorum ſenſus. Itaque cum cæteri principes qui per ſævitiam regnant ſolo gladii terrore ſanciant dominatum, noſtri præter arma legitima quibus rebelles & factioſi coërcentur, habent miram illam & perpetuam, ſi velint corporis cuſtodem, opinionẽ ſanctitudinis, quæ in intimis ſubditorum pectoribus ſedet, honoremque regnantium ſumma cum ſuavitate diſpenſat.

Habent etiam tunc populares inæſtimabile honeſtæ ſervitutis leni mentũ, amorem dominantis, cui cùm ſerviunt, Deo ſervire ſe putant: Cujus cùm vultum inſpiciunt, delibare ſe aliquid ex divinitate credunt. Spiritus ille vitalis quo regna omnia continentur, ille inquam obſequendi promptus & facilis affectus, non jam per metum & minas extorquetur, ſed fide & charitate in divinum ſenſum coaleſcit. Ex quo fit ut noſtrorũ Principum ſit longè firmior dignitas & vita ſecurior. Videmus enim tam ſæpe in Ethnicis tragicos fortunæ ludos, ferocientibus in ſuum jugum populis, palamque ferro & igne bacchantibus. Unum ſpecta mihi ſæculum quod eſt à Chriſto nato tertium, invenies illic pluſquam quinquaginta principes qui Romani imperii faſces attigere potius quam tenuere, cruentâ morte ſublatos. At in noſtris annalibus omnes ferè reges vitam placida tranquillitate decurrunt, & ſuo fato de rebus humanis excedunt, refloreſcente in filiis vita, nunquam emortua dignitate: niſi fanatici nebulones errore religionis illuſi, poſtremos reges feraliter confodiſſent, vix ulla exſtaret libati de regio latere ſanguinis apud nos memoria, tot ſæculis tam placida ſerie defluentibus, & nulla hujuſmodi labe maculoſis.

Jam populos ſi ſpectes, longe fiunt imperiis per Chriſtianos ritus aptiores, ſi quidem illa rebellium animorum immanitas qua tam ſæpe regna concutiuntur, divinis legibus arcetur, quæ dominis etiam dyſcolis præſtari obſequia per Apoſtolum jubent. Concordia verò civium quæ eſt ſalutis fundamentum, firmatur per legem amoris in noſtris diffuſam pectoribus, retinetur

Populi per ritus Chriſtianos aptiores ad regnum.

tinetur compreſſa dominandi atque habendi ſæva libidine, quam lex Evangelii funditus evellit. Tolluntur injuriæ, contumeliæ, & ſemper inſidioſa civili vitæ rapacitas.

Ipſa etiam auſterioris vitæ rudimenta contemptores deliciarum animos grandibus negotiis & curis apparant. Tradunt militiæ non comatos aut unguentatos, ſed navos, ac fortes, per calcatã mortem ituros ad decus. Ipſa denique regni cœleſtis impreſſa fidis mentibus ſpecies non leviter ſtimulat animos ad audendum paratos, non magis ſecuritate conſcientiæ, quàm illecebra gloriæ.

Vid. Molin. tract. 2. de Iuſt. & jure diſſ. 106.

Grande iter ad palmas Chriſtiana lex aperit.

Parum dico. Chriſtiana lex ſi quibuſdã Theologis credimus totum aperit orbem, palmas, & triumphos, agitantibus. Siquidem Antonius, Sylveſter, Innocentius, major, & Alphonſus à Caſtro bellum juſtũ inferri gẽtibus putant, ſive ob idololatriã, ſive ob criminum immanitatem quæ naturæ lumini penitus adverſantur. Sic eas licitè puniri, ſic noſtrorum armis cum laude & celeberrima gloria ſubjugari credunt. Præit in iſtis, ajunt, divina vox quæ toties Chananæos, Jebuzæos, Moabitas, Ammonitas, non diſparibus flagitiis implicatos Iſraëlitarum armis deleri juſſit.

An juſtè omnes infideles imperiis à Chriſtianis poſſint ſpoliari?

1. Cor. 5. 12.

Nimis latè iſtud quidem, nam ſi Paulus de iis qui foris ſunt nolebat judicare, neque ſummus Pontifex, neque Imperator, aut Rex quilibet Chriſtianus externa regna invadere ad puniẽdos indigenas poſſunt, ob flagitia & nefarios concubitus, aut alia hujuſmodi vitia, cum nullam adverſus eas Deus juriſdictionem cœleſti voce ut olim Moſi, Gedeoni, Samuëli, & aliis conceſſerit.

Molina.

At ubi contigerit innocentes à ſæviſſimis & infidelibus Tyrannis opprimi, & mactari, tũ ea lege qua cuique Deus mandavit de proximo ſuo, poſſunt Chriſtiani duces armis laceſſere ſævientes, nõ ut eorum opes & fortunas per avaritiam diripiant, ſed ut graſſantem per ſcelera injuſtitiam comprimant. Quod ſi pertinaci voluntate & indomitâ malitiâ reſiſtant, ferrum & ignes immedicabili ſæpe ulceri juſtis de cauſis adhibentur.

Sic olim Hercules, ſic antiqui heroes, tot nefaria capita cruore humano ſaginata meſſuerunt. Sic Galliæ & Hiſpaniæ Reges Saracenos & Longobardos Eccleſiæ perſecutores ſumma cum laude ſpoliatos ſubjecere. Cumque rariſſimum ſit ut infidelium domini in tanta corruptionis labe, ita ſint compoſiti, ut non multa committant per injuſtitiam & ſævitiam; inde fit ut ad tam Illuſtres laureas ingens ſemper pateat campus in quo decurrere noſtrorum virtus poſſit.

Objicitur imperii forma apud Chriſtianos Reges aliquãdo ſcrupuloſa. Reſponſio

Reſtat imperii forma quam nimis fortaſſe mollem & ſcrupuloſam adverſarii dictitabunt, Chriſtianis ſæpe Principibus per nimiam religioſitatem in ſocordiam lapſis.

Non imus inficias pleroſque ad arctiorem vitam, nimis forte effuſo pietatis ſtudio defluxiſſe. Sed neque hanc educationem unquam probarim in Rege, neque ulla Eccleſiæ lex exigit, neque in popularium mores transferri ſanus quis optaverit. Tale autem regnum volumus, in quo religione magis quam ſuperſtitione Deus timeatur, in quo nec enervis probitas, nec improba licentia, in quo ſplendor & honeſtas ab imperantibus in omnia mẽbra diffundatur: in quo ſit decora majeſtas, nec ſegnis Juſtitia, placidus terror, & in civilibus vitæ officiis præſtans gratia: in quo timeri & amari regnantes poſſint, in quo commodè & laxè non flagitioſè, aut petulanter ſubditi vivant.

Sunt

Digitized by Google

triti, Tyrannos triginta paſſi ſunt qui Regem unum ferre non poterant. Tandem poſt varios æſtuantis fortunæ ludos in Macedones, deinde in Romanorum poteſtatem devenere.

Spartani Spartani quoq; libertatis tenaciſſimi initio fuere, poſtea non tantum unus ut cæteris gentibus, ſed bini Reges ex duabus familiis præfuere. Nemo duos in mundo Soles ferre poterat, niſi lumine & calore diminutos. Temperavit Lycurgus viginti & octo Principum virorum Senatu inſtituto. Nec tamen ille diu ſtetit authoritate inconcuſſa, additi Ephori populari ingenio & turbidâ dominatione adverſus ipſos Reges ſævi.

Romani. Nec deſultorium iſtud adminiſtrandi genus effugere Romani, apud quos regnatum primum à Regibus ſeptem per annos ducentos & quadraginta quatuor: Hos ſuperbia & libido faſtigio depulere. Creati Conſules gemini, iidem qui tyranni vindices. *Florus lib. 1.* Ex perpetuo annuum placuit, ex ſingulari duplex imperium, ne poteſtas ſolitudine vel morâ corrumperetur. Viſa optimatum factio nimis potens, expreſſus per ſeditionem Tribunus, magiſtratus Plebejus, ſæpe adverſus Senatores inſolens. Dein anno urbis 303. potiti rerum Decemviri quorum nomen & faſces infamiâ polluit Appius ingenuæ virginis amore incenſus quam pater ſtupro ſurripuit, ferro confoſſam, ne libidine tangeretur. Mox facti Tribuni militum conſulari poteſtate, qui nec diu ſtetere, redditis conſulibus quos poſteà jus dictatorum, deinde ſumma Imperatorum poteſtas abſorpſerê.

Unde regnorum viciſſitudo & varietas gubernandi. Unde quæſo tam varia Magiſtratuum viciſſitudo? niſi quod durum eſt homini adverſus homines imperium, niſi ſapientiâ & ſuavitate mitigetur. Regere & regi ex iis ſunt, inquit Ariſtoteles, quæ neceſſaria habentur apud mortales. Sed tamen undique ſe quaſi ægri verſant in lecto triſtes & avidi, donec quies optata ſurrepat in illa cœleſti regni Dei quam quærimus tempeſte.

De ſtatu Monarchiæ. Monarchia optimus omnium ſtatus creditur & jure, à viris ingenio & prudentiâ excellentiſſimis. Obſtant tamen multi qui Rempublicam ab uno regi oneroſum regenti, ſubditis periculoſum putant. Nihil ſummũ, ajunt, fecit in rebus humanis, qui ſummus eſt: Sed nec facere poteſt. Deo enim ut nihil deeſt, ſic nihil abundat, nec habet unde generet alium æqualẽ ſibi, qui ſit naturâ diſtinctus. Ipſa quæ cenſentur in orbe maxima, ſuos habent pares, cum quibus componantur, & validiſſimis viribus ab externo divina vis temperamenta diſpenſat. *Nihil Deus fecit ſummum.* Sol qui ſiderum, cælique rector celebratur, qui temporum vices annumque renaſcentem ex uſu naturæ moderatur, cũ tanta poſſit, non poteſt omnia. *Plin. l. 2.* *Omnis natura poteſtas cum libramento eſt.* Habet (ſi credimus aſtrorum peritis) ſuos adverſarios quorum maligna vi beneficæ lucis favor hebeſcit. Ignem ſuperis inferiſque terribilem tam mites aquæ ſuffocant, tam fluidum elementum necat. Æſtuoſi maris obices ſunt arenæ, ferrum rubigo conſumit, & culices vim leonum exercent. Non omnia in noſtris corporib. bilis velox & ignea poſſidet: ſed nimias ejus vires cæteri humores mitigant adeo nullam exſtare ſine libramento potentiam prudentiſſimus mundi arbiter voluit.

Gentiles vix Monarchiã in cœlo imaginati. Mirum quod hebes & infirmus in religione æſtimanda gentilium animus, nec ſibi de Deo hoc perſuaſit ut eſſet ſine rivali. In partes eum digeſſit fragilis, & laborioſa mortalitas, quod unius ſummi ſola cogitatione mens obrueretur. Deinde nõ pavemus (ajunt) eſſe aliquid in humanis im-

Digitized by Google

Difficultas in Monarchia. imperiis omni vinculo abſolutum? Quis animus tanto oneri ſuffecturus? Quæ vis tam diſperſa cogat, tam cõfuſa diſtinguat, tã obſcura illuſtret? *Cogitationes mortaliũ timidæ (inquit ſapiens) & incertæ providẽtiæ noſtræ. Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* *Sap. 9. 14.* Etſi ingenium adſit, ubi pectus tanti faſtigii capax, quod levitas non inflet, quod tumor nõ elidat? Homines ubi ſe permiſere fortunæ, naturam dediſcunt. Neſciunt quam frivolis orti ſunt principiis qui à ſe oriri putant omnia. Saginata tot deliciis voluptas, tot adulantiũ obſequiis tumens ambitio, facilè in feros mores degenerat. Quicquid lubet volunt qui ſe omnia poſſe cõfidunt. Inaudita atque inauſa ſecuritas impunitatis facit, nec fræni ulli ſunt, ubi ſumma licẽtia, & timor nullus. Anceps ille rerũ ſtatus, ubi voluntas pro ratione, nec ratio pro duce, ubi res, honor, & vita mortaliũ ſtat aut cadit unius arbitrio, & quæ miramur omnia tam tenui ex filo pendẽt. Nec magni naſcuntur animi, ubi faſtigia timere potius, quam ſperare neceſſe eſt.

Defenſio Monarchiæ & Ariſtocratia damna. Hæc in deteriorẽ partẽ accepta jactantur aliquando ſpecie magis quã ſubſtantia veritatis: Nec enim ſtatus ullus anguſtior aut melior, quam ſub bono Principe. Quã ſæpe in Ariſtocratia emergunt multi, & mali, atq; dũ unus evitatur ſcopulus, brevia & Syrtes undiq; alliduntur. Primùm non eſt ſecura in tot inęqualib. nimis rigida rerum publicarum æqualitas. Habent ſuæ magnitudinis ſenſum qui plurimùm ingenio, divitiis & authoritate poſſunt. Pruriunt aviditate dominandi, amant honores gerere, geſtos odêre. Pudet non eſſe quod fueris, cum te quod non eras, eſſe aut virtus, aut favor juſſerit. Timent ſubiici qui alios ſubjecere. Quęrunt non quam rationem reddant, ſed ut omninò non reddãt. Hoc tentavit in Græcia Alcibiades, Cæſar in Italia & in imperio fecit. Turbulentæ ad Magiſtratum viæ tam multis in unum ſcopum collimantibus & ſæpe deteriores elevat popu'aris aura, magnanimos & probos deſtituit. Ingreſſus ad dignitates tumidi, præcipites digreſſus. Ingratæ & contumelioſæ civitates in celeberrimi nomini viros: aut hos audacia juvat, aut illas ignavia polluit, tam ſæpe fuſo heroum ſanguine.

Tot dominatoribus amici multi, qui ſe offenſos putant, niſi ex eorum libidine gerantur omnia. Hiat aliorum avaritia, aliorum ſitit ambitio: utraque de publico ſatianda. Quid referam conſultantium rixas, & toties ventilatas in concionibus faces, dum ægrum civitatis corpus per diſſidentium jurgia laniatur, & conſulere ſe quiſque dum occidit putat.

Quo ſubtiliores eo magis timẽdi. Diſputare malunt quã prodeſſe, oſtentatores ingenii, inimici veritatis. Erumpunt in odia ſimultates, Senatus factionibus undique ſcinditur, & plurimùm poteſt qui plurimũ audet. De pugnis fiunt bella civilia, quibus Curia campus eſt, & arma linguæ, & præda res opeſque tot infelicium.

Interea plebs eſuriẽs in Patritios flagrat invidia, & ſe inertibus cõtumeliis vindicat quãdiu eſt invalida: ſi pollet viribꝰ, omnis illi potẽtia furor eſt, nil aſperius humilibus quos in altum ſors evexit. Subeundi tunc viles dominatus, eòque tumultuoſi & ſęvi. *Populi dominatio timenda.* Inde rapinæ, & cædes, & depreſſa ſummorum faſtigia. Si res turbidæ, lacerantur immaniter omnia, furentibus ſine modo. Si proſperæ, ſaginâ luxuriant deſides animi, & armis intacti fœdè ſternuntur à vitiis. Si qui in rerum publicarum vicinia Reges, ægris oculis aſpiciunt popularis ſtatus felicita-

Digitized by Google

citatem, & armis domitos longè duriùs tractant quam qui ſe ultrò dedere. Quandò hæc non ſunt experti qui ſine rege vixere, & quoties per implexa diſcrimina jactati?

Reſpub. diu & ſeliciter conſiſtens ingens miraculum.

Si qui diù ut Veneti reſtitere, miracula ſunt potiùs quàm exempla. Benè omninò ſibi conſulunt qui cœptam ab initio Rempublicam, acri ſedulitate retinent & omnes ambitioni ſpinis aditus ſepiũt. Sed hęc cœleſtibus curis atque æternæ providentiæ amori debere ſe magis quam humanis ingeniis lubenter agnoſcunt.

Non tamen optima Monarchia præſtantior.

At licet omnia in hoc ſtatu ſpecioſa ſint, neſcio quid tamen amplius & diviniusin rege, qui ſit legis interpres, non dominus. Longè clarius fulget collecta in unum Majeſtas, quam ſparſa in ſingulos. Imago Summi Numinis quam in dominante quęrimus, promit ſe in uno puris & vibrantibus radiis expreſſa.

Regia adminiſtratio nis ſplendor & utilitas.

Vides ut tot ſtellis nox illuminata nihil ad diem, nihil ad Solem, cum de ſuo ſuggeſtu oritur tanto luminis ornatu, tanto inceſſu, & tam magnifica ſpectantibus pompa, qua ſupera omnia ridẽt, colluſtrantur infima. Sic in optimatum ſtatu, tot capita minutæ ſunt faces, quas regia claritudo, magna vi fulgoris obſcurat. Hic eſt ordo cæli & mundi, in quo mẽs una ſuprà omnes eminet, tota ipſa in toto, origo & manceps divinitatis.

Hæc ſæculorum ab orbe condito ſeries, hæc in gente Dei ſtetit adminiſtratio, in qua ſemper unus aliquis ex Patriarchis & Judicibus, tamquam ſidus effulſit quod reliqui ſpectarent. Hic mos ab innitio gentibus, hic clariſſimorum populorum ſenſus. Pauci qui ſine rege, & iidem ſine lare, ſine legibus, ſine veſte & frugibus, ad pecudum vitam abjecti. Ipſi quoque Ariſtocratici acri ſtudio in Rempublicam propenſi, uno aliquo qui inter cæteros emineat, carere non poſſunt.

Neque tantùm in hoc imperio major honeſtatis ſpecies, ſed & uberior fructus utilitatis. Rex enim qui modo ſenſum habet aliquem bonitatis, tenerius amat ſubditos quos in ſuum veluti patrimonium immobili lege transſcriptos, & penè in ſua viſcera tranfuſos ſentit. Hos ſibi ſervat, ſuis liberis ſervat. In iis peti ſe & periclitari, in iis vivere & regnare ſe etiam in poſterum videt. At qui ad breve & incertum tempus gerendam ſuſcepere Rempublicam, non nati ſed lecti, novercali ſæpe omnia ſtudio curant, tueri ſe quod habent non poſſe certò ſciunt, cui relinquant incertum: ne inimicis, aut ingratis, timent.

Si pax eſt, & de rebus civilibus conſultari oportet, ſæpe tumultuoſa & confuſa plurium conſilia diſcutit radius de Principe, de Deo: nam (ut loquitur ſapiens,) *divinatio in labiis regis.* Si bellum ingruit unus pro decem millibus Rex eſt in exercitu, qui curat, qui jubet, qui diſpenſat, per quem quieſcunt Præfectorum æmulationes & rixæ, per quem milites ardent, nitent arma, volant ſigna, & uno aſpęctu animantur omnia.

Prov. 16. 10.

Negotia quæque optima felicius tranſigunrur ſub Rege. In Republica moroſos & lentos habent exitus. Per Monarchiam in imperium ingreſſa res Chriſtiana. Aſſerere Chriſtum Tiberius à Senatoribus prohibitus: Conſtantinus ſine ſenatu fecit. Omnia in regno auguſtiora, nam & præmia benè meritis, auget munificentia regalis, & proſtratis benefica vis clementiæ laxius occurrit.

Tertull. in Apol.

Digitized by Google

Si Rex optatus contigit, quid viſu dulcius? ſi durus, acuit ſubditorum virtutes, ne felicitate corrumpantur. Si pravus affert in morte remedium, qui vulnus intulit in vita. Sæpe enim eo de rebus humanis ſuo fato decedente in melius mutantur omnia: at quæ inoluere in Republica peſtes tenacius hærent diutiuſque propagantur. Denique hoc ipſum imperii genus Homerus laudat, probat etiam Plato, & ne diſcurramus per ſingula, Hebræi hominum ſapientiſſimi cum eſſent à regibus deſtituti, extremis jam temporibus, ſceptrum & coronam ad laqueare Synagogæ appendebant, de maximis rebus conſilium inituri, ut ſub umbra Regis viverent, qui regnum jam amiſerant. Neque tamen hæc à me velim ita dici, ut Reſpublicas optimè conſtitutas non vehementer probem, retinendaſque judicem, iis qui ſemel aſſueverunt. Nos quidem ſub Regibus optimis nati, divino gaudemus munere, nec tam querendi quam gratulandi locum habemus. Dicent tamen illi qui ſævos tam ſæpe ſunt experti dominos, quàm exitiale ſit ſummam eſſe potentiam quæ ſit deterrima. Itaque nemo non laudarit maximam eſſe in maximis regnis temperiem, qua Rex ſplendide, populi commodè vivant: unde & Plato dixit ſibi optimum gubernandi genus videri in quo concinnum eſſet ſummi imperii cum populari utilitate temperamentum.

Authores ſummi pro monarchia.

Plato in Pol Rex. Θεὸς ἐξ ἀνθρώπων νομεὺς καὶ τρόφος ἀγέλης ἀνθρωπίνης. Item 3. de Repub. Regia poteſtas eſt optima & omnium æquiſſima, quãdiu legibus continetur. Optima politia. τῆς μοναρχικῆς, καὶ δημοκρατικῆς μεσεύντα. Plato de repu. l. 6.

* * *

DISSERTATIO SEPTIMA.

De fine quem intendere debeant regnantes.

In illa verba. *Tu feciſti cum ſervo tuo David Patre meo miſericordiam magnam, ſicut ambulavit in conſpectu tuo, in veritate, & juſtitia & recto corde tecum.* 3. Reg 3. 6.

OMNIA in rebus humanis per finem incipiunt. Spectandum quò tendis antequam tendere aggrediaris; nec enim ullæ actiones conſtant ſibi quas non ſcopus aliquis allicit, aut terminus circumſcribit. Benè omninò triplicem eſſe in mundo finem veteres Philoſophi dixere, magnitudinis, perfectionis, & intentionis. Magnitudinem cum tota ſua mole terminat punctus, perfectionem facit decor abſolutus, intentionem bonum ſtimulat, & blandâ quadam illecebrâ provocat.

Finis triplex.

Et in bonis quidem unũ eſt utile quod non per ſe appetitur, ſi recto appetitur ordine: alterum honeſtum quod animum capacem mentis, & lucis rapit & implet. Huic ſuccedit delectabile in quo totius appetitus quies & amabile ſilentium: per hos fines privata omnia & publica decurrunt, & ſi quid amatur in ſingulis quantò magis in Regno, Rebuſque publicis. Finem eſſe oportet in quem tendant, quem ſi præpoſtero confundant ordine, immaniter labefactantur omnia.

Rex Propheta & Pſaltes divinis Canticis ſæpe præfigit illã vocem *in finem*, qua cæteri monentur Reges, ſe ſuaque imperia, quæ ſunt veluti ſæculorum Cantica, cæleſti quadam ſymphonia in ſummum rerum conditorem, & totius harmoniæ patrem

Finis pro Titulo multis Pſalmis præfigitur.

Digitized by Google

patrem dirigere Præclarè iſtud Plato docuit in Politico, ubi duplicem notat eſſe univerſi motum, unum innatum, atque inditum à prima mente, alterum aſcititium. Hic vagus & incertus, ille temperatus & æquabilis Et primus quidem moderabatur aureum genus hominum, cum nullæ mortalium leges eſſent, quia ſcelera & flagitia nulla: ſed una lex regnaret in omnibus cæleſti manu ſcripta. Ad hanc ſe ultrò dirigebant curæ, & ſtudia, non ſuppliciorum metu, ſed amore virtutis. At poſtquã tranſilire fixos naturę limites humana cœpit audacia, omnia pejor in dies ætas concuti, & in exitium ruere vidit, attonitis ſuo errore hominibus, & ad peccandum magis quam ad corrigendum intentis. Si qui erant inter tam multa, tam præpoſtera, bonorum gemitus, dolores magis indicabant, quam vindicabant.

Plato in Politico, Mundi duplex motus ex Platone.

Mundi corruptio

Miſit (inquit Philoſophorum ſummus) Pater miſericors Politicem, quæ humano generi mederetur, & mundum tam ſæpe quaſſatum, ac labefactatum in ſedem priſtinam reponeret. Hoc igitur agit ut ſecundi illius motus per incuriam & malitiam invecti curſum impediat, legeſque incompoſitas ad primi numeros, Dei nutu tam aptè ordinatos conciliet, atque componat. Grande opus, nec mortali tentandum manu, niſi rurſus ad mundi gubernacula divina vis excubet, Regeſque & magiſtratus in omnia dirigat.

Reformatio per Politicen.

Hoc Rectore diſcunt imprimis optimum finem ſibi in rebus adminiſtrandis præfigere, quo omnes conatus, omnium vires & actus animantur. Hujus ignoratio perversè omnia confundit, ubi per invia penè æternus error, nec ulla lucis ſemita apud rebelles luminis. Alius ſibi dominatum promittit, ut latè regnet, ut immanẽ per calcatas cervices ambitionem agat in immenſum. Alius ut inani pompâ tumidus ſe oſtentet, ut auro luxuriet ac gemmis, ut grandi ſervitio & ſatellitibus innumeris circumſeptus incedat Alius ut ſe in profundas libidines immergat, & poteſtatem ex dubia illa & inopi tot pudendarum voluptatum copia metiatur: Alius ut ſubigat, ut ſpoliet, ut exſcindat, ut luxuriantem ſuo flagitio iracundiam miſerorum cruore ſatiet.

Initium à fine, ſine quo omnia confuſa.

Iob. 24. 13.

Ipſi fuerunt rebelles lumini.

Fines perverſi dominantium.

Quid aliud leones, quid aliud conchatis caudæ voluminibus Pavones, quid aliud feri ſues & rabie tigres incitatæ facerent? Qui ſic vivunt, ſic dominantur Principes, lacera ſunt mente, fluctuante fortunâ, & vitâ ſemper odiosâ. Deinde quam futili oblectamento mercantur illos iræ theſauros, quos impiis, minatur Apoſtolus. Qualem igitur mihi ſtatuis imperiorum finem? Hunc ipſum quem David Rex ſapientiſſimus ſibi præſcripſit. Ambulare in conſpectu Domini, in veritate, & juſtitia: Hoc eſt omnia ad Deum moderatorem ſummum referre, ſtare in vera Religione, inconcuſſo gradu, & juſtitia populos continere, atque defendere. Hunc Plato ante Chriſtum non niſi cum Chriſto vidit, quando dixit. *Hanc eſſe primogeniã & æternam rectæ dominationis ideam, ut Rex, ſive Magiſtratus piè juſtè, ſapienter ex legum præſcripto, non ſummo ſtrictoque jure ſuo, homines in concordiam & felicitatem coagmentet.*

Rom. 2. Theſaurizas tibi iram.

Plato in Politico Finis regnorum quis eſſe debeat.

Habes quiſquis imperas paucis verbis magnum & illuſtre documentum. Monet te ut regnes piè ad Deum, juſtè ad homines, ſapienter ad te, & ad omnia. Quorſum verò iſtud? ut coagmentes non quidem lapides, & marmora, ſed homines in templum Dei, in concordiam qua vegetantur, in felicitatem qua complentur univerſa. Quoties ab iis diſcedis, toties erras, toties te, ut ait Paulus *doloribus inſeris*, toties in cæca ruis præcipitia.

1. Tim. 6.

Sed

Digitized by Google

An ſola felicitas temporalis Regibus ſit pro fine.

Sed quæret fortaſſe aliquis qualis iſta ſit felicitas quam terrarum Principes ſpectare debeant. Plerique ad terrenam tantum eos abjecere, celeſtem illam rati de ſola Pontificum gubernatione pẽdere. Et certè optimè dixit Gelaſius Papa ad Anaſtaſium Imperatorem. *Duo ſunt, Imperator Auguſte, quibus hic principaliter regitur mundus authoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas, in quibus tanto gravius eſt pondus ſacerdotum, quanto etiam pro Regibus vel legibus hominum, in divino ſunt examine rationem reddituri.* Duo illa imperia quaſi totidẽ maria Iſthmo quadam immobili, divina providentia diſtinxit, uni tribuens divina, alteri humana. Hæc ſi revellatur, immania inter ſe concurrent freta mundum aquarum eluvionibus hauſtura. Abſit ut Pontifices ſe terrarum omniũ Reges & dominos prædicent, toties de Tiara decerpturi, quoties de coronis extra Deum cogitant. Abſit ut Reges thuribulo manus imponant, & ſe capita Eccleſiæ in ſuo regno vendicent. Fecit hoc Angliæ Rex Henricus, infami documento, factus *teſtamentorum hoſpes, alienatus à converſatione Iſraël.*

Gelaſius in epiſt. ad Anaſtaſium.

Poteſtas Pontificum & Regum quaſi Iſtmo diviſa.

Epheſ. 2. 12.

Reges ut adminiſtri pietatis debent populos in cœleſtem quoque vitam dirigere.

Nimis tamen abjectum eſt cogitare Reges Chriſtianos iis tantũ curis eſſe diſtringendos, quibus ſubditorum corporibus & fortunis ſerviant, & naturæ ſuppeditent quo laxè & commodè vivat. Non brutorum, ſed hominum paſtores à Deo deſtinati ſunt: Habent & ipſi æthereos ſatus & ad cœleſtem civitatem pertinent. Quis vetat quo tendunt alios dirigere, non ut Pontifices, ſed ut juſtitiæ & pietatis adminiſtri. Certè ſi omnia nobis naturali lege decurrerent, & nulla ineſſet æternorum cogitatio præmiorum, tamen humanæ menti ſtatim Deus occurreret, ut prima lux, & primum rerum conditarum principium; Tum incumberet in Principem ex naturæ lumine Deum venerari, ritusque deſtinare quibus vel ipſe fungeretur, vel fungi alios ad cultum numinis diligentiſſimè curaret. Quantò igitur rectius Reges noſtri ſuos cives ad germanam Eccleſiæ fidem, & æternam ſalutem, qua legibus, qua exemplis, quà opibus, qua authoritate debent dirigere? Quanto melius ſtudẽt obſequiis avitam religionem demereri, ſartos tectoſque ſacerdotes exhibere numini cui deſerviunt, & legitimis erga illos officiis devincire populos.

Si ſacra nihil attinent ad regem, cur Salomoni tam operoſa principis illius terrarum templi cura demandata? cur tanta ædificiorum molitio? cur veſtium & vaſorum tam exquiſita ratio? Si ſacra nihil attinent ad Regem, cur pro Eccleſia Cõſtantinus, Theodoſius, & tot religioſi Principes armis, animiſque tam conſtanter laborarunt? Cur Conſtantini filios allocutus Julius Firmicus dixit, *Erigite vexillum fides, vobis hoc divinitas reſervavit, veſtra felicitas cum Dei honore conjuncta eſt.* Cur Chriſtianiſſimi Reges vagos & exules Sũmos Pontifices tam ſæpe & tanto conatu in ſuam ſedem pene humeris reportarũt? Omninò ſpectandi ſunt Principes noſtri, non tanquam profani homines, ſed ſacri, ut quibus ungi, & quaſi ſacerdotali ritu veſtiri etiam dum inaugurantur, contingit. Spectandi ſunt quaſi impietatis vindices, defenſores Eccleſiæ, piorum omnium protectores, qui ſecundum Conciliorum Pontificumque ſanctiones populos regant, & in beatiſſimam illius quam in cœlo expectamus, civitatis ſocietatem, magnis itineribus curſiſque glorioſis deducere non deſiſtant.

Digitized by Google

DISSERTATIO OCTAVA.

De Modo Imperandi.

In illa verba. *Tu paſces populum meum Iſrael.* 2. Reg. 5 2.

Difficultas regendi hominis Philoſophi multi inertes Legislatores avidi.

ARs artium eſt regendi hominis tenere modum. Hoc per tot ſæcula concupivere multi, factitarunt pauci; nulli ſine Deo confecerunt. Et naturam quidem à ſuo curſu detortam Philoſophi ſenſere, omnes illi verba, nulli opem ſatis efficacem dedere. Avidius in legiſlatoribus agendi, reformandique ſtudium. Hoc Soloni inſaniam perſuaſit, Zaleuco effodit oculum, Lycurgi cineres demerſit in mare. Una cunctis ambitio, ſua venditare pro veris, perſequi homines documentis, & reluctantes ſubigere. Inde tanta in omnibus gentibus præceptorum & legum coacervatio, in quibus multa futilia, pleraque etiam nefanda.

Legum humanarum præpoſteritas.

Nullum pene ſcelus quod non aliquo gentium inſtituto ſancitum fuerit. Vorare parentes mortuos, necare filios, ſorores conſtuprare multis non pudor, ſed lex fuit. Tot medici circa laborantem naturam morbos auxere potiùs, quam doloré lenierunt. Juvat aliquando ſpectare tot facies imperiorum, tot regendi modos, & noſtra cum externis componere. Inde apparet quantum lucis tam caliginoſo mundo Chriſtus profuderit.

Gubernandi varii modi.

Patriarchæ & Iudices.

Prima gubernandi ſpecies magis ingenua, & ſimplex, nondum fucata tot artium coloribus mente; qualis in Patriarchis & Judicibus, de pompa minus, plus habuit de Deo. Succeſſit illi altera tumens, & ſæva, qualis Aſſyriorum, Perſarum, ubi omnia penes unius arbitrium. Ingens faſtus dominantium, iners vita, pompæ & ludis nata. Juſſa adverſus ſubditos aſpera, immanes reluctantibus pœnæ, paucorum favor, omnium fermè dura ſervitus, fortuna nutans, adulatio præpoſtera, vita ubique miſeranda. His artibus adhuc regnant orientales domini Scythæ, Japones, Indi, Turcæ, quaſi fatalia ſint ad ortum mancipia.

Aſſyrii Reges primùm deſpoticè gubernarunt.

Modus ſcrupuloſus Ægyptius.

Alius modus eſt ſcrupuloſus, & perplexè ineptus, qualis olim Ægyptiis fuit, tam ſtultè circa beſtiarum cultum laborantibus, & per tot legum, tot cæremoniarum minutias ꝑtate cõtritã. Multos in novo orbe populos fœda hæc contagio adhuc exurit, Sacerdotibus omnia dirè per religioſa ſcelera tractantibus. Nec alia res Indicarum gentium ſalutem efficacius promovit, quam tædium acerbæ ſervitutis, Regibus tam ſæpe litantibus ſanguine miſerorum.

Indi.

Græci.

Ingenioſiores in omnibus Græci purius aliquid ſpiraverunt, nec tamen deſtinata perfecere. Plato verè divino vir ingenio, Rempublicam pinxit potius quam inſtituit. Multa quidem in ea excelſa, & admiranda, ſcriptis potius tradita quam moribus. Sed cum vehementi ſtudio omnia in unum coagmentare ſtudet, civitates ipſa ſui communione divellit. Communitatem omnium bonorũ ſtatuit, nec uxoribus quidem exceptis, quod tanti Philoſophi pudicitia videtur indignum & dictu etiam fœdum. Si tantus unitatis amor, laudanda certè ejus calculo civitas erit, quæ redibit in unam familiam, & familia quæ in unum hominem: & jam nullum erit quod erit commune omnium.

Plato deſtruit rempub. dum nimis aſtruit.

Ariſt. l. 2. Polit.

Theologi quidam hoc modo beatitudinem ſtultè ſtatuere.

Hoc genio plerique Theologi dum nimis acui videri volunt, facti ſunt exiles. de ſummo bono diſſerunt quaſi de re non noſtra, & nos dum ſummè beatos cupiũt. miſer-

miſerrimos efficiunt. Deos ſtatuunt qui homines eſſe deſierunt. Siquidem ajunt per ſummam cum Deo unionem deperire hominis ſubſtantiam, totamque transfundi in Deum. Magnorum ſæpe virorum eſt extrà rerum limites ferri, quibus inter ſumma & præcipitia nihil ferè medium: longè temperatius dixerunt & melius, qui privata eſſe in civitatibus bona voluerunt ut ſubſiſterent communia, & per diviſionem cœtus hominum congregarunt.

Spartani reipub. Platonicæ affines.

Eſt tamen huic Platonicæ affinis regendorum hominum apud Spartanos ratio, & ſæpe nimio rigidæ ſeveritatis amore luxuriat. Ex unâ enim parte videas homines tonſu, veſtitu, inceſſu, præter modum aſperos, quibus à puero familiaria ſunt, jejunus venter, nuditas pedum, auſtera Syſſitiorum diſciplina, inſtantes miſeris conviviis pædonomi, continuum inſeris conviviis pædonomi, continuum innocentiſſimarum etiam voluptatum exilium, expers divitiarum vita, laboribus & curis ſemper affixa, nonnunquam etiam plagis objecta & ludibriis moroſulæ ſenectutis, ut nihil in ea dulcius eſſet quam exire.

Ex altera parte licet intueri malarum incentiva libidinum, luctantes cum fœminis viros, & pudendam caſtis mentibus nuditatem, uxores laſcivientium probris objectas, incertam & promiſcuam ſobolem, furta laudata, ſi clanculum fierent, & punita ſi deprehenderentur. Omnia fermè honeſtis tam indecora, & tam indigna ſanis, ut furere eos omnes æſtimét, niſi furoris author fuiſſet qui putabatur eſſe ſapientiæ.

Athenienſium modus vagus & inconſtās

Athenienſium quoque fuit alius & longè diſpar adminiſtrandi modus, vagus ſiquidem ille, & deſultorius, prurientibus undique ſtudio novitatis ingeniis, quibus exitioſa fuit ipſa fœcũditas. Tot magiſtratuum nomina, non tantùm obſequentes, ſed diſcentes etiam fatigatura, tot legum millia, tam improbè reciprocantibus cõcionum flabellis ventilata, tanta in comitiis levitas, tam vitrei ſummorum hominũ favores, & exitus tam miſerandi, ludorum & ſacrificiorum amor immẽſus, ſegnities ingenioſa, condendæ potiùs quam tuẽdæ Reipub cura, multum denique ſpirare, & parum poſſe, diſcordes ubique animi & in ſuam perniciem potentiſſimi, dum libertatem artius oſculantur, elidunt.

Carthaginenſes toti ad ſeveritatem compoſiti.

Longè alii Carthaginenſium mores toti ad ſeveritatem compoſiti, nihil in hac Repub. leve, nihil puerile, omnia ad antiquã diſciplinã exigebantur. Licuit Alcibiadi tam ſpectato Principi apud Atticos nugari, avem deferre in ſinum, & quidem ad populum concionaturo; hanc cum forte de manu ludentis evolaſſet concitato curſu plebs effuſa rapuit, & reddidit poſſeſſori. Tolerandum hoc apud facetos ludiones, ſed ſi quid ſimile Carthagini tentatum fuiſſet, diſcerpſiſſent quem ſibi putaſſent his nugis illudere. Rari inde in hac urbe tyranni, raræ ſeditiones tumultuſque populorum, ſed timenda ingeniorum aſperitas, & quidam horror imperii.

Roma antiqua.

Antiqua Romanorum Reſpublica plus habuit juſtitiæ & integritatis nondum Græcorum legibus & deliciis delibatis, nondum populante luxu & victum orbem vindicante. Erat in pelliris hominibus purius naturæ lumen, nec ſagina, nec vitiis obſoletum. ſed deerat ſplendor & majeſtas, quæ poſtmodum tot ſecum ſcelera tot ruinas traxit. Qualem igitur inter tot facies exiſtimamus optimam regni conſtitutionem? Lubet S. Auguſtinum audire qui libro 2. de civit Dei, magnos illos Politicorum antiſtites Romanos inducit, qui Chriſtianis rebus inſultant, & magnificam imperii ſpeciẽ effingunt. Stet (ajũt) res,

Politicorum quorumdam regendi forma. Lib. 2. de civ. Dei cap. 20.

Digitized by Google

riæ, numerentur ætates, inveniemus non prius bellis laboraſſe populos, quam criminibus.

Hebræorum Imperium cladibus afflictiſſimum. Hebræi ſub Judicibus varia fortuna conflictati, rara quæ riſit, dura & juſta quæ afflixit. Ubi primum Reges res ſecundas libare cœperunt, tepore & ſocordia tranquillitatis in vitia reſoluti, deflexerunt ad idola: Tum ſtatim Deo miſericorditer ulciſcente traditi in prædam barbaris, ut per res arctas & triſtes redirent fugitivi numinis, qui per læta diſceſſerant. Primum à Chuſano Meſopotamiæ Rege octo annorum ſervitute preſſi, cùm Judex datus Othoniel libertatem quadraginta annis moderatus, Egloni deinde Moabitarum Principi per annos octodecim ſervierunt, ab Aodo per audax facinus liberati: Mox à Jabino durius oppreſſi, cum libertatis artifices fœminas Deboram & Iahelem nacti ſunt. Succeſſerũt tam ſævis perſecutoribus Madianitæ, & Ammonitæ, quibus Gedeon & Iephtes clariſſimi duces oppoſiti. Omnium tandem acerrimè ingruunt Philiſtini Saülis clade nobilitati, quos vix Davidis feliciſſima virtus cervicibus humanis depulit. Poſt Davidem & Salomonem ſtatim bello per viſcera graſſante inſurgunt in Judam fratres Iſraelitæ; tum ambos populos jam cultu & legibus diviſos, atrociſſima vis Aſſyriorum & Ægyptiorum fœdis direptionibus uſque ad internecionem incurſat.

Ratio cladis Hebræorum. Et ſtupemus ultores nunquam defuiſſe iis, quibus ſcelera nunquam defuerunt. Quod in veteri teſtamento, Deus ſanxerat, inſtauravit in novo: furoris ſui virgas deſtinavit imperiis, felicitate, & gloria luxuriantibus.

Chriſtiana imperia pari jure caſtigata. Vix deſierat Cõſtantinus cum patre diſpar filius Conſtantius, fœda hæreſis labe infectus, majeſtatem regni transfert in ſæva Arianorum patrocinia: Strident Epiſcoporum catenis ergaſtula, deſertæ prius inſulæ ſanctorum frequentantur exiliis: undique vis, & intentus in cervices innocentum mucro: Tandem furenti in Chriſtum, Chriſtus opponit Iulianum hæretico Apoſtatam; infidum Deo, nec regno diuturnum. Redit ſtatim ad Chriſtianos imperium, nec tamen redit Conſtantini fides. Iterùm inſanit Valens Arii ſignifer in ſanguine ſacerdotum. & dum flammas vomit in Deum, flammis Gothorum incenſus eſt, imperio non tantùm afflicto, ſed lethaliter concuſſo.

Reddiderat omnia ingens Theodoſii virtus, verùm poſteris nec vis eadem, & longè diſpar felicitas. Arcadius Chryſoſtomi perſecutor, ignorando magis quam ſæviendo: Honorius vita mollior, & faſtigio ſuo impar. Valentinianus per inertiam & luxuriam totius decoctor gloriæ. Lacerant inde Romam Wandali; Gothi poſſident. Vix duo ſæcula ſub Catholicis imperatoribus Roma numerabat cùm tranſlatum eſt in alienam gentem Occidentis imperium.

Græcorũ imperiũ perverſiſſimum. Nec mitiora fuerunt in Orientali fata, niſi quod ruinas traxit diutius; & toties cecidiſſe viſum eſt, ut durius caderet. Quem indignatio non accendit relegentem Græcorum Imperatorum facinora; tam ſocordi vita, tam fœda libidine, ingenio tam mobili, impietate tam audaci, & audacia tam cruenta? Quis alius tot ſceleribus expiandis debebatur niſi Mahumetes? Dirum ſanè Chriſtianis portentum ſupra omnium ſæculorum memoriam & metum.

Mahumetes vindex. Emerſit initio ſæculi ſeptimi peſtifer hic Arabs, obſcurâ vitâ, tenui fortunâ, potentiâ primùm debili, ſuperſtitione callidâ, Neſtorianæ hæreſis fætus, & immanis ſectæ novus author. Poterat comprimi, poterat opprimi nullo negotio, ſed

maximo fructu. At Heraclius imperator dignitatis immemor & officii, Eccleſiaſticis curis diſtringebatur. Monothelitarum hæreſim ardentiſſimè promovebat circumtonans omnia terroribus & minis, dũ ſe Arabicus hic turbo ex Africa Orienti inferret, dum minax urbibus & provinciis inſtaret. Conſtãs paternæ hæreſis fautor, Eccleſiam immanitate barbara perſequebatur. Martinum ſummum pontificem de ſede Petri detractum & flagris ſervilibus conciſum, ludibriis & ſquallore carceris vexabat. Deſidere oportuit in tãtis criminibus celeſtem manum, & numen otioſum ſpectare tam pudenda? fecit quod facturum ſe toties per Prophetas dixit, vocavit *ſanctificatos ſuos*, ut loquitur Iſaias, feros nempe populos quos iræ ſuæ adminiſtros deſtinarat, concuſſit ſanctuariũ Turcæ Scythica gens, Arabum ſuperſtitione infecti florentiſſimas imperii Romani partes attrectant, & paulatim delibant ipſam gloriæ ſedem. Græci quos tot portentis afflictos reſipere oportebat, ſcelera non tam cumulant, quàm vincunt ſceleribus.

Conſtantinopolis libata primum à Turcis deinde capta.

Poſtremis etiam temporibus Palæologi Imperatores cum Agarenis fœdera ineunt, & oſtendunt Chriſtiani nominis hoſtibus, quibus artibus poſſint ſubjugari. Animatur tandem ad obſidionem Conſtantinopolis Bajazethes, quem Tamerlanes ab imperatore Emanuele evocatus ſtupendis viribus perdomitum, & triumphatum, per totam Aſiam in cavea feræ inſtar ad ludibrium circumvexit. At Joannes Emanuelis filius ſuſpectam habens tam prodigioſam Tartari potentiam, miſero conſilii errore à ſervatore deficit ad proditorem, Calepino Bajazetis filio occultis artibus ſociatus: fovebat ſcilicet ova ſerpentis in ſe & in ſuos peſtilenti veneno eruptura. Nam Mahometes ſecundus toties libatam Conſtantinopolim tremenda omnibus obſidione cepit. Moxcum eis ſucceſſorum armis Europa poſt Aſiam immaniter quateretur, Chriſtiani Principes feralibus diſcordiis ſciſſi, per mutua ferrum agebant viſcera.

Bajazethes.

Deinde miramur Turcicum imperium quod ipſi fecimus? Nondum in iſto noſtram manum, nondum luctuoſam criminum noſtrorum potentiam agnoſcimus. Debuit ſcilicet Deus Chriſtiana cumulare regna victoriis & opibus, ut haberet avaritia quod raperet, luxus quod evomeret, impietas quod ſacrilegio pollueret. Miniſtranda fuerũt arma furori, & pabula libidini, ut eſſe providentia crederetur in rebus humanis. Libet hîc cùm Salviano exclamare. *Miramur ſi miſeri qui tam impuri ſumus, ſi bona noſtra poſſident, qui mala noſtra execrantur. Nil eſt in nos crudelius nobis, quibus ipſa pœna criminum, ſit mater vitiorum.*

Turcicũ imperiũ Chriſtiani fecere.

Salvian lib. 7. de gubern. Dei.

Addam etiam aliud Turcicæ illius potentiæ argumentum: verſant urſæ regna, ut plerique ſapientes dixere, non quia cæleſtium urſarum moveantur influxu, quod exiſtimavit Cardanus, ſed quod per ſeptentrionales populos urſæ obnoxios crebrò factæ ſint imperiorum converſiones: unde & ab Aquilone pandi malum ſuper omnes habitatores terræ ait Propheta. Inde Cimbri, Hunni, Alemanni, Gothi, Wandali, Nortmanni, Sueci, Getæ, Tartari & tot diluvia gentium quibus jus in armis, & orbis terrarum præda. Placuit numini feros quoſque potiri rerum, ſive, quod eos Cæli rigor, & inclementia ſoli rebus aſperis aſſuetos ad labores militiæ duraverat, paratos omnia audere & pati, ſive quod vindicandæ erant orbis proſtituti deliciæ, pellitis hominibus & agreſti victore. Nec certè irato Deo aptius telum occurrebat, quo ſuorum elatas cervices,

Alia ratio Turcicæ potentiæ.

Verſant Urſæ regna.

Ier. 1. 13.

Populi ſeptemtrionales Domini terrarũ. Cur?

ces,

ces & immanem arrogantiam contunderet.

Rota cæleſtis verſat ima ſuperis. Eccl. 24.

An & rota illa cæleſtis quæ verſat ima ſuperis, deſpectos erexit qui vaticinante Dei ſapientia *ſublimium colla calcarent.* Certè Ab arcto & Tartaris oriundus ille ferox Othomanus, qui de invadendo orbis imperio primus in ſua gente cogitavit, à quo nunc & Sultani ſedent terrarũ ſpoliis tumidi. Prima origo à Scythis, quos neſcio quo fato divina providentia deſtinavit imperiis. Regnum olim Aſiæ ter ſubegerunt ipſi perpetuo ab aliena dominatione aut intacti, aut invicti. Fecit hoc juſtitia gentis non ambitioſis culta legibus, ſed ingeniis, & vita circumacta plauſtris, luxus & cupiditatis expers. Hoc illis natura dabat ultrò, quod cæteri longa ſapientũ doctrina dicunt potius quàm aſſequuntur. Darium regem Perſarum cum ſeptingentis millibus in ſuos agros irrumpentis turpi fuga ſubmovere, Cyrum cum omni exercitu trucidarunt. Alexandri copias deleverunt, Romanorum arma audivere magis quam ſenſere. Vivunt adhuc in Turcis quædam hujus gentis ſemina, ſed longè deteriora, poſtquam per avaritiam & libidinem ſunt corrupta.

Iuſt. l. 2.

Tertia ratio faſtigii Turcici. Luc. 16. 8

Præterea certum eſt quod ait divina vox *filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.* Toti ſunt huic ſæculo, toti in carnem & ſanguinem projecti. Nec vitam nec felicitatem ullam in poſterum cogitant, quam quæ in opulentia & voluptate. Hanc armis quærere in præſens ævum, hanc in futurum cruore licitari dulce & glorioſum putant. Adjuvat ſuperſtitio quæ cæterarum gentium regna ſubigere, nullum pro dominatione ratum cum illis pactum, nullam fidem ſanctam habere, non tantum licitum, ſed honeſtum & cenſet. Rapinas ipſas, & cædes Chriſtianorum præmiis numquam poſt mortem defuturis, per magnifica ludibria liberalis penſat. Abundant omnia quæ parare victorias ſolent: Homines, arma, naves, pecuniæ, commeatus, diſciplina militaris. Summota ſunt acri cura quæ apud cæteros regna evertunt; Controverſiæ de religione nullæ, ſtolidè ritus ſuos mirantibus, potiuſquam diſcutientibus. Nec diſcutere quidem licet immanium terrore ſuppliciorum. Fratrum diſcordia tam ſæpe ſummis imperiis dira prævenitur infelicium cædibus & dominantis ſceptra fraterno cruore ſanciuntur. Nihil patitur inter ſubditos eminere, aut regem oportet eſſe, aut mancipiũ. Nihil in hac gente medium eſt. Unus omnium fortunarum, vitæ & necis arbiter, cui peſtifera vis ad nocendum, ad indulgendum rara aut nulla clementia. Sævitiâ regnatur, erga dominum omnes obſequioſi, contrà cæteros arrogantes. Delectus & educatio puerorum tota pro arte dominandi. Prima militiæ cura, & armorum exercitatio continua. Exercitus ſemper ad manum, quos ingentium prædiorum reditus alunt. Nihil in expeditionibus minutum, omnia grandia, nec multa ſimul, in unum acerrimâ diligentia intentis.

His artibus ſtare Turcarum potentiam, callidi æſtimatores putant, vellentque in noſtros mores ſi poſſent transfundere, quod noſtris ingeniis dirum, atque exoſum. Stent illa imperia quibus coaluere principiis: Noſtra quæ in humanitate fundata, nec fortunæ hujus æmula, nec atrocitati paria ſunt. Sed nec dominantibus fida, & fortè aliquandò infauſta. Sævior armis omnibus luxus & avaritia huic genti ſicut & cæteris incumbent, domitum orbem ultra. Alligabunt opes, enervabunt deliciæ, diſcordes cupiditate animi in diverſa rapientur, torpente jam quærendi

Non convenit Chriſtianis imperiis adminiſtratio Turcica.

Othomanis ut cæteris imperiis exitium undei

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

rendi cura, vel otii dulcedine, vel occaſionis inopia.

Tanta hominum multitudo quæ per vagas in multiplici conjugio libidines emergit, & regno, & ſibi erit oneroſa. Scindetur factionibus iners militia, ſæpe contra imperantes in otio ſæva. Nec eadem obſequia vitium ſuarum peritis, & duram jugi acerbitatem ſentientibus. Laxante ſe illa imperandi parendique tam arcta cōmiſſura, irrumpet audacia, & qui deſperationem clementiæ ſequitur furor. Subtrahentur parricidiis fratres, nec jam æquas cervices dabunt feralibus gladiis duces, in contemptum ibit agnita ſuperſtitio, ignorantibus ferox, ridicula gnaris. Erit & in mancipiis Chriſtianis è quibus delecta militiæ Turcicæ robora, ſui nominis & generis ſenſus. Exorietur è noſtris oſſibus ultor aliquis, qui incubantem jam laſſis cervicibus arrogantiam excutiat. Nec vana ſunt auguria. Jam enim corruptior vita, & diſciplina ſolutior. Ipſi principes per contumaciam & faſtidium hebeſcunt. Janiſſarii malunt ad Portam deſidere, ſaginare hiantem avaritiam, amoribus & rixis exerceri, quàm belli duros labores & præliorum incerta perſequi. Juvat incubare partis, nec fugientia tentare, per tot diſcrimina. Cepit ipſe Sultanus olim timendus omnibus, nimis timere, poſtquam Oſmanus per ſubditorum pollutas manus de ſuo faſtigio detractus eſt ad laqueum. Aperuit & recluſit ſequens ætas grande arcanum imperii, à tumultuantibus Prætorianis Imperatores poſſe fieri.

Hæc anno 1637. à me concepta: Eventus rerum in Turcis, per necem ſui Imperatorū, & confuſionem Imperii veriſſima eſſe docuerunt.

Deſinant aliquandò rebus Chriſtianis, obſtrepere maligni cenſores, nunquam nos Turcæ, ſæpe vitia noſtra vicerunt. Quid mirum ſi Græcos Imperatores tot flagitiis inquinatos, & tam inerti ſocordia proſtratos paulatim domuerunt? Hoc ipſum fecêre Galli noſtri, qui Conſtantinopolim infra paucos dies & copiis exiguis ceperunt; ſtupenda virtute, & incredibili celeritate. Omnia poſſumus, cum ſcelera nihil adverſus nos poſſunt. Vidit undecima ætas tremere ſub vexillis noſtris mundi cardines, & Agarenorum faſtigia ſub Lilio curvari, tot millibus cæſis, tot captis urbibus, recepta de cruentis hoſtium faucibus Palæſtina. Vicimus opera Gigantum, nec mortali manu fieri tum illa quis credidit. Quot homines, tot heroës putabantur de cœlo lapſi, qui Sarracenum imperium concuterent.

Turcæ nō Chriſtianos, ſed vitia Chriſtianorum vicêre. Gallorū virtus.

Nemo Alcoranum aptius Evangelio ad regnandum putet. Non fera vis, non aſtuta conſilia contra nos valuere, ſed iratum numen & abdita cœli myſteria. Placuit illi obſcuram gentem gloria & imperiis illuſtrare, qui ſolus eſt luminum & totius claritudinis Pater. Quis accuſet rerum dominum, ſua pro arbitrio diſpenſantem? Fuit fortè etiam aliquid in populo tā immani quod amaret. Fuit quædam umbra Iuſtitiæ, fuit religionis: nam quamvis à verâ fide alieni; unum tamen Deum credunt & prædicant, execrantur idola, de Chriſto magnificè ſentiunt. Regnare crucem ſinunt, ubi calcant imperia, nec pietatem avitam tollunt, qui bona noſtra ſuſtulere. Beneficus eſt Servator noſter non tantùm in ſuos, ſed & in exteros, in ſe ſuoſque aliqua ex parte officioſos. Sic Antoninum olim Imperatorem, ſic Alexandrum Severum, ſic ipſum Tamerlanem Chriſtiano nomini nō infenſos, imo benevolos, magnificentiſſima victoriarum gloria cumulavit. Penſari oportuit etiam virtutum ſimulachra, hujus ævi divitiis, in iis qui pares æternis non fuere: Finietur aliquando quod fini natum eſt, ſoli Chriſto regnorum debetur æternitas. Gothos dominantes, Italia ultra centum & quinquaginta annos non vidit. Unum cum paucis admodum

Penſare aliquid voluit Deus in Turcis gloria temporali.

Imperia rapinis conflata haud diuturna.

dum

dum annis ſæculū Wandali tenuere. Nec extra duo ſe Longobardi extendunt. Mahometes ipſe qui anno Chriſti ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo partem Imperio Romano decerptam per vim & artes ſubdolas occupavit, deſiit in Mahumete Abubalo, poſt annos fermè centenos & triginta quinque. Octodecim poſt eum Reges vix unius hominis benelongævi ætatem explevere. Trecenti tantum ſupra triginta novem ſunt anni, ex quo caput erigere Othomanus cœpit. Captam Conſtantinopolim nondum ſecunda ætas luget, nec opinor tertia videbit, niſi noſtris læva mens, & averſi à mente boni genii. Iam poſt Solymanum, poſt Naupactum hujus imperii, gloria defloruit, infracta per Chriſtianos victorioſiſſima clade lunæ cornua ingemuit Selinus; Amurathes tertius, centum & duorum liberorum pater, iners abdomen, torpuit potius quam imperavit. Mahumetes tertius matris interfector, criminibus notior quàm præliis. Achmetus nec virtute magnus, nec ævo diuturnus.

Turcico imperio finis divinus, niſi læva mens Chriſtianis.

Inde inter patruum & patruelem res ſciſſa diſcordiis & reciprocante fortunæ ludo, donec miſerandi juvenis fœdata cruore ſceptra. Nec mens nec regnum diu alteri conſtitit, vita ſegni atque ſtolida. Qui hodie regnat vexatur acerrimè Perſarum armis, majorum viribus impar, ſævitiâ non abſimilis. Expectant fata victorem, expectant Chriſtianos Principes, poſt ſopita diſſidia, quibus pudendo ſæculis omnibus errore conficimur, unanimi cōſenſu quemque è ſuis partibus irrumpentes. Nemo ſualerit quod olim actum eſt, numeroſos exercitus è longinquo tranſportare, fame & morbo, & ærumnis, antequam conſerantur manus conſumendos. Vexandus hoſtis è vicino, & variis præliis macerandus, donec conſternati pavore animi, averſum à ſe numen quod ſemper expectant, aliquandò videant, & amica vis ultrò recludat, quod maturantibus fatis, non temerariis viribus oportet eſſe pervium. Certe ſi noſtra ignoramus, ſtupidi ſumus, ſi querimur, ingrati. Stat adhuc res Chriſtiana Dei nixa manibus, & numquam ſi ſapimus convellenda. Stat inquam nec inops, niſi à ſe ſpoliata, nec deſerta, niſi à ſe proſtituta, ſemper victrix, niſi à ſe victa, numquam miſera, niſi tædio aut proditione felicitatis.

Regnabat cum hæc ſcriberem, jam deceſſit.

Audite terrarum Domini, audite Principes, quouſque diram gloriam per mutua quæritis vulnera? quouſque per calcatos populos, per laceum Matris Eccleſiæ pectus, & per tot pericula itis in ſummum periculum, ſive vos perituros vident aſtra, ſive perdituros ex æquo miſeri? Stat adhuc Conſtantinopolis ſuis trophæis imo veſtris ſpolianda: Stant Sultani veſtro cruore reſperſi, errant tot heroum umbræ nondum veſtris armis vindicatæ. Quin repentes germano ſanguine gladios in communem omnium hoſtem convertitis, ubi nec flentes lauri, nec indecoro tinctæ ruboie palmæ, ſed pretioſa parantur decora, & victurum cælo nomen aſſeritur?

Apoſtrophe ad Principes Chriſtianos.

DISSERTATIO QUINTA.

Quibus modis Poteſtas & Imperium comparetur.

In illa verba. *Domini enim ſunt Cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.* 1. Reg 2. 8.

AVIDA dominandi mortalitas per tot errores, ad maximum ſæpe venit errorem. Dulce & decorum omnes putant potiri ſceptris, & fulgore purpuræ acies hebetare ſpectantium, ſtipari ferro, auro luxuriare, militiæ domique omnia regere, & quid

& quid cuique fortuna deſtinet, ore ſacro pronûciare. Sed quantû ſit in regia dignitate, mali inexperti nunquam diſcunt, experti non dicunt, neutri ſatis ſciunt.

Regnantium cõditio miſera.

Benè certè Rex Antigonus dixit conſerta eſſe ex ſpinis Regum diademata, quorum ſi quis aculeos pervideret, ne oblata quidem ultrò de humo tolleret. Qui voluptariam in regno vitam conſectantur, vivunt ingenti ſocordiâ, puſilli, & contempti moriuntur, Deo & hominibus obærati. Qui ac re ingenium ad omnia intendunt munia, toto ævo curis exerciti ſunt, inter dubia ſemper jactati, inter proſpera & adverſa ſæpe contriti. Quicquid eſt boni breve & malignum eſt, lætis ubique inſidiante fortuna. Regna ſub Deo parari, & cum Deo regi oportet, ſiquid inde felicitatis ſperatur. Reges quaſi Terræ cardines orbem portaturi portantur in ſinu Dei. Omnia per obliquum irrepentibus, aut per vim injuſtam aſſerentibus coronas, turbida ſunt & funeſta.

Regna à Deo paranda.

Triplex via ad regna.

Triplici nunc fermè ad eas itur viâ, vel jure belli, vel naſcendi conditione, vel delectu. Ingens certè gloria comitatur heroas illos, qui de faucibus infidelium res noſtras eripiunt, qui Barbaros, Chriſtianorum divitiis ovantes conterunt, qui vexillum fidei erigunt ſuper calcata impiorum colla, & pollutas innocentium ſanguine terras, ſuis ſudoribus eluunt. His paſſibus abiere in cœlum tot invicti proceres, Godefridus Bullonius, Sanctus Ludovicus, Eleſbaam, Carolus Magnus, Alphonſus, Ferdinandus, & tot nota cœlo nomina. Rem autem augere de injuſtis Chriſtianorum ſpoliis, Chriſtiano Principi non tantum humile, ſed fœdum. Ablata quidem licet repetere, juſta juſto bello proſequi, indebita nunquam licet deprædari. Non eſt autem noſtrum quid cuique debeatur diſcernere.

Diſcrevit Deus ſua cuique jam longis firmata ſæculis, quis turbatum ierit poſitos à providentia limites? qui alienæ inſidiatur fortunæ, evocare debet in conſilium ſuum.

Contra eos qui jus naſcendi in imperio improbãt

Crebrius hodie Reges aut naſcuntur, aut eliguntur. Jus naſcendi Ariſtoteles & cæteri in ſuis politicis Philoſophi vellicarunt. Omnia, inquiunt, in rebus humanis ſolemus committere peritis. Nec filiis nautarum navim, nec medicorum valetudinem credimus, quos nomen aſſerit, prudentia deſtituit. Quis res opeſque univerſi tradat regendas illi, quem ars non fecit, ſed cæcus naturæ impetus effudit? Quantum hoc eſt fatorum ludibrium, ſi pueros, ſi etiam infantes, ferre oportet in cervicibus, quia nati ſunt, & nobis jus percundi, quia illis dominandi.

Pericula in electione.

Sed quicquid ardore declamandi nobis obtrudunt, jam ipſius Cornelii Taciti mens ſagaciſſima diſcuſſit, cum *tutius naſci principes dixit quam* aſſeri. In ambiguo eſt ſalus Principum ubi multis, & quidem improbis ſperare principatum licet. Ingens eſt ſcelerum illecebra, ſumma dignitate potiri per ſcelus. Ubi res natura diſpenſat, unus aut alter hæres timetur, qui faſtigio proximus; ubi ex electione pendent, tot ſunt metuendi, quot ſe pares imperio cogitant. In illuſtri exemplo eſt Romanum imperium. Tam ſæpe mutavit dominos, quam dominandi rabies varia fuit & inquieta. Unum ſæculum triginta ferme numeravit imperatores pleroſque factos, defectos, refectos, mirabili fortunæ ludo. Quis poteſt eſſe regni ſtatus tot intruſis, tot deſertis capitibus, & diſcordia per omnia Reipublicæ membra furente, ancipites electorum animi in quã partem inclinẽt neſciunt, tam ſæpe odio, amore, ſpe, diſcerpti. Adde quod non rarò deteriores eliguntur audacia juvante factio-

Digitized by Google

factioſos, & eliſa bonorum authoritate. Deinde qui per contentioſos aditus ad ſummam rerum devenere, adverſis partibus ſævi, omnem imperii fructum in vindicta ponunt. Rempublicam tractant tãquam alienum patrimonium, cujus nec poſteris uſum ſperant: in promptu eſt exhaurire omnia ut ſuas domos expleant: tot creditoribus obærati quot fautores habuerunt, de publico ſumunt quod ſolvant, nundinati à privatis dignitatem.

Naſcentiũ Regũ felicitas. Quanto igitur ſatius eſt digito Dei mõſtrari quem velit præſidere rebus humanis. Conſpicitur una domus quaſi vena purpurarum, & honoris ſacrarum colitur, amatur, optatur votis cõmunibus, & cœleſtibus auſpiciis. Inde heroum tot receptæ cœlo mentes, inde ſacra progenies ſurgit, cui Primum virtutis argumentũ eſt fides ſæculorum & naſcendi fœlicitas. Ardet in filiorum venis parentum ſanguis, & animatæ ſpirant mortuorũ imagines, ipſi infantium vagitus honori ſunt, ipſæ cunæ ſpes alunt populorum, ipſa crepundia delectant.

Ad ſummum hæc facies fuit regni Dei, hæc mens ſummi numinis in Hebræorum ſtatu, in quo Reges à Davide nati potius quam lecti. Conſpirant etiam hodie, ubi delectus eſt, in hunc ſenſum electorum ſuffragia. Siquidem ſe ad celebrem aliquam familiam ſtudiis applicant, rati conſenſuros omnes in quem cœli favor inclinat.

Occurritur adverſariis. Quod erat unum in hanc ſententiam adverſariorum telum, de pueris Regibus, aut de iis qui imbelli ſunt ingenio, vel etiam malis moribus affecti, infringi poteſt, ſi dixero, ſacrum illud oraculum, *Væ tibi terra cujus Rex puer eſt*, non tam de ætate quam de ingenio hominũ eſſe intelligendum. *Eccl.10.16.* An Reges pueros Salomon infauſtos crederet, qui ſciebat à ſe puero imperii gubernacula publica felicitate conſecrata? Quid illo in elidendo procerum contrà ſe conjuratione fortius? quid hac regni ſerenitate ſub eo fuit amœnius? quid opibus & gloriâ cumulatius? Delicias Deo faciunt innocentes infantulorum regum animæ, quæ prçſertim ſub optimis matribus adoleſcunt. Hinc ſexũ, hinc ætatem imbellem divina vis regit. Tota illis adeſt, quos ſibi totos deeſſe putamus. Diceres ad eorum pannos cæleſtes excubare virtutes, etiam feris hoſtibus timendas. *Reges pueri non ſemper infauſti.* Europum Regem in cunis Macedones tulere, cum Illyriorum arma contrivere. *Iuſt. l. 7.* Sub matre Ludovicus nonus Rex tenellus factioſorum Principum cõſilia diſſipavit, throno aſſertus & cœlo. Sub ſorore Theodoſius, ſub ſorore Carolus octavus, Puſiones ambo triumphavere. Fredegundam ſceleſtam licet mulierem filioli non deſtituit felicitas, cum ejus manibus perlatus in caſtra. Agrippina Caligulam in ſinu geſtans furentibus in cædes & rapinas ſeditioſis, lachrymas extorſit. Nuſquam magis favor numinis quam in iſtis totus eſt. Deinde ſi qui ex iis ætate, ſi qui etiam ingenio imbecilles? num ipſi, num ſoli ad gubernacula gentium ſedent? Nihil ſub optimis adminiſtris & ſinceris magiſtratibus de infantia, aut imbecillitate Principum timendum eſt. Quid ſi hæc aliter eveniant non jam infantium culpa, ſed regni in ſuã perniciem luxuriantis. Atqui ſi pravis moribus ſunt quos naſcendi conditio bonis etiam præfecit, ferenda ſors eſt cœli diſpenſantis, ut nives, & grandines, ut tonitrua, & aquarum eluvies toleramus. Hçc generis humani flagella, hæc luxuriæ in tot peſtes erupturæ fræna ſunt. Cum ſævit, aut cum parcit Deus exæquo bonus, quem venerari non judicare mortalibus ingeniis datum eſt.

DIS-

Digitized by Google

tes, tantum floreat copiis referta, victoriis glorioſa, vel (quod felicius eſt) pace ſecura ſit, & quid ad nos? Non jubeantur dura, non prohibeantur impura. Reges non curent quam bonis, ſed quam ſubditis imperent. Provinciæ Regibus, tamquam earum Domitoribus, & divitiarum ſuarum Proviſoribus ſerviant, eoſque non ſinceriter honorent, ſed nequiter, ac ſerviliter timeant. Nemo ducatur ad Judices, niſi qui alienæ rei, domui, ſaluti, vel cuiquam invito fuerit importunus, aut noxius.

Cæterum de ſuis, vel cum ſuis, vel cum quibuſcunque volentibus, faciat quiſque quod libet. Abundent publica ſcorta, vel propter omnes quibus frui placuerit, vel propter eos maximè qui habere privata non poſſunt; Extruantur ampliſſimæ atq; ornatiſſimæ domus, ubi opipara convivia frequententur, ubi cuiq; libuerit, & potuerit, die noctéque ludatur bibatur, vomatur, diffluatur. Saltationes undique concrepent. Theatra inhoneſtæ lætitiæ vocibus, atque omni genere ſive crudeliſſimæ, ſive turpiſſimæ voluptatis exæſtuent, & ſit ille publicus inimicus, cui hæc felicitas diſplicet.

Certè multorum adhuc è Chriſtiana gente animi toti in hanc ſpeciem propendent, quippe naturæ inerti & laſcivientibus ingeniis amabilem, ſed ut ait S. Doctor, quis hanc Rempublicam ſanus non dicam Chriſtiano, non dicam Romano imperio, ſed Sardanapali domui comparaverit?

Forma reipubl. optima, quæ magis æterna Dei legi conformis.

Nemo extrà Deum, de Deo rectè Philoſophatur, nemo de rebus politicis extrà ſummum principem, & primam legẽ ſatis aptè diſſerit. Revolvenda ſunt omnia ad ſuum fontem, ad Rectorem univerſi, ut commodè regi, ſapienter ordinari, fortiter etiam defendi poſſint.

An lex Moyſis hanc præſcribit?

Dicet igitur aliquis legem Moſaicam formam eſſe perfectæ & omnibus numeris abſolutæ adminiſtrationis, & quæ Deũ habeat authorem Sed quæ gens? quæ civitas? & ubi terrarum ille cœtus hominum (ſi Judaicam excipias pertinaciam) qui tot obſervationibus tam auſteris, & tam minacibus, non modo pectus conformare, ſed aurem quidem præbere velit? Præcepta ſunt pluſquam ſexcenta, multa de rebus, ut ajunt politici, minutulis, multa etiam horrida & ſæva, quæ non tam atramento quam ſanguine ſcripta videantur. Hæc cauſa Marcionem impulit ut divideret Deum, duoſque faceret duorum authores teſtamentorum, unum ſeverum, & atrocem, alterum humanum & mitem. Sed error hic eſt hominum, qui ab Eccleſia defecere, & qui, dum Judæos inſectantur, Deum cæcis ictibus feriunt, odio nocentium, ipſam exoſi innocentiam. Nemo enim ſanus dixerit malam fuiſſe legem à Deo bono, ſed erat rudibus ingeniis duriſque temporibus accommodata, quæ poſtquam per Evangelii lucem deſiere, já nec bona eſt, nec probanda. Unde clamat Petrus, *Quid tentatis Deum? imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Et Paulus, *lex pædagogus noſter fuit in Chriſto. At ubi venit fides jam non ſumus ſub pædagogo.*

Act. 15. 10.

Galat. 3. 24.

Rectè tamen notant Theologi præcepta legis Moſaicæ triplicis fuiſſe generis, alia ſiquidem erant moralia, alia cæremonialia, alia judicialia: ſecunda & tertia defecere, manent tamen in decalogo prima jure naturali fixa, & ſua ſede inconcuſſa. Et certè ut ex Oceano omnium ſcaturigo fluviorum, ſic ex illa immutabili lege omnia, quæ modo cum ratione conſentiunt, hominum inſtituta derivantur. Nunc autem non egemus Decemviris, qui peregrinas leges longe acceſſant.

D Omnia

Modus optime regendi in ſcriptu his temporibus non deeſt.

Omnia enim ſunt in clariſſimâ luce poſita, & prudenter à majoribus noſtris ordinata, non tam egemus præceptis quam exemplis, non tam ſubſtantia quam modo. Hic autem modus moribus gentium, hominumque ingeniis, ſagaci prudentiâ temperandus, ne dum lætam indolem à ſe detorquere conamur, naturam vexare, & cum Deo bellare videamur.

Qualis ſervãdus

Errant omninò qui Chriſtianis gentibus Parthicos, & Sultanicos mores inducunt, vel qui contrà, Sybariticas invehunt leges, ſua ipſarum mollitie diffluentes: Errant qui libertati natos & gloriæ populos in ſævum quoddam neceſſitatis piſtrinum compingunt. Hanc primam Rectori populorum Plutarchus legem ſtatuit, ut animos ſubditorum concilier, ut in eorum ſe pectus voluntateſque transfundat, latè dominaturus, cum doctè ſervierit. Ars enim imperandi maxima eſt, amare, & agere quod multis expedit.

Plut. de inſtitutione moderatoris Reipubl.

Ex iis quæ hactenus dixi, liquet varios eſſe regendi modos, & quidem inter illaudatos, ſuperbum, ferocem, ſuperſtitioſum, & perplexum, acrem, & præfervidum, ſquallidum, & jejunum, nimis ingenioſum & levem, ſolutum & mollem. Et ſi qui alii pejoris notæ, forma autem ſuis numeris abſoluta. Ea eſt, quæ paſtorē magis, quàm dominantem ſapit. Idcirco Regnatorum ſupremus, cùm Davidem Regem conſtituit, non dixit. *Tu Dominaberis*, ſed *tu Paſces*. Ea eſt, (ut paucis dicã, quæ fuſius poſthac poterunt explicari) ſimplex, honeſta, moderata, ſtricta, & conſtans. Simplicem dico non ignaram aut ſtupidam, ſed ſinceram, ingenuã, quæ ſit à tam variis hominum inventis defecata, & in primigenium luminis naturalis fontem nullis viarum anfractibus, ſenſim & molliter revolvatur. Certè enim primum criminibus, deinde etiam legibus omnes ferè populi laborarunt. Fecit hoc legiſlatorum multiplicium nimis ſagax curâ, & quædã ardoris intemperies. Concupivere omnia actionum momenta ad cenſoriam referre virgulam, parum abfuit quin ſingulos hominum paſſus numerarent, & quæ naturæ exigit neceſſitas, ex præſcripto fieri imperarent.

Regendi forma optima paucis expreſſa.

Fugienda multarũ legum cõgeries.

Inde tanta præceptorũ moles, tanta & tam variarum inſtitutionum ilias; ubique laquei, & compedes. Indoluit ſe tam importunis remediis natura curari, & nodos quos diſſolvere non poterat, abrupit. Quid enim aliud faceret, cum ea ferre juberetur, quæ nec numerando valuit percenſere? Omnia fermè quæ in artibus & ſcientiis traduntur, ſi ſpectes neceſſaria, pauca ſunt, & in naturæ majeſtate abdita. Sed dum leves & otioſæ hominum curæ iſta ventilant, diſtendunt ſimplicia, & lucida etiam obſcurant, opem paucis, crucem plurimis paraturi. Vexant ſæcula quæ nunquam viſuri ſunt, & ſudant, poſt ſe improbo labore ſudaturis. Ita etiam evenit in hac regendi hominis ſolerria, quæcumque ſalutaria ſunt & optima, latent in tam paucis præceptis quæ nobis Dei digitus exaravit. Sed poſtquam tot acuti legiſlatores, tot flagranti æmulatione doctores extendere cœperunt; ſuiſque inventis luxuriare, nullus illis imperandî, nullus docendi finis fuit, cum jam eſſet omnibus aut diſcendi, aut obſequendi.

Non hæc dico quaſi ſapientiſſimorum hominum oracula quę omnium approbatione recepta ſunt, parvi pendam, ſed ut futilium ingeniorum refellam ambitioſam luxuriem, qui regere ſe quod obruerent, exiſtimavere. Magna ſunt laborantis Reipublicæ judicia, multæ leges, magiſtratus nulli, præſertim cum illæ ſine obſequio, & hi ſine honore ſunt. Diminutio majeſtatis eſt ſancire non ſervanda, aut mutan-

Digitized by Google

mutanda facere. Quid mores gentium ferant, quid ingenia hominum tolerent, diu ſpectandum eſt illi qui leges inſtituit. Advocanda etiam in conſilium ſuperventura ætas, & cum humanitate tractanda. Conſtituenda ſunt ſolida potius quam ambitioſa, quæ ætatem ferant, & ab omni ferri poſſint ætate.

Honeſtas vitæ. Deinde neceſſarium omninò eſt ut hęc adminiſtrationis forma ſit in honeſtate fundata, ſine qua nec regnum, nec civitas, nec homo ipſe conſiſtit. Eſt autem honeſtas quædam dignitas virtutis, quam fama celebrat, quam ſequitur gloria. Præcipuum illi decus conciliant Religio & Juſtitia, quæ totam in ſe vim imperiorum æternitatemque complectuntur. *Religio & Iuſtitia.* Ad regnorum omnium conſtitutionem accedunt primæ, recedunt ultimæ. Nec illis quidem dilapſis ulla facies civilis vitæ, niſi per ſpectra & falſas effigies veri. Corruptos impietate & ſcelere magiſtratus ſequitur tabes populorum, & miſerandus ſtatus, cui ultima pernicies non tam differtur, quam trahitur. *Splēdor.* Ad Religionis & Juſtitiæ honeſtatem accedit quidam ſplendor vitæ, & decor ingenuus, qui ex illis efflorecit. Neque enim hic quidpiam volumus ſiccum, aut hiſpidum, Cynicis aptum potius hominibus quam triumphatoribus terrarum. *Moderatori Reipub inquit Tullius, beata civium vita propoſita eſt, ut ſit virtute honeſta, opibus, copiis locuples, & ampla gloria* Sedeat in Principe grandis apex majeſtatis, ſit Eccleſia ſpecioſa, nobilitas inclyta, magiſtratus verendi, populus nec inops, nec dejectus, ſed natura & ingenio bellicoſus, ſit pauperum cura: ſint agri culti & ridentes, domus exſtructæ, veſtis & ſuppellex non indecora. Floreant artes & commercia gentium, ſint ludi celebritateſque populorum, ſed hæc omnia Deo temperante, ſic miſceantur proſperis & adverſis, ut nec vitæ commoditas in luxum, nec paupertas in ſordes mœſtitiamque degeneret.

Lenitas regnantis. Tertio ſe loco offert moderatio lenitaſque regnantis, de qua poſt hac non pauca, & ſuo loco dicenda ſunt. Procul illa Neronum imperia ſæva, ubi ferrea lex, & nunquam niſi ſpoliis miſerorum magiſtratus aurei: ubi quod ſemel in Lucanis teſte Plinio factum eſt, quotidie renovatur; pluit ferro & ſævitia regnatur. *Quā deteſtanda regni forma, quæ ſæva & immitis.* Ubi grave & acerbum eſt populorum jugum, prædatio continua, exilia, proſcriptiones, ſtridores catenarum; immites pœnæ, ſupplicia horrida, & ipſi innocentiæ timenda, rictus in homine comedendi hominis capax, & quædam inferorum officina. Nobis qui ſub clementiori cœlo, & optimis moderatoribus ſæpius vivimus, hæc non ſunt formidanda. Sed tamen ubi accidunt in Chriſti gente, habet Chriſtianus orbis, quod deteſtetur, aut ingemiſcat. Nam ut ait Sapiens, *Leo rugiens & urſus eſuriens, princeps impius ſuper populum pauperem.* *Prov. 28. 15.*

At ſummopere cavendum eſt, ne dum nimia vitatur ſeveritas. Reſpublica in teporem mollitiemque reſolvatur. *Aſtrictā tamen eſſe expedit.* Aſtrictam eſſe oportet regni iſtius quod mente concipimus formā, & tenacem imprimis juſtitiæ, Nimis ſæpe multi declamant de clemētia qui res homineſq; neſciunt, & omnia ex ſuo ingenio nimis fortaſſe miti, & exarmato metiuntur. Non eſt hodie cum priſcæ ætatis viris commercium, in qua mores fingebantur amore virtutis, vel pudore flagitii. Sæpe colluctandum eſt cum gentibus aſperis & indomitis, quibus ad audendum projecta vis, & nulla pene ad reſipiſcendum conſcientia. Si quis omnia miti brachio in iſtis tractare velit, neceſſe eſt ut bonos quoſque direptioni, & ludibriis obiiciat, atque dum

clementiæ ſtudet, crudeliſſimus evadat. Vinciri igitur neceſſe eſt miti ſeveritate diſciplinam, in quâ nihil ſit aſperum aut ſęvum, nihil etiam ſolutum, aut luxurians. Ad hæc multum prodeſt quam ſupremo loco commemoravi, laudabilis conſtantia, eodem ſemper vitæ tenore perſeverans, qua fit ut aſſuetudine virtutis omnes in optimum vitæ ſtatum facilè perducantur, & cùm pervenerint, immoti conſiſtant.

TRACTATUS II.

De Moribus Principis.

DISSERTATIO NONA.

Unde tam pauci Principes inter Chriſtianos, bene morati deprehenduntur.

In illa verba de Salomone: *Depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos, nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut cor David Patris ejus.* 3. Reg 19. 4.

Regum mores ſunt fata populorũ.

MORES regnantium faciunt fata populorum, & quid cuique regno providentia deſtinet; legitur in vultu Principis. Atque ut teter ſyderum exortus, aut coruſcos fulminum jactus, aut ſęvos grandine & fœdos imbribus dies mortalibus pronuntiat: Ex adverſo autem, propitius Jovis, aut Veneris fulgor, placidiſſimæ nuntius eſt ſerenitatis: Sic in principatu res ſe habent, exiſtunt in Regibus etiam pueris abditæ mentis quædam ſcintillæ, aut infeſtæ, aut ſalutares, quæ ſpes aut metus ſubditorum non vanis auguriis portendunt.

Senſerat hoc Seneca cum teneris Neronis annis admodus, alere ſe leonem privatim amicis dixit, licet in publico perverſam vim ingenii in funera, & clades erupturam diſſimularet. Expetenda res omnibus, bene moratos rebus humanis præſidere Principes, ſed paucis admodum obvia, nec temerè quis dixit optimorum Regum qui per tot gentes, & tot hominum ætates extitere, nomina tam pauca inveniri, ut brevi annuli limbo contineri poſſint.

Reges optimi pauciſſimi in brevi annulo geſtari poſſunt.

Mirari ſemper occurrit tam variorum annales populorum relegentibus, tantam improborum congeriem, atque inter tot dedecora, tot maculas, tam rarum innocentiæ & virtutis decus. Certè ſi quæ ſpecies honeſta regnantis, debuerat imprimis effulſiſſe in populo Dei, ubi lex ſancta, & prophetæ magiſtri, & ſummus omnium inſtitutor. At verò quam multa in iſto regno dictu fœda, & aſpectu horrenda! Ex quadraginta fermè regibus qui ſive Judaico, ſive in Iſraëlitico populo regnarunt, vix inſontem unum reperias, præter Joſiam acerbo raptum fato. Totum cum eo bonorum agmen repræſentant David omnium maximus, Joſaphatus, & Ezechias, ſed nullius lux ſine nævo, fortè etiam in aliis gentibus aliquos ſat laudatis moribus invenias, ſed puſillos armis atque animis, nec grandibus curis pares.

Multi quoque in regno Dei perverſi.

Difficillimam rem eſſe ajebat Plato ingenium invenire ſimul magnum, & manſuetum. Ita & in Regibus arduum morum innocentiam cum celeri, & excelſa mente copulare: Plures tamen magnis facinoribus illuſtres, quam ſingulari vitæ continentia licet reperire.

Ingeniũ magnum & manſuetum vix eſt reperire.

Quæret igitur aliquis, unde tam rara virtutis, & magnitudinis ſocietas? & huic eſt in promptu ore Tertulliani reſpondere. *Omne animi bonum aut naſcitur, aut eruditur, aut cogitur. Sed ut mala magis vincunt, quæ ultimorum temporum ratio eſt.*

Tert. de Pudicitiã.

Regũ bonorũ raritas unde

Digitized by Google

eſt, bona jam nec naſci licet, ita corrupta ſunt ſemina: nec erudiri, ita deſerta ſunt ſtudia, nec cogi ita exarmata ſunt jura.

Et illud quidem cum privatis omnibus contingat, maximè tamen conſpicuum eſt in Regibus, quorum & licentior fortuna, & vita ſolutior. Licet enim in tantâ luce, & in ipſo gloriæ ſinu poſiti ſint, *Habitant*, ut ait Job, *domos luteas & terrenum habent fundamentum. Dele fucum*, inquit Bernardus *fugacis honoris, & malè coloratæ nitorem gloriæ:* Nudus egreſſus es de utero matris tuæ. *Numquid infulatus? numquid micans gemmis aut floridus ſericis, aut coronatus pennis, aut ſuffarcinatus metallis? Si cuncta hæc veluti nubes quaſdam matutinas exſuffles, occurret tibi homo nudus & pauper, miſer, & miſerabilis, homo dolens quod homo ſit, erubeſcens quod nudus ſit, plorans quod natus ſit. Quid enim calamitate vacat naſcenti in peccatis, fragili corpore, mente ſterili, cui infirmitas corporis, fatuitas cordis, cumulatur traduce ſordis, mortis addictione?*

Iob 4. 18. Bern. l. 2. de Conſider. c. 9.

Hominis miſeria.

Is eſt igitur humanæ naturæ ſtatus cœleſti calamo expreſſus, cui Reges magna ex parte ſunt obnoxii. Neque enim ullius illibatus eſt ſanguis, corruptis omnium in humani generis fonte ſeminibus. Et ſi quæ heroici ſpiritus venæ, ſæpe malignitate ſortis obturantur à poſteris, ſive luxuria vitæ ingeniis mortifera, ſive deſidis naturę miſeria, qua fit ut quæ ad ſummum producta ſunt, ſenſim in infimum relabantur.

Omnia fermè ingenia quæ lucem imperiis attulere, in ipſo exordio nata ſunt. Sic Cyrus, & Alexander; ſic Auguſtus Cæſar, ſic apud nos Clodovæus ingenti magnitudine præluxere. Poſteros diù majorum vita & fortuna deſtituit. Sed ne cuncta in cæcum abripiantur exitium, movet lacertos per temporum vices natura; & contra vim ſui funeris eluctatur. His artibus Traianos, & Antoninos, poſt Auguſti ſæculum, nobis quoque Carolos, & Capetos, ſicut Hiſpanis Alphonſos, Ferdinandos, & tandem Auſtriacos dedit: Sed timenda optimis etiam ſucceſſoribus ignavia, qua fit ut nunquam res ubi cœpere conſiſtant, ſæpe etiam ferantur in deterius, & ex avis ad patres, à patribus ad filios, & nepotes, nequitia tranſeat cum fœnore.

Reges fundatores imperii fere optimi, & clariſſimi à quibus poſteri degenerarunt.

Non tamen omnes.

Adde nunc ad hanc corruptionem ſeminum, deſertionem ſtudiorum, & culturæ inopiam, quæ non rarò principibus accidit, ſive negligentiâ parentum, qui teneram ætatem vexari, ſi excolatur putant, ſive puerorum mollitia, & excelſæ fortunæ innata deſidia. Vænantur eos à teneris unguiculis ſervi aut leves, aut infames, & vitiorum licentiâ nundinantur benevolentiam dominorum. Amari ſe putant dum primas flagitiorum illecebras prurienti in falſam libertatis imaginem naturæ ſuggerunt. & dũ trucidant, habentur obſequioſi. Inde fit ut luſionibus & deliciis occupati animi, & ab ipſo vitæ exordio peſtiferè obſeſſi, ad ſeria quæque nauſeent.

Principũ educatio ut pluriſmum mala.

Jam quod cæteros ferocia exultantes coërcet pœnarum & dedecoris timor, totum fortunæ licentia principibus eripit, niſi ſumma authoritate parentes nitantur in adverſum. Timẽdi etiam animoſis magiſtris à tenero jam ſævientes leunculi, quos ſortis indulgentia, & venalium domeſticorum infidus amor, tum venenatus adulatione ſermo magis accendit. Hæc Arſenium ab aulâ Theodoſii, & auribus Arcadii, hæc Arnulphum à Dagoberti palatio in ſylvas & latebras expulere, ratos dulcius eſſe ferarum quam ferorum hominum commercium.

DISSERTATIO DECIMA.

Fieri magis quam naſci Principes.

In illa verba. *Ego autem ſum puer parvulus ignorans egreſſum & introitum meum. Dabis ergo ſervo tuo cor docile.* 3. Reg. 3. 9.

Pub. Syrus. VEtus dictum eſt, *Virum bonum natura non ratio facit.* Sed dũ ablegata ratione naturæ lenocinatur, nec virtuti amicũ eſt, nec veritati. Habet aliquid ex Pelagiano dogmate hæc Stoicorum ſentẽtia, *Bonum non eſt à natura ſed gratia.* nam & ipſi ſæpe, quod ait Tertullianus, hæreticorum Patriarchæ. Non aliter Pelagius ad Demetriadem. *Tertull. adverſus Hermog. Pelagius ad Demetriad.* *Homines ſine Deo, inquit, oſtendũt quales à Deo facti ſunt. Eſt enim in animis noſtris naturalis quædam ſanctitas, quæ velut in arce præſidens, exercet boni malique imperium.*

Sed iſtos adoratores naturæ, contra naturæ Dominum, jampridem ratio vicit, Eccleſia damnavit. Clamat ſiquidem Arauſicanum Concilium. *Concil. Arauſic. cap. 7.* *Nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum. Si quis autem homo habet veritatem, ab illo fonte eſt quem debemus ſitire in hac Eremo, ut eo quaſi guttis quibuſdam irrorati non deficiamus in via.*

Nimis arrogantis eſt ingenii totum hominem naturæ committere, & id poſt naturam lapſam. Hoc eſt quod ait Dominus *Matth. 7. 16.* *quærere in ſpinis uvas, & in tribulis ficus.* Ad naturam ſi reſpicis nemo ſanctus, ad hominem ſi ſpectas nemo ſapiens. Hunc ait *Chryſol. ſerm. 40.* *Sanctus Chryſologus ſenſus fallit, ignorantia decipit, circumvenit judicium, põpa ludit, tẽpus deſerit, mutat ætas, hebetat infantia juventus præcipitat, ſenectus frangit.* Quis fidat ingenio tam infido?

Indoles in pueris. Hæc à me tamen ſic dicta velim, ut nemo negare me exiſtimet eſſe in hominibus indolem, ſeu quamdam propenſionem ad varias rerum ſpecies, ortam partim ex cœli aſpectu, ſolique conditione, partim etiam ex parentum ſanguine. Et hæc quidem apparet in pueris, ut in ſpeculis longe diverſa. Alia enim eſt acris & igne quodam volucris, alia marcida & ſtupens, alia ſuavis & amœna, alia tumens & rabioſa, alia mitis & exarmata, alia proterva & procax, alia pudens & honeſta, alia in ventrem projecta, & in libidinem præceps. Tanta varietas ingeniorum, quanti luſus colorum in Iridis ſpeculis, aut in conchatis pavonum caudæ voluminibus.

Non inficiamur magnum illud quidem & primum inter cætera naturæ ornamenta Dei donum, naſci felicem: ſed iſtud quærimus an benè nati ſuo ingenio relinquendi ſint, ſine ullis, aut paucis doctrinæ adminiculis, & utrum etiam in cultura ingeniorum ſit efficacius, an indoles prodiga & læta? an inſtitutio prudens & compoſita? *An educatio indolem ſuperet.*

Primùm illud certum eſt tria ad educationẽ concurrere, naturam, doctrinam, & uſum. *Plutar. περὶ παιδ. ἀγωγῆς.* Natura ſine doctrinâ cœca eſt, doctrina ſine natura, defecta. Uſus ſine utraque imperfectus. Auſim dicere naturam etiam fortunatam ſine duce & præceptis obeſſe magis, quam prodeſſe. *Natura felix ſine duce dãnoſa.* Quò enim ingenium acrius eſt, aut fœcundius, eo facilius ut bonorum etiam agrorum inculta, inutili ſegete luxuriat. Nulli omninò tam vehementes affectus, tam verſatiles motus, quam celerrimis mentibus, quæ niſi temperentur, vivace in ſuam perniciem flamma ſeipſas exhauriunt. Inde omnia regnorum portenta, præſtantibus animis per avia ſine conſilio ruentibus. Itaque mediocri ingenio multi inſtitutionem magnam nacti, in viros maximos evaſere, qui verò maximi naturæ *Ingeniũ mediocre cum cultura*

præ-

Digitized by Google

maxima bene cedit. præſidiis exiſtimabantur, in fumos evanuere.

Conſuetudinis vis. Fortior ipſa eruditio eſt uſu firmata, quia natura nos ſemel gignit, conſuetudo quotidie mater eſt. Natura (ut ait *Syneſius in Hymnis.* Syneſius) cœca potentia eſt: *ἀλαωπὸς βλάστημα.* inſtitutio multum oculata, & ex optimæ cujuſque naturæ contemplatione diligenter erudita. Illa rarò ex omni parte bona eſt, & ſi cui felix obtig't, facilè levi etiam contagione fœdatur, ut tenelli flores qui in diem vivunt, & quavis aurâ læduntur. Hæc tota coaluit ex præceptis ſapientum, bonarum malarumque rerum ſciens.

Pone mihi ſi vis aureos Junonis partus, cæleſti ingenio præditos inter barbariem incultam, ſine magiſtro, ſine civilioris vitæ inſtitutis, ſtatim feris imbuentur moribus; At ſi fuerint optimis præceptis exculti, expaveſcent ad objectam dedecoris ſpeciem, reſilient, & in ipſum confugient ſapientiæ ſinum. Quod ſi virtutem dediſcant, hos ætas flectet, uſus corrumpet, improborum commercium inquinabit. Nihil hîc opus eſt Lycurgi catulos commemorare, eadē indole, diſpari magiſterio, quorum unus ad oblatum leporem, alter ad patinam proſiluit. Vicit tota *Conſuetudo naturæ affabrefacta.* Lacedæmone, ſpectante cōſuetudo naturam. Nec mirum, eſt enim affabilè facta natura, ſibi ſemper inſtans, & eò ducens qua cœpit.

Inde apparet quanta parentibus præſertim Principibus incumbat neceſſitas curandi, ut liberi quos regno naſcendi conditio deſtinavit, optimis præceptis à teneris imbuantur. Sic enim fit ut matrum ubera juxta Canticum, ſint veluti *acervi tritici, vallati liliis.* *Cant. 7. 2.* At ſi contrà res eveniat iidem equi inſtar Trojani, Principes dabunt flammam & perniciem gentibus illaturos. Quum deploratam Judæorum Rempublicam divinus Iſaias ſignificare vellet, dixit, *Vbi eſt literatus? ubi legis verba ponderans? ubi doctor parvulorum?* *Iſa. 33. 18.* Fœda quippe calamitatum congeries erat nullo ſapiente nullo juventutis moderatore Nec immeritò Gymnaſia puerorum in ſacris literis turres nominantur, quaſi futura civitatum propugnacula. Ipſi tenebrarum filii, in hac re ſemper oculati. *Cant. 4. Ex Hebræo de turre David constructa, ad diſciplinas.* Nam & Romulus urbem terrarum dominam fundaturus, parentibus imprimis cōmendavit filiorum educationem: *Halicar. 2. antiq.* Nec Athenienſes volebant patrem à filiis ali, qui nullam eos artem doceri curaſſet, ut naturæ privaretur beneficio, qui culturæ ſuos deſtituiſſet. *Vitruvius in Proœmio l. 6.* Caveant tamen Parentes, aut moderatores, omnia ſic ad inſtitutionem referre, ut nihil ex alto, nihil à Deo putent expectandum: *Deus enim* (ut ait S. Paulinus) in Natali S. Felicis.

In omni
Fons opere, & finis faciens bona, factaque ſervans.

Ab eodem Salomon, non à Magiſtris, licet Prophetis, cor docile poſtulabat à quo habebat imperium.

DISSERTATIO UNDECIMA.

De Inſtitutore.

In illa verba. *Fecitque Ioas rectum coram Domino, cunctis quibus diebus docuit eum Iojada ſacerdos.* 4. Reg. 12. 2.

OPTIMA ſpes educationis magna ex parte eſt penes inſtitutores, quorū vitia & virtutes in alūnorū mores influūt. Tanti olim fecere præſtanti virtute Præceptores, ut eos Patres animorum nō verentur appellare; *Præceptores animorū Patres.* multi etiam cum tutelarium geniorum honoribus conjungerent. *Clem. Alex. Strom. l. 1.* Theſeo ſacra facturi Athenienſes primam pervigilii libationem Coronidæ ejus moderatori deſtinaverunt. *Vt Heroes coluit.* Liberi patris-

patris templo ſacerdotem maximum ejus pædagogum ſoror Minerva præfecit. Idé ipſe cor alumni gypſo incluſum, & pro errore gentium conſecratum, perenni cuſtodia ſervavit, ut quod præceptis vivum inſtruxerat, eo etiam dictante mortuum coleretur.

Jul. Firmicus de errore prof. gen. c. 19.

Proclivis via eſt ad perniciem populorum, malus aut inutilis Rector appoſitus moderandæ principum juventuti. Non aliter Heliogabalus res humanas exſcindere deſtinavit, geſtiens habere filium quem faceret ſuorum flagitiorum heredem. Magni quique viri quos ſæcula ſuſpexere, magnis quoq; moderatoribus ad tantum decus effloruere. Atlantem ſuum jactat Hercules, Phœnicem Achilles, Alexander Ariſtotelem, Plutarchum Trajanus, Alcuinum Carolus Magnus. Carolum quintum Hiſpania Gallo inſtitutori debet. Is erat Antonius Corvius, quem Ludovicus duodecimus Rex Franciæ, tutor relictus à patre, tam altæ indoli præpoſuit. Delectu hîc opus eſt non promiſcuo, aut levi. Ambiunt ſæpe hanc provinciam Viri nobilitatis gloria tumentes, & prudentia deſtituti & datur unius nomini, quod perit omnibus. Nec navim regẽdam, nec corpus ægrum generis claritati, ſed peritiæ credimus, cur ingentia pignora tam vigili ſapientia, tam acri cuſtodienda cura, ſpecioſis & inanibus titulis committemus?

Inepta curatoribus adhibendus magnus delectus Lampridius.

Fuere qui ſæpe regios pueros alendos in Anachoretarum depoſuerunt ſinu, piâ ſed imprudenti cura. Habet enim hæc educatio neſcio quid molle & imbecillum, quod acerrimis regnantium ingeniis non reſpondeat. Inde fortè tanta in imperatore Arcadio mollities, quod eum Arſenio ſylvis potius quam aulæ nato inſtituendum Theodoſius pater dediſſet. Nec negatim tamen Epiſcopis, aut etiam religioſis hominibus, formanda in Rege prima morum tyrocinia rectè mandari. Sed eos eſſe oportet non dejecta pietate, & in ſuperſtitionem prona, rerum etiam aulicarum ſcientes, qui regem appareant non clero, ſed imperio.

An bene credatur principes Anachoretis alendi.

Timendi omninò ſunt impii, & parum in rectâ fide caſti, hinc enim dulcia bibuntur venena, & puerorum inſtillantur auribus quæ regnorum exitia meditentur. Nõ alia res Julianum Imperatorem perdidit, quam quod Libanio præceptori eloquentiæ principi, ſed idolorum mancipio, tam frequens inhæſit. Vitandi leves, & infames, flagitioſâ aut etiam ſocordi vitâ: ſed maximè factioſi, qui de principum inſtitutione ludunt, & mores deſtruunt, ut fortunam ſtruant, proditores blandi, qui per ſpeciem venerationis compilant ſanctuarium. Plerique etiam ſuſpecti fuere parentibus, cum ſcelera occultis artibus agitarent, cæca & fragili puerorum benevolentia ad audendum illecti. Faceſſant hinc malæ artes, & mala nomina. Admoveatur educando Principi vir lectus inter millia, virtute inclytâ, famâ integerrimâ, peritus aulæ, ſed in aulâ innocens, multarum rerum notitiâ præſtans, ingenio moderato, vigili prudentia ſpecie honeſta, ætate etiam maturâ, & valetudine tantis ſuffectura curis, cui mores ſine avaritiâ, mens ſine ambitu, congreſſus ſine faſtidio, ſtirps generoſa, familia laudatiſſimè compoſita, & præcipua omnium approbatio.

Præceptores impii cavendi.

Julianũ Imperatorem Libanius perdidit.

Ablegandi improbi & factioſi.

Moderatoris virtutes.

Quæſitum eſt à prudentibus an unius humeris tantum committatur onus, aut partitus in multos præſtet labor. Certè nemo probaverit tumida Perſarum magiſteria, qui tot penè præceptores Regum filiis adhibebant, quot ſunt virtutes. Importuna tot hominũ in uno pectore formando congeries, nec teneræ ætati tolerãda.

An multi moderatores adhibendi.

randa. Adde quod multorum capitum diſcordes ſententiæ dubiam indolem trahunt in diverſa, & quaſi ægrum corpus plures medici remediis nocentibus fatigant. Cyro tamen ajunt quatuor Præceptores fuiſſe, unum qui religionem patriam doceret, alterum qui virtutes, tertium qui leges, quartum qui armorum peritiâ inſtrueret. Aptior Neronis educatio Burrho, & Senecæ commiſſa, quorum ille militia, & conſiliorum laude clarus, hic eloquentiæ & optimarum artium gloria cumulatus. Conſpirabant æquè in omnia decora, concordes amborum curæ, lætiſſimis principiis, ſed corruptiſſimum in ſemine adoleſcentis animum fatalis ſummis imperiis ſumma criminum licentia pelſum dedit.

Cyri & Neronis educatio.

Rectè omninò duo inſtitutioni Principum præponuntur quorum unus moderatoris, alter præceptoris partes tenet. Ille ex equeſtri genere, principale regimen ſubit, Principis vitam & caput ſervat, gubernat familiam, actiones diſpenſat, aulam docet & arma. Hic pietatem & claritudinem ſtudiorum inſinuat, Expedit ambos eſſe placidâ mente, & ſummo animorum conſenſu, ne qua Zelotypiæ labes diſciplinam illinat: ſint etiam affectu in alûmni eruditionem propenſo, nec tamen conatu ambitioſo, qualis eorum eſt qui ſe nimia ſedulitate oneroſos potius quàm utiles præſtant. Suggerere curent utilia, non ingerere ſuperflua. Non aucupentur frivolis rebus pueri benevolentiam, aut ſtudeant ad ſe allicere quod totius regni bonum eſt. Parentibus ſinceris potius obſequiis quàm indulgentia placeant. Principi nec auſteri ſint nec nimis faciles & blandi. Omnibus vitâ præluceant, aulæ incerta cogitent & mentem adverſus omnem rerum humanarum aleam muniant. Videant non quâ fortunâ, ſed quâ famâ ſint aliquando inde diſceſſuri.

Inſtitutorum munus.

Aula lubricum.

Multa & gravia ſæpe occurrunt ætatem in aulâ conterentibus. Senecam diſceſſum tam ſæpe meditantem cruentæ ſæviſſimi alumni manus oppreſſere. Maturè Alexandrum & feliciter reliquit Ariſtoteles, ſubrogato Calliſthene ſororis filio quem liberius ſuam incuſantem ſuperbiam Rex non tulit, ſed præciſis naribus & labiis fœdum homini ſpectaculum, virtuti invictum dedit.

Ariſtoteles prudens aulam reliquit.

DISSERTATIO DUODECIMA.

De Natura & Indole.

In illa ve[illegible]. *Octo annorum erat Ioſias cum regnare cœpiſſet non declinavit ad dextram ſive ſiniſtram.* 4. Reg 22.1.

GRANDE in Joſia ſpectaculum, Rex puer, qui omnes Virtutum numeros pro ſua ætate feliciter implevit, & nunquam deflexit à vero. Fecit hoc pretioſa indoles donum Dei ſingulare, quæ à teneris in illo eluxit. Hanc in adoleſcentulis Regibus ſcrutari, & penitus obſervare oportet, magnarum rerum fundamenta jacientes.

Eruditionis primordia de Naturę contemplatione pendent. Nec immeritò Ariſtoteles ait bonos & induſtrios fieri per naturam, per conſuetudinem, & rationē. Dignoſcitur puerorum indoles, ex geniali poſitione ſiderum, ex ipſa corporis conſtitutione, ex parentibus, ſed maximè ex prima ingenii face. Nimis curioſè, & ſæpe impiè, omnes Animi motus ad Aſtra Mathematici referunt, quibus nec vis certa, nec in hac mentis imbecillitate ſatis cognita. Dementiæ proximum eſt omnes Hominum virtutes, ipſa etiam ſcelera, ac flagitia imputare cœlo. Sed tantam illius militiam nihil circa nos agere, & tot deſi-

7. Polit. c. 5.

Indoles puerorū unde noſcitur.

Aſtrorū vis in Homine.

Digitized by Google

des putare flammas, ad partem ſtuporis accedit.

Agunt ſcilicet luce, calore, influxu in corpora, & per ipſa movent affectus, cient animos, non cogunt. Non ignorabat iſtud Sanctus Doctor, qui Aſtrologos ſæpe veraces eſſe dixit in iis quæ mores ſpectant, quod magna pars mortalium in ſuos prona ſit affectus, quos celeſtium ratio corporum ex parte facit.

Thom. 1 part. q. 115. ar. 4. ad 3.

In promptu magis eſt Phyſiognomia, qua ex temperamento conjicitur animi facies, acris in bile, in ſanguine Amoris & iræ capax. In atra bile patiens, & ingenioſa. In pituita marcens & dejecta. Adjuvat etiam conjecturas exterior forma corporis. Nam (ut ait Sapiens) *ex viſu cognoſcitur vir, ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus. Amictus corporis, & riſus dentiũ, & ingreſſus hominis enuntiant de illo*; facies ampla (ut ajunt) ſegnes arguit, parva puſillanimes, carnoſa pigros, macilenta ſubtiles, Rotunda iracundos, valde piloſa feros, nimis alba fœmineos, nimis nigra melancholicos, pallida & exanguis ſæpe perverſos.

Eccl. 19. 27.

Improbi ſunt nonnũquam facie deformi, auribus longis, & anguſtis, oculis vibrantibus, ore parvo exterius protenſo, dentibus caninis, longis, & exertis, lingua veloci, collo incurvo. Prudentes, corpore ſunt parvo, capite paulò majore, in ſinciput & occiput propenſo, fronte quadrata, juſtæ magnitudinis, pectore lato, manibus longis, oculis magnis, & fulgentibus. Ingenioſi carne molli, & humidâ, capite mediocri, pilis mediis inter duros, & molles, facie alba, & ſubrubicunda, magnis luminibus, voce clara; cruribus non carnoſis, ſtatura concinna. Probi magno naſo, & bene diſcreto, facie pulchrâ, anhelitu temperato, pectore lato, humeris magnis, humidis oculis, aſpectu miti. Fortes erecta cervice, vigilantibus oculis, lato pectore, humeris muſculoſis, valentibus digitis, longioribus brachiis, ventre modico.

Hæc & ſimilia conjecturæ aliquid ſuſpiciendum relinquũt, veritati nihil incõcuſſum aſtruunt. Nam quis ignorat frontem, vultum, oculos perſæpe mentiri? Rectius aliquanto parentum ſanguis ingenia puerorum demonſtrabit, ſiquidem tam ſæpe audimus fortes creari fortibus, & bonis bonos. Sed neque iſtud in homine fixum, tam varia, & tam anguloſâ mente. Firmior cæteris animalibus ad generantes ſimilitudo, animâ carni planè immerſâ, mens hominis longè ſolutior, pandit ſe in diverſa & propè infinita.

Incerta tamen res ex ſignis corporis divinare.

Rectius pueri à Parentibus noſcuntur, nec tamẽ certo, ita mens eſt anguloſa.

Certior ſæpe natura eſt in malis, & tenacius hærent in ſanguine vitia quam virtutes. Corruptiſſimus Neronis pater Domitius, & Agrippina mater ſola ſcelerum impunitate magna, portentum imperio Romano potius quam Regem dedêre. Iniquiſſimo Senecæ fato factum, ut tam perdita indoles tam ſancta Sapientiæ præcepta pollueret. Sed Caligulam Germanico patre omnium præſtantiſſimo natum, vecors ingenium in omnia dedecora traxit. Non diſpar in ſacris Manaſſes, omni cæde & flagitio maculoſus, quem nihil Ezechiæ parentis laudatiſſimi mores adjuvere. Nil Commodum Antonius, nil Wenceslaum Carolus. Sed ne omnia imputemus regno, Herodis Attici filius in privata fortuna, editus ab eloquentiſſimo & omnium opulentiſſimo Sophiſta, tam excors fuit, ut primas literas appellare non poſſet, niſi inditis illarum nominibus totidem pueris honorariis, qui in ejus familia numerabantur. Emergunt contrà ex ſpinis roſæ, cùm ex fœda origine viri magni ſurgunt. Sic ex Ammone peſſimo Joſias innocentiſſimus, & Conſtante Heraclii,

Nero corruptus in ſemine ſapientia præcepta polluit.

Boni ſæpe ex malis, & ex bonis mali.

Teſtes Caligula, Manaſſes, Commodus.

Herodis Attici filius excors patre eloquentiſſimo. Philoſtratus in Sophiſtis.

raclii, Conſtantinus quartus. Optandum quidem ut parentum virtus tranſeat in filios, ſed neque nimia generis fiduciâ tangi, neque deſperatione ſterni par eſt. Intrare oportet in interiorem ipſius pueri animam, per verba, nutus, & actus, quibus certiùs de indole creditur. Pleraque teneris ex divina mente potius quam ex humano ingenio contigere, quæ non tam experimenta, quam miracula. Hedburgæ filiæ adhuc trimæ ſenſum inveſtigaturus Pater Eduardus, Rex Angliæ, ex una parte monilia, ex altera Evangeliorum codicem obtulit. Illa muliebrem mundum torvo vultu deſpiciens reptavit ad librũ, magnæ quæ poſtea reluxit in matura virgine ſanctitatis argumentum. Ita ſæpe triumphatoribus illis ſuperioris ævi obtigit, ut infantuli ad oblata ſemel arma licet antea inviſa currerent. Contra alios ſacra omnia delectant jam pietati futuræ proludentes.

Actus pueri in judicãda indole certiores.

Hedburga indoles mire agnita.

Indiciũ ex temperamento.

Prona inſpicientibus magiſtris via eſt de temperamento & affectibus conjicere. Qui bile tument, ut plurimum ſunt audaces, vegeti, leves, deſultorii, acres, quibus nec in capiendis conſiliis maturitas, nec in exequendis patientia. Qui pituita gravantur ingenio ſunt, & corpore tardi, quos nec verba ſtimulant, nec honor accendit, deſide vita, & in corporis curam projecta. Quibus dominatur ſanguis, felici ſunt mẽte, miti congreſſu, lingua expediti, amoribus obnoxii quos ſæpe aut nimia facilitas inclinat, aut voluptas inficit Melancholia licet morbus videatur; ſalus eſt, ſi præſertim modica fuerit & cum ſanguine temperata. Ingeniorum potius mater eſt, quã noverca, quibus largitur judicium, gravitatem, temperantiam, æquanimitatem, patientiam, moderationem, & virtutes propẹ infinitas. Atq; ut vinum vim habet majorem in fecibus, ſic melãcholia in ſanguine. In puſionibus tamen nimis auſterũ eſt hoc temperamenti genus, quibus in hoc vitæ primordio celeres motus, & blãdi luſus, & molles iracundiæ placent.

Indolis bonæ ſigna.

Dicam quod ſentio, bona indoles eſt in pueris læta magis & luxurians, quam triſtis, & reſtricta nimis maturè magnum ingenium vix eſt vitale. Dandum eſt ætati, dandum naturæ, quod neceſſariũ eſt, nec ſeriis moribus ſtatim infantes conſtringendi. Signa in Principe optima ſunt, ſi ad res divinas benè affectus, ſi erga parentes pius, ſi propinquis amicabilis, ſi præceptores lubens audit, & prima doctrinæ elementa non per horrorem & tædium, ſed cum ſuavitate ſuſcipit. Si cum facilitate paret, & nihil habet contumax aut cervicoſum, ſi ſermone blandus & comis ſi laudibus accenditur, ſi delectatur armis, ſi rerum honeſtarum gloriam deguſtat. Si mendacii & calumniarũ impatiens, ſi miſeratur afflictos, ſi lubenter donat, ſi malitioſa quæque & turpia vehementer odit, ſi bonos diligit, ſi juſtitiæ & æquitatis amãs, ſi non eſt faſtidioſus aut arrogans, ſi bonis artibus ſtudet, ſi iracundiam frænare incipit, ſi facilè deponit, ſi ſocordiæ inimicus, nec in puerilia oblectamenta nimis effuſus nec deriſor, nec dicax, nec vindictæ avidus, nec levis, nec inquietus, nec inconſtans, nec inverecundus.

DISSERTATIO Decimatertia.

De Inſtitutione.

In illa verba de Davide Adoleſcente. *Ecce vidi Filium Iſai ſcientem pſallere & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum & prudentem in verbis & virum pulchrũ, & Dominus eſt cum eo.* 1. Reg. 16.18.

POST contemplationẽ naturæ ad eruditionẽ deveniendũ eſt, de qua primũ quæ-

quærendum qualis eſſe debeat, an ſevera, acris & inſtans? an indulgens, mollis, & laxa? Operoſiſſima res in filiis Principum cum perſona temperare doctrinam. Si ad tempus vivitur, blanditiæ placent. ſi ad leges ſapientiæ reſpicitur, hoſtes ſunt ſalutis, qui blandiuntur. Nulla tam frequens in ſummis præceptoribus querela, quam per indulgentiam parentum, deliciaſque puerorum, omnes optimæ cujuſque indolis ſpes eludi. Hoc Seneca, hoc Tacitus, & Quintilianus, infecto jam Aſiaticis moribus imperio acerbè deplorant. *Torpent, ajunt, ingenia deſidioſæ juventutis, nec ullius honeſtæ rei labore vigilatur: ſomnus languorque, ac ſomno & languore turpior malarum rerum induſtria invaſit animos. Ipſi etiam parentes nec probitati, nec modeſtiæ parvulos aſſuefaciunt, ſed laſcivia & libertati, per quæ paulatim impudentia irrepit, & ſui alienique contemptus. Quid non adultus concupiſcet qui in purpuris repit? nondum prima verba exprimit, jam coccum intelligit, jam conchylium poſcit. Ante palatum eorum quàm os inſtituimus In lecticis creſcunt; ſi terram attigerint & manibus utriuſque ſuſtinentium pendent. Gaudemus ſi quid licentius dixerint. Verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis cum riſu & oſculo excipimus.*

Operoſum in Principe cum perſona doctrinam temperare.

In ſitu- [illegible] hæſit voluptas Seneca l. controv. Tacitus dial. de oratoribus. Quintil. i. inſtit. c. 2.

Certiſſima res eſt per vitæ mollitiē omnes eruditionis nervos infringi, nec magnificum quid eſſe ab eo expectandū, quē à teneris indole calcata voluptas obſidet Unde quæſo in veterum ſcriptis tam frequentes de expoſititiis infantibus hiſtoriæ, quales de Nabuchodonoſore, Cyro, & Romulo, legimus. qui omnes inter aſpera montium, & horrida ſylvarum, inter humiles caſas, duro & ruſticano victu adolevere? Ne putemus hoc ſorte tantū contigiſſe, ſed ipſa ſæpe deſtinatione parentum, qui conditionis ſuę ignaros committebant alendos agreſtibus viris, ut auſteris rebus aſſueti, militiæ labores perferrent alacrius & à deliciis prorſus abhorrerent.

Educatio Heroum.

Sic Perſæ, ſic Parthi, ſic Spartani nobiles alebantur; diſcebant algorem, ſitim, famē, labores, & in nudâ humo diſcubitus, optima fortitudinis condimenta. Balearium inſularū matres victum pueris non dabāt, niſi quem arcu & ſagittis de pertica excuterent. Ingentes quaſdam aves cicuratas alebant domi Æthiopes, quibus tenella puſionum corpora imponebant, ut in ſublime ſeſſores efferrent impavidos, dein levi motu devolantes reportarēt. Tamerlanes ille orbis terror, non barbarus ut plerique fingunt, ſed ut Aliben Arabs ſcripſit ſapientiſſimus Princeps, cum de orbis domiti victoria rediret. & filiolū inter nutricū ulnas galero tectum deprehendiſſet, caſtigata mulierum mollitie, juſſit capite nudo, & paſſo capillo, pro more gētis ambulare, nec ullis aſſuefieri deliciis, quas animorū peſtes & labem ingeniorū judicabat. Henricum IV. cum Rex pater adhuc puerulum inviſeret, offendit neglecta veſte, crine etiam ſparſo, ſine pileolo, cū ruſticulo comite generoſa vi luctantem Inde tantus nobis, & verè belli ac pacis artibus magnus illuxit.

Strabo lib. 3. Baleares pueri. & Arabes quomodo alebantur. Alexand. Neapol. l. 2. c. 25. Aliben in vita Tamer. Tamerlanus filius à patre ad rigorem inſtitutus. Henr 4.

At verò ſi omnia ad antiquum diſciplinæ rigorem ſtatutum eſſet exigere, num videremur, quod ajunt, extra chorū ſaltare? imo extra vitam vivere? Quis parentibus ſuadeat ut ſpes ſuas regno natas amādent in ſylvas & tuguria ruſticorū, ut duriſſimo victu nutriant, ut quaſi ignotos à ſe abiiciant. Hæc antiquis miranda temporibus, noſtris ne cogitatione quidem imitanda. Sed quod factu optimum eſt, & ſanæ menti proclive, tradatur infantulus nutrici corpore & animo præſtanti, è qua cū lacte nihil pravum, nihil à rectâ diſciplinâ detortum ebibat. Ubi prima fax rationis pro-

An hæc auſteritas probanda?

Quid factu optimum?

promere ſe incipiet. procul ab ejus convictu, & aſpectu ablegentur mulierculæ, molles, & fatuæ, aut colluſores vitioſi. Nil oculis hauriat nil auribus admittat quod ſit ab honeſtis moribus alienum. Sit aliqua ſpectabilis fœmina, quæ prima etiam actionum rudimenta, ac luſiones verecundia temperet. Non oportet quidem tenellam ætatem præcipitantius ad ſtudia & res ſerias urgere. Danda ſunt corpori ſua tempora, ut creſcat ut firmetur, ut ea ſit valetudine quæ ad ſatus eruditionis accipiendos ſufficiat. Sed tamen indecora res eſt, pueros jam grandes deſidere in Gynæceo, inter imbellis ſexus oſcula. Primũ ævi ſeptennium Lunæ, vitalis auræ procreatrici majores dedicavere, ſecundum Mercurio artium præſidi. Magnum in hac vitæ brevitate ſpatium corpori datum eſt, ſi puſionem ſeptimus annus in muliebri pædagogio deprehendit: inde ſtatim educendus veluti ex umbris in Solem & pulverem. Tum ſuas partes præceptor aggredietur, non quidem creber inſtans, & nimiâ ſedulitate importunus, ne tenerum ingenium & harum rerum inſolens horrere incipiat, quod ab eo præſtat amari. Inſinuare ſe molliter oportet delicatis ſenſibus, & per ſpeciem oblectamenti doctrinam inſtillare potius quam effundere.

Enimverò quia magna res agitur dum fingimus hominẽ de bruto, non eſt cogitandum, inter roſas & lilia marcere ſapiẽtiam. Non eſt credendum per blanditias & ſupina obſequia erudiri principes adverſum decus. Ubi juſta ceperit ætas incrementa, obluctandum naturæ, ad luſus, otia, & delicias aut projectæ aut pendenti. Inſtruendi, arguendi, & ſæpe ducendi quò minimè volunt. Abſit ut hoc parentes impediant, abſit ut mulieres garrulæ aut domeſtici palpones inſuſurrent, aut detrahãt. Hic opus inſtitutore generoſo quem ſpes non alliciat, quem metus non frangat, qui ſynceram alumni inſtitutionẽ rebus omnibus anteferat, & ſi malorum vis conſiliorum vincat, carere poſſit aula, ut careat dedecore. Omne animi bonum, ut ait Tertullianus, natura præſtruit, diſciplina perſuadet, malum cenſura comprimit. Vix eſt expectandum in tanta morum & ſortis laſcivia, ut virtus ſine cẽſore diſcatur. Tractandi principum filii ut Leonum catuli, quod à Philoſtrato dictum, ut neque magiſtri in eos ſæviant, quod fœdum eſſet & periculoſum, neque nimia ſoluti indulgentia blandiantur, quod omnes authoritatis nervos elidit. Poſſunt moneri, increpari, laudibus & præmiis incitari, abſterreri minis, rebus etiam jucundiſſimis in pœnam delicti aliquando privari. Verberibus ſervilem in modum urgendos nemo ſuaſerit. Difficilius eſt in hac re tenere modum, & beatam ex omni parte iſtius educationis aut nanciſci, aut facere curam: facilius quis aliquandò regnum, quàm regiam ſobolem in hoc ætatis lubrico, & plaudentis fortunæ ſinu rexerit.

Tert. de pudicitia.

DISSERTATIO
Decima quarta.

De quatuor ſcitu neceſſariis ad Inſtitutionem, Judicare, loqui, agere, pati, quæ in Davide dignoſcuntur.

Ut patet ex ſuperiori textu.

Scire quod non prodeſt, proximum eſt ignorantiæ. Non eſt itaque prudentis ea Principem adoleſcentulum docere, quibus aut nunquam utatur, aut eum uti minimè deceat. Inſtruendus eſt neceſſariò in omnem ætatem viatico, non onerandus inutilium rerum ſarcina.

Digitized by Google

Quatuor ſcitu neceſſaria.

Quatuor autem ſunt omninò per quæ hominum, maximè verò Principum, omnis vita decurrit, Judicare, loqui, agere, pati. Hęc in Davide, ut patet in textu ſuperiori dignoſcuntur; ſcivit pſallere, hoc eſt quod ait Ambroſius dijudicavit harmonias rerum & temporum. Fuit prudens in verbis, bellicoſus in actionibus, utpote affectuum domitor. Fortiſſimus robore nō ſolum in agendo & prœliando, ſed in ferendo Saule irato & ſexcentis incommodis. Ad hūc ſcopum naviter collimare his diſciplinis teneros informare mores; non tantum laudabile, ſed neceſſarium eſt. Judicium facilè primas obtinet magna pars in homine, imò ferè totum quod eſt hominis. Nihil eſt aliud quàm vis animæ diſcretiva rerum, aut practicus ille Philoſophorum intellectus, cujus eſt intelligere, & ratiocinari, ut id efficiat quod factu optimum eſſe duxerit. Mens quidem humana regina mundi, ſuos habet adminiſtros, quibus in divino illo opere intelligendi commodius utitur. Senſus cognoſcit res corporeas & præſentes, prima ad illam arcem ſapientiæ & fallax aliquando janua. Phantaſia mater & cuſtos imaginum, multa ludit fallitque ſæpiſſimè. Memoria magnam & tam variam rerum congeriē ſuo accipit ſinų, ſæpe iners, ſæpe confuſa, hac qui præſtant ſine mente, quamvis optima meminere, pecudes potius aureas quam homines dixeris. Voluntas cœca eſt & nil agit, ſine duce, judicium ſolum eſt quod obſcuris lucem, diſſipatis ordinem, vim & decus affert omnibus.

Mentis adminiſtri.

Iudicii vis. Anaxagora Homœomeria. Fax judicii à Deo.

Atq; ut Anaxagoras ajebat initio mundi implexam fuiſſe minutorū ſeminum multitudinē, quæ torpore materiæ fœdum in modū obriguerant, donec ea divinę mentis fulgor accenderet. Sic ſe res habet in tot objectis quæ ſenſibus occurrunt, jacēt illæ ſpecies permixtæ, & decolores, niſi vis illas judicii ordinet atq; componat. Hæc prima fax omnium humanarum actionū, eadem egens æternæ mentis face, ſine qua maligna lux, & peſtilens vigor.

Magnò momentò diſcere de omnibus bene judicare.

Magni igitur momēti res eſt, ut hominis animus velut corporis hoſpitio accept⁹, ut in mundi & tot humanarum rerum veniat commercium, limpidas hauriat ſpecies, & defecatos veritatis de ſingulis ſenſus, ubi nihil ſit fictum, nihil fallax, nihil à ſua ſede & uſu detortum. Cavendi ſunt omni curà mali mores, opiniones, affectus, continui hoſtes intelligētię, ne per magnificas boni ſpecies illudant. Non eſt quidem expectādum à puero ut ſtatim vigeat acerrima vi judicii, quod eſſet in hac ætate inſolens, & immaturæ mortis ſignum; ſed tamen imbuēdus eſt à tenero cogitationib⁹ optimis ut magnifica de Deo, de honore, de virtute ſentiat, oderit mala, authores adiutoreſq; malorū. Diſcat paulatim pretia rebus imponere, nec habere parva pro magnis, aut pro parvis magna. Ubi ſapere incipiet, exerceat quamdam cenſuram mentis, ne per omnem vitam alienis oculis videre, & ex alieno corde ſapere cogatur.

Iudiciū pueri ſenſim formandum.

Lingua poſt mentem erudienda.

Ipſa deinde interpres animi erudienda lingua eſt nō tantum ut loquatur, ſed maximè ut taceat. Videndū quomodo regali ex ore quaſi ex ſuggeſtu verba prodeant, non quidem ad pompę affectationem, ſed ad ſpeciem decoræ & candidæ majeſtatis. Videndū qua ratione à prima ætate jā ſibi ſeceſſus aliquos mētis faciat non inſidioſos & perverſos, ſed prudentes & cū ſumma honeſtate cautos. Siquidem ingens rerum gerendarum vinculum ſilentium eſt, & totius ſepes ſapientiæ.

Silentiū ſepes ſapientiæ.

Actiones componendæ.

Mox actiones omnes erunt ad ſuum finē ex æquo bonoq; componendæ, atq; id in ſubſtantia & modo. Aliæ quidē Deum ſpectant, aliæ nos, aliæ referuntur ad proximos. Aliæ ſublimes, aliæ ad corporis curā demiſ-

demiſſæ aliæ etiam mediæ. Quædam mẽtem intendunt, quædam remittunt. Aliæ ſuprà naturam nituntur, aliç circa. Omnes tamen exigunt officia quæ parẽtibus, quæ conſanguineis, quæ amicis, aut ſubditis & univerſo hominum generi aliqua ex parte debentur. Magna in iis omnibus inſtitutionis neceſſitas, & eximiarum virtutum ſeminaria.

Animũ ad malorum patientiam roborandum. Tandem quod primum ferè omnes facimus & ultimum diſcimus, pati oportet multa, qui multis aut præeſt aut præeſſe aliquando debet. Danda opera ut hoc quoque fortiter, & non pecudis in modum fiat. Nulla tam miſera vita eſt, quàm quæ miſerias aut neſcit aut dehoneſtat Hi ſunt totius inſtitutionis quatuor veluti fontes, de quibus nobis poſt hæc enucleatè diſſerendum eſt.

Dissertatio Decimaquinta.

De prima luce Judicii ſeu cognitione Dei.

In illa verba de Ezechia *Adhæſit Domino, & non receſſit à veſtigiis ejus.* 4. Reg 18.6.

Sap.15. 3. *Prima fax judicii Dei cognitio.* Prima lux judicii Dei cognitio, quem noſſe, ait ſapiens, *conſummata juſtitia eſt, & ſcire juſtitiam ac virtutẽ ejus, radix eſt immortalitatis* Scitè Tertullianus hanc *Tert. in Marcion.* ſcientiam numinis dicit eſſe *animæ à primordio dotem*, qua non tantum ornari, & circumfundi, ſed penetrari par eſt primos infantiæ ſenſus. Solis imaginẽ in cryſtallo prælucere ſibi Perſarum Reges curabant: nos Principibus noſtris pietatem quaſi cęterarum actionum facem commendamus

Pietatis ſenſus, & cultus. Ea dividitur in ſenſum, & cultum, quorum ille docet quid cogitandum ſit de Deo, hic quid faciendum. Senſum numinis temperari puero pro ætate decet, cultum doceri caſtis Eccleſiæ legibus ac cæremoniis, ut diſcat à tenero fidei rudimenta, orare, pſallere, frequentare ſacra, frui ſacramentis, amare res divinas, ſanctiſſimæ Dei genitricis, angelorum, & omnium ſanctorum patrocinio lætari, Dei verbum reverenter audire, erga ritus avitæ religionis, & Dei miniſtros benè ac conſtanter affici.

Impreſſio prima de Deo. Cavendum ne primæ quæ de Deo formantur impreſſiones aut nimis molles ſint & remiſſæ, aut nimis etiam vehementes. *Indolis ſignum infauſta impietas.* Summæ infelicitatis ſignum eſt cum tenera indoles pietatem habet in faſtidio, voluptatem in pretio, & declinat in mores ſolutos atque impios, quos peſtiferi ſæpe congerrones inhalant. Inde paulatim Gigantec, ut cum ſcriptura loquar, aſſurgunt animæ, in omnia flagitia & ſcelera projectæ, quæ rarò coërcentur niſi per fulmina. *Γιγαντῶδεις ψυχ. Eccl. 25.5* Hæc peſtis Julianum Imperatorem alioqui ad omnia decora natum funeſtiſſimè perdidit, hæc Michalem à ſuis trucidatum laniavit, hæc Petrum Hiſpaniæ Regem tot miſerorum cruore reſperſum, ultori fratris gladio devovit.

Curioſitas cavenda. Peſtilentiſſima res eſt nimia in divinis curioſitas, & novitatis amor quæ quo ſapit altiùs, hoc deſipit profundiùs. Innocentes eſſe Principes, curioſos lex non jubet. Sed providendum quoque ne ſuperſtitioni ſint obnoxii, & religioni ex nimio ſtudio adverſi. *Pietas impia.* Plerique venales faciunt ſanctos & pro impietate pii ſunt, vota pro ſceleribus nuncupantes, quod eſt majoris dementiæ.

Dejectio nimis pietas declinanda. Exiſtit etiam aliqua pietas nimis dejecta, & parum apta moderatori terrarum, quæ ſcrupulis implexam animi vim elidit, & multùm de authoritate minuit. Omnes quidem ſanctorum Regum actiones venerationi potius debentur quàm

cen-

cenſuræ: Sed tamen exiſtimarim pleraſque hoc præſertim tempore ſuſpiciendas principibus potius quam imitandas. Neque enim ſuaderem aut cum Henrico ſeptimo Angliæ, dies cum noctibus orando jungere, aut cum Lucio concionari, aut cum Sancto Caſimiro Poloniæ intempeſtâ nocte & rigida hyeme, templorum veſtibula luſtrare, neque linteatum ſacerdoti cum Alberto publicè & frequenter miniſtrare, neque aut Eccleſiaſticos ritus, aut Monachorum inſtituta nimis accuratè callere, ne puſillo animo, & à regiis curis alieno videantur. Multa quidem in pietate laudatiſſima ſunt, ſed ſeceſſum à turba & exilium à mundo poſtulant, quod regi minimè convenit, cujus vita negotioſiſſima eſt, & rerum publicarum moderationi affixa.

Principu pietas non eſt tantum in actis exterioribus.

Sunt præterea qui conſummatos omni virtute reges putant, cùm vident eos aut ſæpe errata confiteri, aut ad ſynaxim frequenter accedere, aut alias cæremonias & munia conſtanter obire. Sunt quidem iſta laude digna non mediocri, ſed tamen alia eſt perfectiſſimi Principis religio, quæ non in ſolo ſpectatur cortice, at in altiſſimæ mentis ſacrario ſedet. Videndum ut de Deo magnificè ſentiat tamquam de mente ſoluta, ac libera ab omni concretione mortali, cujus eſſentia eſt lux immēſa, poteſtas omnipotentia, voluntas bonū perfectum, natura ſanctitas, & tempus æternitas: Qui ſolus eſt Principium ſine fine, & ſine principio finis, & totius manceps divinitatis.

Senſus de Deo qualis Princeps habere debeat.

Hunc non ſolum rebus noſtris cogitet intereſſe, ſed ex animis & cogitationibus bonis maliſque præmia & ſupplicia ex æquo diſpenſantem. Amet impenſiſſime Chriſtum Dominum Patri conſubſtantialem & coæternum, tum etiam ab utroque procedentem ſpiritum: ſit divinæ gloriæ ſitientiſſimus, numen æternum colat probitate & conſcientiâ quæ eſt recti bonique judex & vindex. Ad hanc vivat, ad hãc ſe componat, ab hac ne tranſverſum unguem in omni vita diſcedat. Sit omnibus quaſi libra, veritatis amans, recti defenſor malarum expers voluptatum, inanæ ambitioni adverſus, veræ & honeſtæ æmulus gloriæ, cultu modicus ſermone facili, ore probo, animo verecundo. Diſcat cœlatos magnæ Mentis in proximo vultus diligere ut ait Propheta *arguere pro manſuetis terræ*, hominum miſeriis tamquam beneficum ſidus occurrere, & putet hanc primam eſſe, & Deo gratiſſimam pietatem, mortali benefacere mortalem, nec aliis paſſibus ad ſummum decus maximos reges eniti. Sed hęc à me plenius infra diſcutientur, cùm de regiis actionibus tractatum non inutilem aggero.

Iſa. 11. 4.

DISSERTATIO
Decimasexta.

De altera face judicii, quæ eſt ex eruditione.

In illa verba de Salomone. *Non fuit ſermo qui Regem poſſit latere* 3. Reg 10. 3.

STudere Principes pleriſque novum, multis ſuſpectum, non paucis etiam iriſum. Ajunt ſuo faſtigio jam ſatis ſuperbos, per culturam litterarum fieri ſuperbiores; multa in iis diſcere vafra, & ſubdola, nefanda multa. Inde aſtutos evadere, ac verſipelles, tenaces ſui judicii, contemptores alieni. Hinc enervari robur, & animum deſidia frangi: Hinc contemni à militibus ut armis minus aptos, aut etiam inviſos: Hinc ſperni à mulieribus, quibus rara eſt, nec jucunda, cum Philoſophis conſuetudo.

Rationes adverſus litteratos Principes.

Sed

Digitized by Google

Sed parum vident & temerè loquuntur qui hæc objiciunt. Quæ, malum, eſt iſta dementia, damnari æterna ignorantia Reges, quia imperio potiri debeant, quod ſine multarum rerum notitia regni non poteſt? An quia nati ſunt principes, deſinunt eſſe viri? & quæ pars hominis in mundo eſt, niſi noſſe mundum, contemplari naturam, magnæ mentis imaginem, ſcire rectorem & regimen univerſi, res opeſque humanas diſcutere, conſiderare quid ſumus, & quidnam victuri gignimur, quis ordo vitæ, quis curſus & ubi meta? Ratiocinari, judicare, loqui, perſuaderi veris, & ſuadere omnibus vera?

Pro eruditis Principibus argumenta.

Erudiendos eſſe litteris omnes liberaliter natos non eſt unius hominis opinio, ſed ſenſus generis humani. Quis reges ſervilem in modum tractari velit? Quis brutos fieri cenſeat, quia Dii ſunt hominum? Duces ſunt mortalium, quò ſine notitia ducturi? Oculi ſunt, quid viſuri ſine luce? an ut jumentis faſces imponendi quos ſemper ferant, & nunquam ſpectent?

Sed quæ ad ſtatum ſuum pertinent diſcunt in colloquiis, in conſuetudine hominum, in grandi Aulæ volumine? Quis hic non fallit, aut quis non fallitur? Nec cogitare recta pravitas poteſt, nec imbecillitas loqui. Suſpenſa benè ſentientibus conſilia, proclivia fallentibus. Omnia pene à ſua ſede convulſa detorquent affectus impuri, quos ambitio ſpirat, regit avaritia, aut ulciſcendi libido inflammat. Inducuntur colores rebus ab iis qui per fucum facere ſolent omnia, & inermi facilè illuditur ingenio. Tutius aulæ præcepta diſcuntur à mortuis, quibus publicus veritatis ſenſus, nec libido temporum. Soli regnare cœcos optent qui in cæcitate Principis criminum latebras habent, & incrementa fortunæ.

Certè qui rerum potiuntur jam eruditi, plus habent authoritatis apud omnes ordines, plus timentur à pravis, à bonis etiam impenſius amantur, ſuſpiciuntur ab ignaris, à doctis plauſu & flagrantiſſimis ſtudiis excipiuntur. Latere multos & hærere in ſalebris ignorantia facit. Pudet non eſſe homines, ambiguè tentant verba, timent ne quid inſulſum effutiant, & huic apici erubeſcendum, metuunt tacitis etiam ſtipantium cogitationibus verberari, ad ludicra declinant, nihil in ſeriis auſuri.

Sed ne rationibus tantum agere videamur, non egemus magnis authoribus, quibus hæc ſententiâ firmari poſſit. Clamat ſcriptura divinationem eſſe in labiis Regis, quod publicum ſit regni totius oraculum. Jubet eum Dominus legem ſuâ manu deſcriptam, quotidiè, & per omnem vitam legere. Quos Deus peculiari cura deſtinatos ſuo populo præfecit, voluit eſſe per quam eruditos. Davidi hymnos inſpiravit & carmina, Salomoni tam exaggeratam rerum omnium ſcientiam profudit, ut eſſet orbi terrarum miraculo.

Authoritas pro literatis.

Prov. 16. 10.

Deut. 17.

Nemo credat per literas doceri vitia, & fraudem, hæc ab ignaris diſcuntur ſine præceptore, veniunt è peſtifero contubernio, per optimos autem libros refelluntur, & quaſi teſtibus æternis confutantur Nemo dicat infringi triumphantium animos & vires, quam vanum ſit iſtud commentum oſtēdunt tot victorioſiſſimi principes, qui idem doctiſſimi fuere. Alexander, Julius Cæſar, Auguſtus, Trajanus, Conſtantinus. Carolus Magnus, omnium optimi & clariſſimi arma cum literis, felici commercio junxere, & ne vetera tantùm percurramus ſæcula, Franciſcus primus, & ſtudiis clarus, & oratione cultus, captivus, hoſtes facundiâ cepit. Carolus quintus magnam quoque vim dicendi habuit, atque in conſeſſu Summi

Reſpondetur objectionibus.

 Pon-

Digitized by Google

Pontificis, Cardinalium, & Principum orans, conſilium ſolers eloquentiâ juvit. Alphonſum quintum cui magnanimi nomen, tot bellicis laureis clarum, tantum puduit neſcire literas, ut ſe jam quinquagenarius excolendum Laurentio Vallæ traderet: quo præceptore ita profecit ut Senecam ad ſuos reducem ex Latino faceret Hiſpanum.

Moderãda Principum ſtudia. Nemo certè qui ſenſum habeat hominis, Regibus ſcientiam eripiet & lucem: hoc tantùm providendum eſt, ut in ſtudiorum ſubſtantia, &modo tota res commodiſſimè fiat. Non mediocriter errant, & ab ignorantia parùm abſunt qui pueros armis & imperiis natos, in anguſto ſcholarum pulvere macerant inutilium rerum documentis. Omnes Grammaticorum tricas & apinas, omnes dialecticorum argutias, & tam otioſa quæſtionum deliramenta avidius inculcant, quaſi magiſtrum ſcholæ meditentur, non virum ſenſu & armis magnum. Eundum Principi ad ſacraria ſapientiæ per compendia viarum, & puros calles quos præceptoris induſtria detexerit.

Quid & quomodo diſcant. Calleat oportet linguam Latinam, non operosè, & grandi præceptorum ſylva, ſed feliciori Marte, non tamquam dicturus, aut ſcripturus, ſed lecturus quæ uſui eſſe poterunt. Sit non ignaro ſimilis, nec tamen perito. Libet aliquid ex Græcis ſed parcè, Italicam & Hiſpanicam non ignoret, ſuam potius excolat quam detineatur alienis. Non decet Chriſtianum divinæ legis ſacrorumque librorum expertem, de ſcientia gloriari. Juverit iſtis intingi non ut doctorem, ſed ut doctrinæ alumnum cæleſtis Eloquentiam laudatarum artium Reginam miretur, ſentiendi tamen jus ſuum eſſe putet magis quam declamandi. Poëtas amet, nec tantum otii habeat ut verſus condat.

Philoſophiam diſcat non illam quidem barbaram & exilem, quæ ſeſe abdit in ſpinas, ſed amœnam & ſublimem, quæ ratiocinandi modum habet compendioſum, quæ ſolidè tractat rerum principia, & florentiſſimas quæſtiones de cœlo & mũdo, deque tota rerum natura cum fructu, & ſuavitate diſcutit. Percenſeat terras, orbẽ conſcendat æthereum, Solis ac Lunæ curſus, & tot relucentes ſerenis noctibus flãmas norit, ut beneficum naturæ Patrem veneretur in omnibus. Aurem muſicis accommodet, & Matheſin etiam uſurpet, quantum ſat eſt Principi.

Sed fixum in morali, politica, atque hiſtoria pedem ponat quaſi in ſuo. Hæc certè animata ſapientia eſt cum qua pueri ſenes, & ſine qua ſenes pueri. Dici non poteſt quantum venerationis obtineat Princeps, qui fuerit his excultus diſciplinis, eaſque non per affectationem effundere, ſed majeſtate temperare norit. *Ne ſtudeant nimis.* Non ego ſuaſerim ut ætate jam provectâ & ad grandes regni vocatus curas, in otio & ſtudiis conquieſcat. Non eſt hoc quidem ſcire, ſed ſcientiis abuti. Non alia res Michaëlem Parapinaceum Imperatorem perdidit, quam quod abjecto veluti imperii clavo, totos dies in conſcribendis verſibus atque orationibus poneret. Debuerat ſe regem non Sophiſtam meminiſſe. Hoc eſt domum ſtatuere in hoſpitio, & ſcholam in regno. Sic periclitatur majeſtas, & qui nimis ſtudet, deſinet eſſe Imperator, nec tamen bonus ſcriptor evadit. Excidêre nonnunquam ſummis viris ut Julio, Auguſto, Conſtantino, Carolo magno verſus, & aliqua ingenii commenta, verum hoc rariſſimè non ad laudem affectandam, ſed ad captanda maximarum curarum diludia. Hæc autem quæ de ſcientiâ Dei, & optimarum artium cultura diſcuntur à pueris, mirum in modum

ad

Digitized by Google

ad conformandam vim judicii proſunt, ſi rectâ ratione & non per vagos affectus uſurpentur.

DISSERTATIO Decimaseptima.

De Conformando Judicio.

In illa verba. *In omnibus quoque viis ſuis David prudenter agebat.* 1. Reg. 18. 14.

Judicii & mentis excellentia.

Omnium fermè ſapientum vox eſt nō eſſe poſitam in multa librorum ſupellectile, & opulentia quadam memoriæ ſapientiam. Eſt aliqua vis in animis, quæ Deo inſtigante movet ſeſe, & explicat, & ſuis ſe coronat inventis. Atque ut videmus colores lenocinante lucis radio, in tam varios accendi vultus, formaſque rerum: Sic obſtetricante doctrina abſtruſæ mentis ſemina, & latentes igniculi micant, quibus multiplici deinde fœtu ipſamet fœcundatur.

Judiciū ut conformandum.

Curandum igitur maximè Præceptori, ut cum Princeps cœperit naturæ ſuæ cenſum intrare, ejus ingenium non otioſis documentis, ſed iis quæ in omnem vitam proſint, inſtruat, judiciumque ſenſim & ductu facili componat. Fingat ſibi hoſpitem pueri animum, in aulam, & regnum, quaſi in regionem ignotā deveniſſe, monendus eſt, informandus, ut norit boni maliſque naturam, mores hominum, pretia rerum, proſpera, & adverſa, quid optandum, quid fugiendum, quid loqui, quid tacere, quid eligere, & facere debeat. Atq; ut infantibus adhuc balbutientibus nomina cujuſque rei ſuggeruntur non falſa, & adumbrata, ſed quæ in uſu ſunt omnium: ſic emergente jam prima judicii luce, blāde ſunt illi inſtillanda quæ ad ſapientiam, moreſque optimos conducunt, & ipſe paulatim ſtimulandus, ut ex iis quæ audierit, judicet, & decernat, ac animi ſui ſenſa conſtituat.

Duo vitæ cardines figendi.

Enitendum maximè ut duos veluti ſibi vitæ cardines figat, Dei timorem, & rerum honeſtarum gloriam, inter quos omnium actionum curricula devolvantur. Ingenerāda tenero pectori magnifica virtutis & honoris ſpecies, cujus aculeis feriri & ferri incipiat. Ponenda ob oculos hominum conditio, & tota regum pompa in fragili ſignata luto, & ſcænæ fugienti ſimilis. Virtutem ſolam, claram, æternamque haberi, & hoc unum contingere immortale mortali. Quæ homines arant, navigant, militant, ædificant, huic omnia parere. Objiciendum ſæpe bivium illud Herculis, in quo ex una parte videatur voluptas, fictis nudata coloribus, dejecta, turpis, & miſera, lucem, hominesque fugiens. Videantur vitia, quaſi terriculamenta monſtrorum horrida, & omnibus execranda. Oſtendantur improbi, & quotquot eorum caſtra ſecuti ſunt, ſpoliati rebus omnibus, fœdi, riſu ac diris hominum exagitati, demerſi tenebris atque ignibus nunquam ceſſaturis.

Saluſt.

Herculis bivium.

Voluptuariam conſectari vitam, ad luſus deliciaſque projectam, puſilli eſſe animi, & ſordidi. Hoc ſervos omnes, & nebulones, & contemptiſſimos quoſque de populi fece, ubi potuerint, facere. At ſummos quoſque viros, Regeſque maximos per adverſum iter eniti ad gloriam. Hæc licet ſpinis videatur obſeſſa, diſtricta negotiis, & laboribus, habere tamen fortes & caſtas delicias admirabili ſuavitate conditas. His paſſibus iſſe tot Heroas receptos cœlo, quorum nomini ſæcula plaudunt, & laudes ſerviunt. Sollicitandus quoque domeſticis exemplis, ut ad virtutem quaſi ad partam hæreditatem currat

 & an-

Officium Principi mature inculcandum.

&anhelet. Inculcanda illi paulatim omnia officii momenta, quorſum & quis in humanarum rerum ordine ſedeat, quid Deo optimo, maximo, quid parentibus, propinquis, quid amicis, quid ſubditis, quid ſibi, quid generi humano debeat. Videndum deinde paulatim ut homines, reſque hominum norit atque diſcernat, quod maximi eſt in omni imperio momenti.

Diſcernere ingenia miniſtrorum arduum.

Ardua vis, vel potius maxima fœlicitas, intrare in pectora miniſtrorum, propter involucra frontis, & artis delinimenta. Laborant fermè omnes credulitate Principes, vanis, atque etiam pravis illuſi, peſtifero reipublicæ detrimento. Notet quiſquis imperat eos qui Regem ament, & qui regnum, qui publico bono ſtudeát, & qui ſuæ fortunæ inſidientur: caveat ſpeciem & pompam. Timeat illos qui ſe conſulere dicunt, honoribus, & opulentia ſaginati. Oderit malos, & deteſtetur. Fortes & probos, alta virtute potiùs quam divitiis claros magni æſtimet, & de iis cogitet qui de ſe non cogitant.

Homines & res noſſe Princeps debet.

Non occupetur in minutiis & levibus.

Dignoſcat deinde in negotiis ſingulis quid factu ſit optimum, de præcipuis loquor, nam de minutiis omnibus quæ ad rē ſtatumque nihil attinent, judicare, ingenii eſt præpoſtere laborioſi. Nullus eſt quiſquis eſt multus, & proximum eſt deſidiæ, occupari futilibus. Majeſtatis etiam diminutio eſt, ſcire aut ordinare quæ non decent. Nocuit Hadriano Imperatori avida cunctarum artium curioſitas, nec in Clemente ſeptimo Principe, familia nato probavit Roma, quòd pretia mercium calleret, & operarum fraudes acutè deprehenderet. Judicent regnantes de domo ſua bene conſtituenda, de conſervando & augendo regno, de juſtitia & legibus, de militia, de fiſco, de armis, & commeatu, de ſociis, & fœderibus, de miniſtris, & negotiantibus, de pace & bello, de præmiis fortium, & pœnis ignavorum, de pacandis magnorum virorum contentionibus atque diſſidiis; nimis multa ſunt quæ ſi naviter fiant, non patiuntur animos vagari extra ſe, & à magnitudine ſua deflectere.

Occupatio Regū.

In negotiis autem judicandis atque tractandis expedit videre, quæ omittere deceat, quæ aggredi, & quo tempore, ne fruſtra deliberetur de inutilibus, aut importunis. Conjungi Deo præſtat, & arctiſſimè implicari reges, qui de ſuis rebus cogitant, *Nam cum ex Divo Thoma duplex ſit humanorum actuum regula, una proxima, & homogenea, quam rationem appellamus: alia ſuprema & omnem vim judicii excedēs,* contingit ſæpe eos qui hominibus præſunt ſi erga pietatem ſunt affecti, celeſti quodam impetu moveri, cum præſertim *cor Regis* (ut ait Sapiens) *ſit in manu Dei.* Nec tamen par eſt ut de ſe ſibi nimis credant, nec præter modum etiam diffidant. Alterum temerarios facit, alterum malè conſulentium inſidiis obnoxios.

Conjungi Deo præſtat ad bene judicandum.
S. Tho. 2. 2. q. 17.
Prov. 21.

Ars judicandi.

In iis quæ humano more dijudicantur, ratione opus eſt, quæ cum ſecundùm Philoſophos *ſit virtus collativa cauſæ, & cauſati,* danda ſingularis opera eſt, ut cauſę rerum agnoſcantur, neque falſæ habeantur pro veris, aut fortuitæ pro neceſſariis. In quo certè cùm ampla & expedita negotia ſunt, ſcrutari diligentiſſimè convenit omnia; nam conſuetum eſt, quod ait Ariſtoteles *ad pauca attendentes de facili enunciare.* Juverit idcirco omnes rerum circumſtantias accurato examine perpendere, atque imprimis finem totius negotii à primordio ſpectare. Deinde quibus adjumentis, quibus adminiſtris, qua ratione & quo tempore moliri debeamus omnia. Prodeſt ſæpe plurimùm præterita recordare, & relegere ex hiſtoriis rerum geſtarum veſtigia. Sic enim Sapiens complu-

Digitized by Google

rium ſæculorum negotiis intereſt, quaſi animus in diverſa corpora ſparſus, ex anguſto loco immenſa terrarum metitur ſpatia, & in ſacros heroum conſeſſus intrat, felicium rebus geſtis, atque etiam infelicium eruditus exemplis.

Tamerlanes dimicaturus ſemper annales ſuę gentis relegebat, conſulta plurimorum, & lapſus notans, quibus acueret prudentiam. Sed cum ex præteritis ordinentur præſentia, & conjiciantur futura, non eſt tamen exiſtimandum, hoc indeclinabili lege fieri propter rerum humanarum flexuoſos anfractus. Eſt præterea vis quædam æternæ diſpoſitionis quæ multa pari ut videntur modo cogitata & acta, in diſſimillimos exitus trahit. Ingens ſolatium eſt inclinare ſemper in honeſta & tuta, quæque ſi aliter eveniant quàm ſperamus, ſanari poſſint: nam in omnibus miſerrima eſt expers remedii pœnitentia.

Hæc dixi de judicio conformando quę ætati ſunt aptanda, paulatimque ut res occurrent delibanda, nec extra rem fuerit tentare ſæpe adoleſcentis ingenium quæſtionibus profuturis, quod Salomoni ſcimus in meretricio olim judicio feliciter contigiſſe. *Summa bonæ mentis.* Summa bonæ mentis eſt, ut, ſenſui rationem, animum corpori, æternitatem tempori, utile jucundo, honeſtum utili, Deum homini præponat.

DISSERTATIO DECIMAOCTAVA.

De tribus Judicii Peſtibus, Affectu, Ira, & Vanitate.

In illà verba. *Depravatum eſt cor Salomonis, nec erat cor ejus perfectum cum Domino.* 3 Reg. 11.

NULLA Judicii aut ſapientiæ lux fulget, niſi purgatis pectoribus, quæ res nos admonet laborandum eſſe in conformanda principis mente, ut ſculptores in ſtatuis ſolent, detrahendo mala, aut ſuperflua. *Iudicii tres capitales peſtes, affectus, ira, & vanitas.* Tres ſunt capitales optimi ſenſus peſtes, affectus, ira, & vanitas, quæ niſi extinguantur in fomite, minaces & ſævæ in omnem vitam ſunt aliquando erupturæ. Quid aliud Salomonem perdidit quam intemperantiſſimus affectus in mulieres; & in Hieroboamum Grarioſum; quam ira fratris interfectrix, & vanitas immenſa.

Amoris inconſulti damni in Principe Aug. de ſubſtantia amoris. Prima impreſſio ab amore eſt, rerum humanarum artifice grandi, & multo, cui fere cuncta tribuuntur, aut expenſa, aut accepta; nec mirum, ſi in rationibus vitæ omnem ferè paginam facit. Non aliunde boni, nec aliunde mali ſumus (ait Auguſtinus) niſi quod benè amamus, aut malè, quod bonum eſt. *Honor ambitioſiſſimè quaſitus.* Exitioſa res & imperiis formidanda, ubi qui potitur rerum, amore cœco rapitur in abrupta, potens in perniciem, & ſui ſemper impotens. *Sævus hoſtis mulier.* Sævus hoſtis mulier amata perditè, ut perdat omnia. *Fovea profunda* (inquit Sapiens) *os alienæ, cui iratus eſt dominus incidet in eam.* *Prov. 22. 14.* Nam ſi privatos etiam homines captos hac amentia videmus in ignem, & furias ruere, quid putamus futurum regibus, qui ſuis freti viribus, eunt in tonantem & fulgurantem Deum? Nil opus eſt hic commemorare decantatam omnibus ſæculis ſapientis inſaniam: certè Ptolomæum Philopatorem accepimus, Pſaltriæ cupiditate incenſum, ejus fratri Agathocli, ſe ſuaque omnia permiſiſſe. Hinc fœda regni laceratio, & aſperſæ patentum ſanguine conſcelerati filii manus. Nec alia res Herodem infanticidæ filium regno depulit, quàm vecordia cupidinis. Adhuc etiam ardent in oppreſſa religione, & tot Sanctorum cædibus Henrici Anglorum Regis flammæ. Nec quæ moderatiores videntu-

Digitized by Google

dentur, ſuis caruere aut damnis aut nævis. Franciſcus primus Rex ingenti pectore de Hiſpanica cuſtodia recens, nec dum liber, in Annæ Piſſeleæ vincula, & potentiores Carolo victore oculorum faces incidit, quibus per omnem poſtea ætatem arſit, magnis inde curis, atque ærumnis conflictatus. Fêlices qui aut hanc Charybdim devitare, aut certè breviter, ac cum ſui poteſtate inſanire potuerunt, ſed ut ait ille *ſapere, & amare vix Deo conceditur*.

Publius Syrus.

Gratioſi Principibus fatales.

Sæpe etiam nocentior in viros quos gratioſos vocant affectus, qui licet veneris ignes non habeat, habet tamen potentiora Marte fulgura, quibus faſcinatrix oculorum vis eſt, & flexuoſæ artes per ſervitii ſpeciem irrepentes in dominatum. Hinc infuſcata majeſtas, & quaſſatæ regni vires, opeſque, dum tot infelicium miſeriis ſaginatur unius felicitas. Certè in dijudicandis rebus modica quæque amoris inclinatio non modicum nocet, *Habet ſiquidem* (ut ajunt) *pilus umbram ſuam*. Quid fieri cenſemus obſeſſo per blanditias & dolos Principe? Ut catuli cæcos fœtus edunt, ſic omnia conſilia rationis lumine deſtituta, & nulla jam veritatis forma conſtat, infecta ubique inſidioſis erroribus mente. Eſt aliquid cæcitate pejus: nam veluti in ſpeculis incantatis falſæ videntur, & amantur ſpecies: ſic corrupta placent, & laudantur omnia non judicio, ſed obſequii libidine. Nec immeritò quis dixit amorem eſſe Zephyri & Iridis filium, nam flante veluti favoris vento, ſpecioſi colores nitent ad ludibria oculorum nati, qui deinde abeunt in cœnum & aquam.

Euſtacinus in Homenum.

Remedium.

Præſens ad hæc remedium, ſi cavere diſcat ab adoleſcentiâ, quiſquis imperaturus eſt, artes faſcinantium, & peſtiferam familiaritatem aut reſcindat ubi cœpit, aut incipere nunquam patiatur. Juverit illi ponere ob oculos clades & funera, exhauſtas & cruentatas per infauſtos amores imperantium domos, omnia per libidinem & ſævitiam acta. Proſpiciendum ne ſint in ejus comitatu ac convictu blandi, & illices famuli per imperioſa obſequia dominum venaturi. Procul abigenda ſeſe per cuniculos inſerens ambitio, & vaſta cupiditatibus ingenia, de amicitiæ nomine nundinantia. Videndum quid quiſque cogitet, quid loquatur, quibus aucupiis infirmam mentem circumſideat, diſſuendus in ipſis exordiis antequam coaleſcat affectus, & plurium gratia ac venuſtate demulcendus animus, ne in unum toto impetu propendeat. Diverticula quoque invenienda ſeriis immixta, quæ pectus acri ſuavitate intendant, nec vagari, aut in deſidiam reſolvi patiantur. Quod ſi jam adulti ignes, vix repugnando ſopientur: eſt enim contumax ſuique faſtigii conſcius amor Principum, & obluctatur remediis, falli ſe putans dum ſanatur.

Clarum iſtud in Joanne ſecundo Caſtiliæ Rege cui mater *Alvarem de Luna* cæca cupiditate dilectum, adhuc tenero ſub duxit; Reſtitit tamen in puero, adverſus vim & delinimenta pugnax affectus, fugam meditanti, niſi rediret Amaſius, & per hujus abſentiam avido ſemper ac mœſto. Redeuntem complexus eſt ardentius quam antea, matre etiam jam potens rerum ablegata. Continua ſæpe præſentia expleti faſtidiunt, qui per ſeceſſionem irritantur. Ut clavus clavo pellitur, ſic gratioſi illi per novos aliquando æmulos abigendi, ſi modo illi navi, & fidi. Grave ac peſtilens vulnus, ſi ſupremam neceſſitatem expectat, & plangi facilius poſſunt, quam juvari, quibus Par incumbit domi, per ævum ſervitutis.

Alvarus de Luna potens Gratioſus apud Ioannem Caſtiliæ.

Ferox

Digitized by Google

Ira alia corruptrix mentis. *Nicetas.*

Ferox deinde malum iracundia, peſſima judicii noverca, & regnantibus ſemper infauſta. Joannem Commenum ferunt, majori natu filio derogaſſe imperium, minori in ſolium allecto, quod ille iræ immodicus, hic temperans eſſet & compoſitus. Tentare alterius curam magis quàm repudium pater debuerat, ſed inde tamen diſcunt Regum filii, quanta vi domeſticum illum hoſtem frenare ac domare debeant. Nihil eſt tutum apud iratos principes, nec modica vis mali, vaſto atque impuni conatu ſævientibus. Æthnam aut Veſuvium diceres flammarum globos cum liquentibus ſaxis eructantes, & cùm omnia perdiderint, ſua ipſius viſcera devoraturos. Bajazethes tempeſtatis nomine clarior, multa ſervorum millia qui in regali aucupio erant, juſſerat occidi, propter cunctantem unius avis deſidiam. Monſtrum ſanè horrendum & Tamerlanis cavea ac catenis dignum. Valentinianum ſeniorem iracunda peremit, dum in Quadorum legatos protervè ſtomachum erumperet. Mathiam Corvinum *Annales Silesiæ.* aſſumptæ quas prandere optabat ficus, eâdem lethi tabe confecere. Impotentiſſima res ira & nimis in funera omnium potens. Per hanc exſilia & cædes, per hanc incendia & ſtupra, per hanc provinciis vaſtitas, & generi humano luctus indicitur.

Vt curanda.

Spectanda igitur in puero qua ſe ferat, & quo tandem eruptura. Non eſt laudabilis indoles pigra & jacens, cui nulli aculei. Sed timenda cui plurimæ & in re levi furiæ. Saginatur ut plurimùm deliciis tumens in Regibus, & ſuppreſſione voluptatum ſopitur. Non omnia puerulis ad libidinem concedenda, macerandæ dum adhuc tenellæ ſunt & vexandæ aliquando cupiditates, aſſuefaciendi ut ſint modicis & ſæpè nullis contenti, nec miniſtrantibus oneroſi. Sentiant ſibi quieſcentibus cuncta occurrere faciliùs, & ſuavius deguſtari. Omnia iratis aſpera, & confuſa. Tolli per iram judicium, juſtitiam, honeſtatem, concordiam, veritatem, fulgorem mentis, per iram Regem ex Deo fieri belluam. Optimum eſt ut ſe æſtiment ſupra omnem contumeliam poſitos, & quicquid peccatur ab ignaris potiùs quàm per contemptum fieri. Sint etiam à curioſitate & credulitate alieni, per quas ſævæ & ingentes flammæ ſolent accendi. Præveniant & amputent occaſiones iraſcendi, & conſuetum iræ frænum, cum exilire cœperit, moram imponant. Ad ſummum irati nil niſi intra verba ſæviant, nec ſibi litari ſanguine, aut plagis velint. Manſuetum eſſe oportet quicquid eſt ſummum. Vaſtitatem urbium ſuadenti hac voce Parmenioni, *perderem ſi eſſem Alexander*, acutè retorſit Rex maximus, *perderem ſi eſſem Parmenio*. Non decent Imperatorem ſerviles impetus, ſentiant oportet ſubditi, habere ſe iram ipſam in pectore Principum advocatam, quos tunc minus audere par eſt, cum fuerint animo commotiores. Monitorem illum Regis Indorum crebro geſtent in corde dictitantem, *Homo es & non Deus, memento tam ſæpè iratum mare nihil præter ſpumam & fluctus littoribus allinere.* *Naz. in Iambicis.*

Tertia corruptrix mentis vanitas.

Tertia demum peſtis eſt vanitas, tumor mentis in futilibus geſtientis. Hæc ingenita fictæ magnitudini, & palpantium linguis ventilata præter modum accenditur. Inde fit ut Reges protervè ac ferociter de ſe ſuiſque viribus ſentiant, & per calcatos ire ſubditos magnificum putent humanæ conditionis obliti. Inde etiam vel parva pro magnis habent, vel levia pro ſolidis. Dum nimis grandes volunt videri, Grandiones fiunt, gloria frigidè

potiùs

potius affectata quàm quæſita. *Et quomodo vinum potantem decipit*; ait Propheta, *ſic erit vir ſuperbus*, *& non decorabitur*. Spirant plerumque multum, ſed parum poſſunt, attrectant ingentia quibus cum dedecore ſuccumbunt, ſolatium capiunt de frivolis. Improbo conatu venditant ludicra pro ſeriis, & pro glorioſis obſcura, quaſi cum ægrotis oporteat omnes inſanire.

Abac. 2.

Sic Pſapho ſeſe per pſittacos & picas conſecravit in Deum. Sic Cajus Caligula directa acie in littore oceani, baliſtis machiniſque diſpoſitis, nemine gnaro ac opinante, quidnam facturus eſſet, repentè milites juſſit conchas legere, galeaſque ac ſinus implere, *Spolia Oceani* vocans, Capitolio palatioque debita.

Dio orat. 1. de regno Sueton. in Cajo.

Procul à regali animo tam inſulſa laudum libido. Magna tum faciet cum ſe putaverit nullum. *Homo vanitati ſimilis factus eſt*, clamat rex modeſtiſſimus. *Nec omnia* (inquit ſapiens) *poſſunt eſſe in hominibus, quoniam non eſt immortalis, Filius hominis. Unus introitus omnibus ad vitã, & ſimilis exitus.* Quis tam fluxis ortus principiis & tam lubricis, de rerum humanarum ſtatu glorietur? Sed tamen prudenti atque animoſo monitore Principi opus eſt, qui vel dejectam indolem in fiduciam ſui Deo duce fortiter erigat, vel nimis elatam atque geſtientem retundat. Objiciat illi tenue illud ſuum ex argilla & modico flatu figmentum, caliginoſam mentem & undique erroribus obviam, futurorum incerta & fortis ſemper ambiguæ ludibria opponat tumenti de puſillis, ampla majorum facinora, & nunquam exareſcentes laureas. Oſtendat pretia rerum, & vana adulatorum deliramenta. Doceat in abdita pectoris oculos defigere, & ſpectare quàm nihil ſit quidquid homuncionis totum eſt; doceat ſuos nevos, ſuos errores relegere, & ita ſe gerere ut neque demiſſus aut pavidus in adverſis, neque in proſperis nimis exultans magna facere, & ferre etiam poſſit.

Pſalm. 143.

Eccleſ. 7. 29. Sap. 7.

DISSERTATIO DECIMANONA.

De moderanda Lingua.

In illa verba de Samuele. *Et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram*. 1. Reg 3. 19.

Sororem mentis acutè veteres linguam eſſe dixere, magnum quippe ſentiendi loquendique commercium. Itaque poſt conformationem judicii rectà itur in ſermonem, in quo periculoſius labimur, quia omnis cogitatio in abdito eſt, verba corpus & ſonum habent quibus animus detegatur.

Lingua mentis ſoror.

Tacere imprimis diſcat, qui ſtudet loqui: ſiquidem pro magno eſt in principibus linguæ continentia, & arcanum rerum gerendarum vinculum. Non admodum refert quid loquantur quibus in obſcuro vita eſt, & famæ decus nullum. Regnantium proceres & vulgus dicta omnia notant, & avidis auribus bibunt. Circumſtant etiam inſidioſi multi qui per hos cuniculos conantur in abdita pectoris irrepere. Nam ſpeculum mentis, ut ait Ambroſius, refulget in verbis.

Tacere imprimis diſcendum.

Benè Avicenna cauſam loquendi ait eſſe multitudinem deſideriorum, quod fit etiam in infantibus, quibus naturæ neceſſitas primas voces extundit. Itaque ad loquendum proniores quibus temperies calida, & humida, radix & ipſa cupiditatum. Laxant ſecreta non tantum vis, aut ebrietas, ſed amor, & curæ, & gaudia, & plaudens ſibi dulcedo gloriæ. Ipſa etiam amicitia

Amb. de offic. lib. cap. 17.

Loquendi cauſſa quæ.

Qui loquaces.

citia quæ cum honeſtate eſt, lene tormentum admovet ingenio, ut prodat quidquid tegendum ratio duxerit. Caveat ab his quiſquis ad res magnas gerendas eruditur. *In ore fatuorum cor illorum,* ait Sapiens, *& in corde ſapientum os illorum.* Parùm providi & multùm laſcivientis eſt animi eventilare ſua, totùmque prominere foras; Avent prudentes multa loqui ſecum; & dulcia miſcere in abditis colloquia, ubi nec aucupia timentur aurium, nec delatio invidentium. Diſcat igitur à tenero Princeps *caput diſciplinæ ſæpemque ſapientiæ* eſſe ſilentium.

Viri ſtatus ſint potentes linguæ. Eccl. 21. 29.

Silentiū ſepes ſapientiæ.

Sed ex æquo vitioſa eſt affectatio taciturnitatis, aut hiulcus ſermo circumſpectantium ſeſe, & timentium prodi, ſi horam, ſi viam indicarint. Tunc vulgantur cùm anxiè latent, & conjicienda multa relinquunt omnibus, cùm nulli ſe promunt. Averſamur omnes frigidas in convictu, & colloquiis communibus mentes; *ſumma eſt artis comiter etiam tacere.*

Taciturnitas nimia vitioſa.

Nec tamen exiſtimandum eſt Regem quem eſſe oportet omnium gentium oraculum, ſilentio & ſolitudini natum. Videndum eſt non tantùm quid premat, ſed quid expromat, & quid loquatur. Præclarè ſanctus Chryſologus dixit. *Inter cor, & linguam, totum humanæ ſalutis verſari, & geri Sacramentum.* Vbi cor benè compoſitum fuerit & optimis præceptis inſtitutum, verba facilè moderationem tenent. Imitandus eſt nobis Deus, qui (ut ait Iobus) *ligat aquas in nubibus,* non ut aſtrictas perpetuò detineat, ſed ut ad irriganda terræ ſata commodè ac tempeſtivè derivet. Continenda etiam ſæpe verba ſunt, prout tempus monet, aut ratio jubet; aliàs etiam placidè fundenda ad communionem vitæ, ſalutemque mortalium.

Chryſol. ſer. 56.

Iob 26. 8.

Verba velut aquæ in nubibus.

Quatuor ſentientium genera, loquentiumque ſcitè Polychronius vetus author aiebat; Quidam enim ſunt ampli ore, & ſenſu, qui magnum pondus obtinent in rebus humanis, alii utr[illegible]e ſtricti, nec minus dicendi avidi, quos miſeratio magis quàm plauſus hominum ſequitur. Alii ſenſibus grandes, ſed impares eloquio, quos juvare, & lubenter audire, è re communi eſt. Poſtremi ſunt mentis inopes, & torrente profluentes linguâ, qui contemni à Sapientibus ſolent, quos utilia magis quàm phalerata delectant.

Loquentium 4. genera.

Polychr. in Iob.

Standum Principi in ſupremo gradu, utique dignitatis ſuæ memori, ut ſentiat ampla, & quæ ſenſerit eloquatur commodè. Primùm abſtineat ab inquinamentis linguæ, qualia ſunt mendacia, juramenta, blaſphemiæ, convitia, & calumniæ, obſcœna quæque, & ſcurrilia. Clamat Sapiens, *Non decent ſtultum labia compoſita, nec Principem labium mentiens.* Omne falſum adulterium eſt, & Spiritus Dei doctor omnis veritatis. Huic Reges aptari par eſt, per quem ipſi regnant; huic ſacra facere addecet, veneratione mentis, & dictorum omnium compoſitione, ad primam æquitatis legem. Mentiri ſervile eſt, & trepidum, ingenii lucem fugientis, ac ſe in vepres abdentis, & tenebras. Quid ei cum principatu cujus maxima claritudo, & ingens fiducia dignitatis;

Quis in genere ſit Princeps.

Lingua eius ut inſtituenda.

Prov. 17.

Tert. l. de Idololatriâ, & de coronâ militis.

Cavendum à mendaciis, juramentis, & blaſphemiis.

Iurare quoque niſi dum inauguratur, aut fœdera percutit, nunquam debet, quiſquis imperat, aut deſtinatur imperiis: Fœdum enim eſt ſacramenta per iracundiam fieri, quæ religione ſanciuntur. Magni ſe æſtimet, & nullum quærat bonæ mentis advocatum præter ſe ipſum. Infimorum eſt hominum ſæpe dejerare, ut aſtruant fidem, quam vita deſtruit. At Regem ſua authoritas commendat, & ſanctitudo perſonæ, cui falli dedecus eſt, fallere ſacrilegium.

Iurare quando debeat.

Quantò gravius eſt æſtuante per furorem

Contra

Digitized by Google

[*blaſphemiam.*] rem animo, diras in homines ſpargere, cœlúmque obſcœnis ac impiis verbis laceſſere? Non tam hoc vitium eſt in Principe, ſed monſtrum, dignum fulmine, atque odio generis humani. Propter unius
[*4. Reg. 19*] Regis blaſphemiam, centum & octoginta quinque hominum millia una nox abſtulit, fulminante Angelo, & caſtris tã latè ardentibus. Tot proiectæ per celeſtem gladium animæ, tot cadavera undiq; fumantia incenſum fecére Iuſtitiæ divinæ, tantâ & tam ſtupendâ clade in miſeros ſævienti. Nec ipſe ſceleris author Sennacherib ultrices flammas evaſit, niſi ut infauſtam cervicem filiorum manibus amputandam deferret in Regnum, ad aras jugulatus qui temeraverat, à liberis, qui in Deum Patrem ſceleſtus & vecors extiterat.
[*Machab. 15.*] In pari flagitio, Nicanoris caput in arce ſummâ Solymorum cum manu ſuſpenſum, pro ferali oſtento, & lingua particulatim conciſa ceſſit avibus in prædam plaudente in blaſphemum cœlo.

Sedent in apice rerum humanarum Principes vindicaturi Numinis injurias, an ipſi ſine rubore punient facinus quod admittunt? Regnant ut de domo Dei nefanda quæque auferant; an ipſi ſuo incitabunt in dedecus exemplo, quos legibus & armis arceri divina lex jubet? Nullum habet niſi cum inferis execrantium lingua commercium. Illic impij tenebris immerſi, depaſtique flammis, erumpentem per os ſtomachum in cœlum vomunt, & miſerrimum habent in ſacrilegio ſolatium.
[*Apoc. 16. 10.*] *Commanducaverunt linguas ſuas* (ait divinus Vates) *præ dolore, & blaſphemaverunt Deum cœli, præ doloribus & vulneribus ſuis.* Quis à civitate Dei canes in æternum excluſos imitari velit, cœleſti vnctione delibutus, & cœlo tot nominibus debitus?

[*Contra convicia.*] Reſtat etiam ut poſt Deum Rex homines honeſtè habeat, à dicteriis calumniiſque alienus. Nam & de Deo dictum: *Tu autem dominator Virtutis cum tranquillitate iudicas, & cũ magna reverentia diſponis nos.* [*Sap. 12. 18.*]

Irritant nobilium animos convitia, quia omnibus inditus amor gloriæ, cuius arbitrium eſt penes imperantem, & quæ ab eo dicta ſunt, etiam inconſideratè, ſparguntur in aures hominum, & ora, dulcedine calumniandi; deinde ipſo auctoritatis pondere impreſſa, lato vulnere feriũt. Multa inde inter æquales materia bellorum, dum leve verbum penſatur dira factorum atrocitate.

[*Guillielmus Angliæ Rex dicteriis irritatus ſævit.*] Quærebat Philippus Rex Galliæ, nũ Guillielmus Angliæ ſagina gravis aliquãdo pareret, qui tam diù ferret uterum. Pupugit hominem inflatum fortunâ, & ingenio ferocem faceta vox, quã poſtea ferro, & face, totque mortalium ſtrage placuit vlciſci: Et quidem Ludovico undecimo magno ſtetit, quòd interrogaſſet an Dux Burgundiæ ex alio metallo conflatus eſſet quàm cæteri Principum. [*Nec parcitur dux Burgundiæ.*] Hic enim qui ſe honorificentiſſimè præ aliis omnibus haberi volebat, magnis in Regẽ clarus beneficiis, infeſto exercitu cinxit Lutetiam, & tumidos faſtidientis ſpiritus improviſâ calamitate depreſſit.

Sed neque apud ſubditos irritæ cadũt ſpernentium contumeliæ; Moleſtè omnes ferunt derideri ſe à dominis, quibus placendi æmulatio eſt, & decus placuiſſe. Contra ſervire & faſtidiri, rem omnium infeliciſſimam putant. Pro inſigni [*Narſes.*] exemplo eſt Narſes Eunuchus, idemque Dux prudentiſſimus, quem cum Theodora Iuſtiniani vxor muliebri impotentiâ dixiſſet relegandũ ad colos, & penſa, hic ſe telam orſurum dixit, quam nullâ operâ poſſet ipſa deordiri. Nec defuit dicto fides, evocatis in florentiſſimos Italiæ agros Barbaris, qui omnia ferro & igne miſcerent;

Digitized by Google

ſcerent. Tam altè nonnunquã deſcendũt in animos hujuſmodi dedecora, ut ſtimulent furentes omni vecordia in ſalutẽ vitamque Principum. Non alia res Caligulæ Imperatoris necem maturavit, quàm linguæ in Chæream Tribunum petulantia. Huic ſignum ſeu teſſeram militarem petenti, modo Veneris, modo Priapi dabat, aliter, atque aliter exprobrans armato mollitiam, cùm ipſe eſſet perlucidus, crepidatus, armillatus. Coëgit itaque illum uti ferro, ne ſæpius ſignum peteret. Ille primus inter conjuratos manum ſuſtulit, ille cervicem Caij mediam uno ictu decidit, & primus vir fuit, qui minimè viſus eſt Dignum omnes tam funeſto exitu Cæſarem exiſtimauere; Erat enim cõtumeliarum ipſe ferendarum impatientiſſimus, faciendarum cupidiſſimus, ut qui publicè Viris obiiceret deprehenſa in corporibus vxorum vitia, quas adulterio polluerat. Curioſum fuit hoc ſcire Principem, contumelioſum loqui: Maritũ in concione hominum audire miſerrimum.

Seneca. Quod in Sapientẽ no cadat iniuria cap. 18.

Sed fortà etiam turpior in ore dominantis videatur calumnia, quæ non palã ut convitium, ſed ex abdito ferit; quia magis exigui, & ſeruilis animi eſt in occulto detrahere. Facit hoc credulitas Principum, dira regnorũ peſtis, nec eſt aliquid funeſtius, quàm ſi rerum hominũque arbiter pronis auribus accipiat omnia. Plenæ ſunt aulæ ferè omnes detrahentibus ſive levitate ingenij, & linguæ laſcivia, ſive nocendi libidine. Circumſtant undiq; potientes rerum, & quam nos crimen putamus calumniam, illi artem vocant: Inde vindicant, inde fortunas ſuas ſtruunt, dum deſtruunt alienas. Si omnia apud Rectorem Imperij mendaciis licent, actũ eſt de rebus humanis, *nec ullus innocens huc vſque felix, ut par ſit diligentiæ fingentiũ.*

Calũnia indigna Principe

Cavendum à delatoribus & credulitate.

Quintil. declam. 11.

Ableget igitur ab aula quiſquis imperat peſtiferum calumniatorùm genus, deguſtet intimos hominum ſenſus, videat quid quiſque amet, aut oderit. Dolenti aut ſperanti non multùm credat; irato & averſanti nihil. Meminerit Imperatores Orientis, cum judicaturi ſederent, pileolo caput tectos, unam tantùm aurem nudaſſe deferenti, alteram adverſario reſervaturos. Duram hîc oportet aurem habere ad crimina: abeunt in deriſum, & in rem malam, qui cauſſas judicant una tantùm parte auditâ, ſæpe & neutra. Inde tot credulitati Principum inſidiantes, inde tot pœnitenda, cum jam nullus ferè pœnitentiæ locus.

Codinus

Invadit etiam optimos quoſque hæc lues, dum malunt favere, aut iraſci potius, quàm diſcernere. Sic perfidioſus Siba innocentiſſimi domini gazam omnem tulit, Davide contra Miphibozethũ præpoſterè credulo. Sic Conſtantinus Criſpũ filium ad omnia decora natum, per unius mulierculæ ex amore in rabiẽ verſæ calũniam, de vitâ & ipſius gloriæ aſpice ſuſtulit. O felices qui dilationibus iniquis obſeratas aures tenent, ne linguam mendaciis, ne ſceleribus manus polluant. Nullæ apud Romanos in templo Herculis muſcæ: Nulli apud fortes caninis iſtis veſpis aditus: Ab ijs non tantum aula, ſed mens ipſa perpurganda eſt.

Delatorũ damna.

2. Reg. 16

Solinus in Polyp.

De obſcœnis & ſcurrilibus nihil attinet pluribus dicere, cum res ipſa ſatis indicet quantum dedeceat conſciam ſui Majeſtatem nebulonum ſeſe immiſcere ſermonibus, & ea audire auguſtalis Palatij ſacraria quæ popinas etiam verecundiores abhorreant.

Iam verò poſt noxia videamus etiam utilia; quibus imbui atque informari linguam deceat. Data eſt imprimis homini ad Dei laudes prædicandas, quod maximè præ cæteris Reges debent, tot devincti nomi-

Lingua Principis ut informãda. Circa Deum.

Digitized by Google

nominibus, tot benefici amoris indiciis clari. Et quænam lux; aut quæ nox vacare illis debet ab officiis tam præclaris, tam juſtis, & tàm fauſtè in regni totius exemplum ituris? Non jam ut olim cruentas hoſtias mactaturi, non ipſam incruentam manibus attrectaturi ſunt. Quid reſtat niſi caſtiſſimas verborum operumque victimas ſupremo offerant Numini, de eo ubique ſentientes magna, & loquentes etiam ſincera.

Circa homines in affabilitate.

Inde ad ſocietatis humanæ commercium traducenda lingua eſt; in quo multum lepos affabilitaſque ſermonis valet; Dici non poteſt quantum aſpero, & affatu rudi depereat amoris aut gratiæ, quantum contemptus, aut etiam odij accedat. Contra verò ſi regnantem comitetur benevola quædam loquendi facilitas, tot Veneres & Suadæ, tot animorum veniunt regna. Inde vis militum accenditur, inde tumultuoſæ reguntur conciones, & ſæpe in omnium funera ituræ ſeditiones pacantur. Inde alitur vitalis amor, & ſpes foventur optimæ; inde mœſtis ſolatia, & præmia etiam victoribus, titillante omnes amici Principis judicio. Nulla in regno immenſis largitionibus fortuna ſuffectura eſt; multa benevolentiâ & laude penſanda, ægreſcentibus aut etiam averſis ingrato ſilentio omnium animis. Non alia res tot invictas legiones poſt Alexandrum traxit fermè ultra ſolem, & mundum, quàm ſingularis comitas. Non alia res poſt Iulium Cæſarem tot armatos per Gallicas nives duxit. Non alia efferatos indignantium animos ſub Auguſto compoſuit. Blandis omnia facilius imperiis cedunt, infida ſunt obſequia per vim extorta.

Sermo qualis in Principe.

Diſcat igitur regius adoleſcens affari omnes comiter, non tamen ex æquo, nec iſtud anxiè, & quæ didicerit ex ſcripto, ſed quæ ingenium dictaverit, lingua proferat in promptu, nil pavens, aut hæſitãs, ipſa aſſuetudine loquendi jam cauta; ſufficit iis quæ pro concione dicentur, curam, & cogitationem, ſine ullâ tamen affectatione, ſed ingenuo vigore impendere. Non decet Reges dicendi genus latum & ſonans, aut etiam nimis cultum, ne detrahatur Majeſtati, quod impenditur eloquentiæ.

Plurimum autem habet dignitatis ſi ſe rebus aptet, ac perſonis, & ea in congreſſibus hominum dicat quæ ſingulos alliciant, & iuuent. Itaque cum clero tractanda quæ ad religionem pietatemque pertinent, de fide ſtabiliendâ, de promovendâ Dei gloriâ, de confutandis impiorum erroribus, de cultu Numinis, de templis & altaribus, ac decentiſſimo ſacrorũ cultu, de populis naviter docendis, de animarum zelo, & induſtriâ, qua in officio retineri atque etiam augeri poſſint. Cum Nobilibus de quærendâ per veram fortitudinem gloriâ, de gladiatorum vanitate & amentia, de Majorum illuſtrium factis imitandis, de venatione, de bello, de armis de obſidionibus urbium, de præliis, de ductu militum, de occaſione & ſtratagematibus, de ferocia, de timiditate, de virtute militari, de coërcenda invidia, & ambitione reprimenda, de moderatione voluptatum, de pacandis ſimultatibus, de otij & libidinis fuga.

Cum togatis & negotiantibus de civili prudentia, de juſtitia & jure, de continenda in officio civitate, de tranquillitate & commodis ſubditorum, de commercio gentium, de pecuniarum modo & uſu, de ſopiendis litibus, de moribus ordinandis, de bonis artibus fovendis, & providendis hominum utilitatibus terra marique. Cum eruditis nonnihil ubi occurrerit,

Digitized by Google

rit, de bonis artibus & hiſtoriâ audire, ſciſcitari, accendere omnium ingenia, nec multa tamen loqui. Nolint Reges animũ in colloquiis ſollicitè intendi, nolint etjam abjici ad conſuetudinem vilem, & verba futilia, de rebus puſillis, aut etiam contemptis; ſed ubique regiam ſpirent majeſtatem. Magna hodie pars ſermonũ in res perſonaſque temporum cadit, in quibus non expedit ſemper mentem iudiciumque Principis prodi: ex quo fit ut prudentes ſæpe quærant diverticula verborum, & omiſſis negotiorum ſeriis ad amæna deflectant. Comitari autẽ orationem debet compoſitio frontis, oris, oculorum, manuum, & totius corporis, ut nihil ſit in Rege quod non ſapiat Regem.

DISSERTATIO VIGESIMA.

De Actionibus Principis.

In illa verba Davidis ad Salomonem.

Intelligas univerſa quæ facis, & quocumque te verteris.

3. Reg. 2. 3.

Operum neceſſitas.

HACTENUS vim judicii acuere, linguamque bonæ menti conformare ſtuduimus; nunc ad ipſas deveniendum eſt actiones quæ ex omni parte cumulatam vitæ gloriam conſtituunt. Præclariſſimè Tertullianus contra Marcionem notat, ſæpe in illo naſcentis mundi opificio à Moyſe inculcari, *Dixit Deus fiat, & factum eſt, Vt tibi*, inquit, *totus commendaretur Deus, & dicere, & facere.*

Tert. contra Marc lib. 2. c. 4.

Vanitatem oris arguit operum penuria, nec ab eo illuſtre quidpiam expectandum eſt, qui loquitur magna, faciens contempta. Quiſquis ſine actione molitur Principem, ſtatuam fingit ſine figurâ. Quid turpius quàm ſterilem facere ſapientiam quæ mater eſt fœcunditatis, & præcepta ſanctioris doctrinæ, quaſi nummos, in avari hominis arcâ conſtricta poſſidere? *Revelari iram Dei de cælo*, ait Paulus, *ſuper impietatem, & iniuſtitiam eorum qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent.*

Ανδρι- αντὸ χῆμα αὔδρα τι πράξις κοσμεῖ. Iulian. Rom. 1. 18

Nihil ipſa veritas dolet, aut erubeſcit, niſi dum latet. Torquetur autem maximè à Principibus otioſis, à quibus coli & illuſtrari mirum in modum debet. Qui ſentiunt præclara, & loquuntur ſpecioſa, nec facere quidpiam enituntur laude dignum & commendatione virtutis, ſimiles illis videntur inſectis, qui lucentes alas explicant, cùm nec favos faciant, nec ſerica. Deus ipſe molitor Regum, non deſidia voluptatis luxuriat, ſe ſuaque contemplando, ſed ingenerando Verbo, amoreque producendo totus & ſemper eſt, ut oſtendat magna ab illis opera expectari, quibus ſumma poſt ipſum in terris poteſtas commiſſa eſt. Videndum ergo nobis intentiore curâ quid facere debeant, & quibus modis ad ipſum perfectionis apicem contendere; quod magnam certè diſceptationem habet, & in multas poſthac diſſertationes (ut Deus annuerit) à me diffundendam.

Verboſi ſine operib. viles & inſectis leuib. ſimiles.

Deus operator æternus.

Atque imprimis iſtud conſiderandum eſt, ab Ariſtotele tria vitæ genera conſtitui; Vnum contemplationi ſemper affixum, quale eſt Philoſophorum; alterum actioni, quale eſt negotiantium; tertium voluptati deditum & deliciis, quod per ſe ſatis eſt contemptum. Sparguntur in omnes hominum mores triplicis iſtius vitæ ſemina; nam neque contemplantes carere omnibus corporis remiſſionibus poſſunt; & ipſi etiam qui ferè toti aut negotiis diſtringuntur, ... Corporis commo-

Ariſt. Ethic 14. c. 7. 11 Vitæ tria genera.

dit, ti

ditati ſerviunt, per momenta quædam vitæ, ſeceſſus habent mentis, ſuam conditionem exoſæ, & in ſuam originem ſuſpirantis. Ex ijs facilè conijciemus omnes Principum actiones in tres ferè dividi partes. Quædam enim ſunt ſublimes, & quaſi de limo corporis defecatæ, quæ capacem cæli animum, in celeſtium Virtutum placida commercia diſtendunt Hoc ſæpe orantibus, & divina cum ſummâ ſuavitate deguſtantibus evenit, ut humanis rebus altiores æthereos quoſdam ſtatus concipiant, ſive excelſa, & imis radicibus defixa in Deum fide, ſive fiducia Numinis ubique protegentis, ſive etiam eximia vi Charitatis in ſuum principium effuſæ. Aliæ ex adverſo videntur humiliores, ad curam corporis, ludos, & oblectationes abjectæ, quæ tamen in hac conditione mortalitatis noſtræ non ſunt contemnendæ: Si quidem natura (ut ait Tertullianus) *non eſt erubeſcenda, ſed potius veneranda.* Videndum non ut ea abſcindantur, ſine quibus vita non ſubſiſtit; ſed ut ordinentur quæ Virtuti etiam materiam gloriæ præſtare poſſunt. Tertia deinde conſurgit operum ſpecies, quæ ſe latiùs foras emittit, grandi cum omni hominum genere commercio, & hæc magnam habet rerum varietatem, nec leve ſtudium dicturis, aut negligentem operam facturis imponit.

Tert. de anima.

* * *

DISSERTATIO VIGESIMAPRIMA.

De prima ſerie Actionum Principis quæ Deum ſpectant.

In illa verba.

Et obſerva cuſtodias Domini Dei tui, ut ambules in vijs eius.

Reg. 3. 2. 3.

OMNES quæ modò veram laudem merentur actiones, à Virtute ſunt, quam Deus inſpirat, voluntas parit, ſtudium excolit. Eſt autem Virtus (ut præclariſſimè dixit ſanctus Auguſtinus) ordo amoris. Omnia ab amore ſunt, & in amorem redeunt. Sed ne homo aberraret à via, data illi Virtus eſt, quæ amorem ordinaret, germanùmque diſtingueret à falſo. Hæc nos brutæ ereptos vitæ rationi aſſerit, cælo impendit & Deo: Docet facere humana, ſed aptat hæc divinis: Docet quo pacto per ſolidum operemur omnia, primùm circa honeſta occupati, deinde ex honeſtis rationibus & cauſſis, tum adhibitis rectiſſimis circũſtantiis. Inde omnis præclara conſurgit actio, in varias partita Virtutes, quæ omnes divino amori militant. Prima ſeries eſt earum quæ de propinquo Numen ſpectant, & quaſi ſtellæ juxtà Solem, ſic voluuntur circa primam & puriſſimam mentem. Ab his principium, ſi modo quid felix & fauſtũ; Chriſtianum certè apud Chriſtianos oportet eſſe Principem, aut nullum.

Virtus ordo amoris.

Aug. l. de moribus Eccl.

Virtutes Theologicæ.

Profundè cæcutiunt ex Politicis aliqui, larvis ſapientiæ illuſi, qui religionem & omnes quæ circumſtant illam Virtutes, ſpecie magis quàm re, prodeſſe Regibus; nonnunquam etiã regno noce-

Contra impios politicos.

Cypr. de Idol. vanitate. nocere putant. *Vagi illi omnes & inſynceri ſpiritus, qui non deſinunt perditi peraere, & depravati errorem pravitatis infundere.* Dũ ſe ſubtiles, & acutos in regendis Imperiis exiſtimant, deveniunt in horrendum quendam ſtuporem mentis; Et dum ſibi regna fingunt, & laureas, faciunt (quod ait Tertullianus) *Tert. in Valent.* *Lamiarum turres,* & inaniſſima magnitudinis ſpectra, quæ flante Dei ſpiritu ſtatim diſſoluuntur. Veriſſimè *Iob 12. 17.* de his Iobus cecinit: *Adducit conſiliarios in ſtultum finem, & judices in ſtuporem: Balteum Regum diſſolvit, & præcingit ſune renes eorum.*

Principi diſcendũ imprimis operosè facere divina. Hæc igitur prima ſit & aſſidua moderatoris cura, ut Princeps adoleſcens diſcat operosè facere divina, & in carũ Virtutum quæ maximè Chriſtianæ ſunt exercitatione, altiſſimas defigere radices, quas nulla vis exſcindat, nullæ temporum procellæ concutiant. Audiat imprimis ex *Hebr. 11. 1. Fides.* D. Paulo, *Fidem eſſe ſubſtantiam ſperandarum rerum, argumentum non apparentium*: Hoc eſt quiquid in hac vita honeſtum, utile, glorioſum, quicquid in altera magnificũ expectatur, hac Virtute niti. Et certiſſima quidem eſſe omnia quæ nobis Deo revelante, & interpretante Eccleſia promulgata ſunt, quamquàm humanis oculis inviſa. Cui magis de Deo credamus, quàm ipſi, non tam verbis locuto quam miraculis? *Tert. cap. 4. de pœn.* *Non quia bonum eſt*, inquit Tertullianus, *idcirco auſcultare debemus, ſed quia Deus præcipit. Ad exhibitionem obſequij prior eſt maieſtas divinæ poteſtatis. Prior eſt authoritas imperantis quàm utilitas ſervientis. O beatos nos quorum cauſſa! Deus jurat! ô miſerrimos ſi nec iuranti Deo credimus!* *Exercitia veræ pietatis.* Incipiat à puero Rex elementa fidei diligenter perdiſcere, clarè recitare, & pio affectu venerari; Magnificè ſentiat de omnibus religionis noſtræ myſteriis, ab omni curioſitate ſit alienus, oderit hæreſes, ſuſpectas habeat aures ad nova prurientes, avitis moribus, & ſincera mente Numen colat, adoret, imploret, gratias agat, quotidianæ ſervitutis penſa ſedulis orationibus perſolvat. Summum Pontificem, Epiſcopos, Sacerdotes, Doctores Veritatis, Clerum omnem, religioſos ordines, & quotquot ſunt ſacrorum adminiſtri, tueatur, & amet; Credat omnia caſtam Deo fidem ſervantibus fauſta, adverſa etjam ipſa æquiora quàm proſpera impiorum.

Sancti per fidem vicerunt regna (ait Apoſtolus) *obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis.* *Hebr. 11. Fidei vis.* Fide Conſtantinus Maxentium merſit, Licinium ſpoliavit, Diocletianum exarmavit. Fide Theodoſius amicas applicuit ſignis, Aquiliſque virtutes, fide ventos excivit quaſi auxiliares copias è deſtinato ad ſua claſſica lituóſque venientes. Fide Carolus Magnus tam ſæpe immanes Saxonum, Avarum, Sarracenorúmque copias fudit. Fide Ferdinandus Mauros ſuis regnis expulit, fide omnia nobis conſtant, & ſine ipſa collabuntur.

Hanc comitatur Spes dulciſſima Virtutum, *Spes.* qua futura expectamus bona, nihil titubantes, propter potentiſſimum atque amantiſſimum largitorem Deum. Huic à teneris innutriri par eſt Principem, ad hanc ſuorum, ſuiſque exemplis firmari, hanc in Regis conclavi, hanc in itineribus, hanc in caſtris habere comitem, & Deo ubique fretum incedere. Hæc eſt quam divinus Iſaias † crepuſculum deſiderij, ſeu amplexus venuſtiſſimè nominat; *† Iſa. 21. 6. iuxta Hebræ. mentem.* hanc enim ut Auroram, Matrem lucis, ſuaviſſimè contemplamur, & prævenimus amplexibus mentis venientem læto bonorum agmine felicitatem. Vnde non immeritò hanc Philo Iudæus prægustatricem lætitiæ indicat, & infert *Ἀρχὴ μελυσίως ἀγαθῶν* magnæ

Digitized by Google

ἐλπὶς. *Philo in Abrahã.*

magnæ apud poſteros venerationi Enochum fuiſſe; primúmque hominem appellatum, quòd ſperare cæteros in Deum ſuo exemplo docuiſſet.

Fluxa omnino ſunt & caduca quæ de mortali manu ſperantur præſidia, niſi ſupra omnia eminere credatur vis Providentiæ cœleſtis, quæ per occultos & mirabiles flexus agit rapitque univerſa. *Manus ſolii Domini, & bellum Domini erit contra Amalech*, canit fortiſſimus Moyſes, poſt fulminatos oratione magis quàm telis Amalechitas, planè innuens de ſupremâ Numinis ſede deputari in piorum Regum auxilia mentes, quibus pavore conſternatos hoſtes fundunt, & memorandas ſupra vires hominum victorias referunt.

Exod. 17. 16.

Charitas ejus origo & præſtantia.

At verò ut nulla inter Theologicas Virtutes Charitate eminentior, nulla etiam Principibus aptior. Certè amor eſt quidam ſapor divinitatis terris infuſus, quo Deum deguſtare in hac mortalitate incipimus, ut ipſo deinde in æternitatem paſci, & frui liceat. Hæc eſt enim conſummata hominis felicitas, ſi primam puriſſimamque pulchritudinem contemplari in perpetuum poſſit. Hanc autem prælibare docemur per caſtiſſimos amores, quibus Deum quaſi ſummum omniũ parentem veneramur, deinde proximum amamus, ſpectantes in eo boni pulchriq; impreſſam imaginem.

Non poterat in hac humana conditionis imbecillitate totus capi, & totus ſine expreſſione ſui amari, rerum ille cunctarum artifex; ex quo factum, ut undique ſuarum manuum opificia in cælo, & terris ſpargeret, quaſi formæ illius primigeniæ & inviſibilis fragmenta: hæc amor oberrans colligit, & reponit in ſinu. Quod ſi mirator imaginis, & contemptor artificis, rebus creatis adhæreſcat, Creatoris immemor, adulter eſt omni infelicitate dignus. At contra ſi per divinas expreſſiones in primam omnium cauſam tendit, ſeſe ſuis itineribus coronat, & omni beatitudinis ſuavitate complet.

Motiva charitatis in Rege.

Habet certè Rex unde Patrem Deum, ſervatoremque Ieſum Chriſtum præ cæteris ardentiſſimâ charitate cõplectatur, tantis ab eo provocatus beneficiis. De ejus contubernio, de ejus ſinu venit. Totus Deo debitus, quia totus illi impenſus eſt Deus. Primam fert primæ mentis imaginẽ non leviter impreſſam, ſed totius majeſtatis ſignaculo celatam. Idem Rex, idẽ ſummi Regis vicarius, conſiliorum ejus particeps, voluntatum interpres, arbiter juſtitiæ, & adminiſter poteſtatis, cui terræ parent, & Maria fluunt, & ad nutum tot mortales obſequuntur. Quantum hoc dedecoris eſt, ſi tonantem ſupra ſe hanc vocem audiat: *Vocavi te nomine tuo, aſſimilavi te, & non cognovit me.* Non redamare amantem (aiebat Plato) eſt occidere: Crucifigit iterum Dominum qui non amat. Quid ſi non tantùm ingratus, ſed perverſus & infeſtus perſecutor? Quibus expiabitur ſuppliciis qui per tot ſcelera unum omnium ſcelus conſummavit? Timeat igitur & amet Dominum, qui totus eſt Domini. Sitiat eius gloriam flagrantiſſimo quodam affectu, curet ab omnibus coli fide integrâ, veneratione ſummâ. Transfigi ſentiat dolore pectus, quoties ſpernitur, quoties offenditur. Aſſueſcat præſentẽ intueri per totã univerſi faciem miſceat ſæpe cum eo dulciſſima colloquia miretur ſparſas ubiq; dilecti virtutes, & ſe in eum aſſiduâ imitatione transfundat. Audeat pro eo magna, pro eo patiatur dura: Sed neſciat quid ſit pati, cùm pleniſſimè ſciverit quid ſit amare.

Iſ. 45. 4.

Charitas Regis ſit opifex.

Non decent Regem amores otioſis tumentes deſideriis, & inanes operum: Quiſ-

Digitized by Google

Quiſquis ſincerè Deum diligit, derivet ſe ab ipſo in proximum, largâ & continuâ beneficentiâ. Experiantur eum undique iniqui vindicem, protectorem innocentes, oppreſſi defenſorem, & pauperes patrem. Studeat ſuorum civium commodis, ingemiſcat damnis, omnes homines Deo repræſentare cupiat, quaſi ipſe univerſum orbem genuerit. Hæc habet vera charitas indicia, quibus à pravo, aut ficto amore diſcernatur.

Chryſ. homil. de laudibus Pauli.

Poſt Theologicas virtutes adſiſcat etiã ſibi perpetuas comites humilitatem, & patientiam. Errant qui putant illam eſſe de ſolâ plebe virtutem, hanc verò infauſtam regnantibus, quâ diſcimus eſſe miſeri. Quantò altius imperantis faſtigium, tantò demiſſiùs eum de ſe ſentire par eſt, fragile humani operis figmentum, & rerum lubrica reputantem. Regnantium ille Dominus Moyſes, cùm rediret de contubernio Dei, toto capite radiis circumfuſo, ſolus ipſe ibat ſuæ lucis ignarus, ad ſtupentes aſpectu populos, documentum ingens imperantibus, ne amore ſuæ gloriæ luxurient.

Humilitas & patientia.

Exod 34. 29.

Nemo tam excelſus cui non aliquando conveniat obſequii gloria. Si Princeps adhuc adoleſcens Parentes habet, gaudeat & fruatur naturæ dono: ſuſpiciat quaſi dominos per quos vitæ datus & dignitati: Mandatum hoc Dei eſt in ſaphiro digitis ipſis exaratum, qui ſtellas accẽderunt, fundavere terras, diffuderunt maria. Et cùm cætera præcepta nuda ſint, iſtud prodit cũ dote, cum munere, promittens longos annos in terris ipſis etiam æternitatis candidatis. Quàm magnum iſtud eſt diù vivere, ubi benè vivitur, cum ſceptro, in regno in tantâ honorum luce, in tantâ bonorum affluentiâ! Omnia ut plurimum fauſta originis ſuæ authores piè colentibus, læva ſpernentibus, nec apud Deum merces, nec æſtimatio ulla apud homines, Dei & naturę edictis obluctantibus. Non tantùm ſint obſequentes filii, ſed ad omnia Parentum mandata certi, timeant, ament, mulceant curas, neceſſitates levent, ornent proſpera, ſolentur adverſa: Et ſi natu grandes, & ſi cum imperio fuerint, non putent ſe ſolutos æternâ lege, quam pietas dictat, quam lex nectit, quam vox omnium probat & exigit.

Honor parentum.

Poſt Parentes inſtitutores colant animorum Patres, audiant præcipientes, obtemperent benè monentibus, nihil adverſus eos faciant elatum aut arrogans, nihil præfractum. Meminerint olim puteos ab iis coronatos, qui ſaluberrimos inde liquores hauriebant, nec ſine crimine faſtidiri à quibus fluunt præcepta ſapientiæ: Non homini datur quicquid hîc impenditur, ſed magiſtro omnium Deo, qui mortali per mortales facem doctrinę pręfert, & iter oſtendit vitæ. Hæc prima humilitatis in ſummâ etiam fortunâ invenientur rudimenta.

Præceptores.

Putei coronati.

Nemo ſuaſerit Principi cum imperiis victuro, humilitatem dejectam & marcentem, quæ à victu cultúq; Regum aliena, & caninæ quid vitæ referens, horrorem potius quàm admirationẽ pariat. Magna in Rege humilitas, moderatus de ſe ſuiſque ſenſus. *In alto poſitum non alta ſapere difficile eſt* (inquit Bernardus.) *Quicquid in intimis pectoribus leve, quicquid inane eſt, ſecundis ſe fortuna ventis ſuſtollit, & effert, agit rapitque tumidos per vaſta & inania.* In hoc igitur laborandum eſt rerum potienti, ut non magis ſe eſſe hominem, quàm hominibus præeſſe cogitet. Submittat colla victrici ſæculorum Providentiæ, ſternat ſe (quod Pythagoras jubebat) ad vocem tonantis Dei, ſpectet ſub illo immoto totam moveri rerum humanarum ſcenam. Caduca illic omnia, &

Humilitas reg.

In vitâ Pythag.

Digitized by Google

quaſi flores in diẹ victuros. Mãcipio propiorem quàm domino tot populorũ, quiſquis vanis didicit, aut inflari, aut gaudere. *Tanquam momentum ſtateræ* (ait Sapiens) *ſic eſt ante Deum orbis terrarum, & tanquã gutta roris antelucani quæ deſcendit in terram.* Quis in tam parvâ poſitus generis humani parte ſuperbiat, ſi totum hoc quod ferro, & igni tam ſæpe dividitur, apud ſupremum Numen nihil eſt Sic aſſequi licebit, ut homo ſemel oſtenſus ſibi, colligat ingenii exultantis laſciviam inter beatos modeſtiæ fines Inde temperabit cultum, veſtitum, ſermonem, & actionem omnem in publico, ut cùm imperet ſubditis, eorum ſerviat & oculis & animis. Magnus tum erit ingenio, ſi nec à proſpera poſſit onerari fortuna.

Sap. 11. 23.

Pati regium.

Adde ad moleſtiam invictum patientiæ robur, tantò magis neceſſarium Regibus, quantò ſævioribus jactata ventis conditio, & vita toties fortunæ ludibriis objecta.

Incumbit magnis certa fatorum lege pati magna, lætis triſtibuſque per ancipitem vitam reciprocantibus. Quid miramur? Edixit hoc Chriſtus, ſuo firmavit exemplo, ſuo cruore ſancivit. *Sponſam unam* (inquit Clemens Alexandrinus) *per omnem vitam habuit patientiam*, quam per ſpinas, fel, & clavos, amplexus, cui vivere lucrum putavit, cui gloriam immori. *Patientia Dei natura eſt, & præſtantia quadam ingenitæ proprietatis*, clamat Tertullianus, & ne quis putet militare ſe Chriſto, qui adverſus eſt patientiæ, infert: *Impatientia Matrix in omne delictum, defundens de ſuo fonte varias criminum venas.* Omne vitium dixeris, cùm dixeris impatientem: Malum ſiquidem nihil aliud eſt quàm impatientia boni.

μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ ὑπομονῆς Cl. Alex.

Tert. de patien.

Patientia regia qualis.

Aſſueſcat Princeps primùm pati ſeipsũ, non æſtuare deſideriis, non otio & tædio marcere, non amore tangi novitatis, præſentibus ſemper infeſto. Velle quæ ad manum ſunt, quę cum ratione fiunt, & ea tantùm optare quę ſibi pręſtare poſſit. Caveat ne in victu aut cultu ſit moroſulus, ne domeſticis & famulis oneroſus. Ableget à ſe iras molles & delicatas, quales ſunt fœminarum ad puſilla quæque excandeſcentiũ. Omne querulum natura infirmum, eſt; omne rabidum impotens.

Illeſcas.

Fuit iſtud in Petro quarto Hiſpanię Rege ſuper cæteras vitæ maculas indecorum, quòd in toto regno nullus inveniretur, qui ad omnia nauſeãti gratus miniſtraret. Agebat ſeſe intemperiis æger, dominus mortalium, & omnium ſervus cupiditatum, cui appoſita exquiſitis cæremoniis ſervitia, faſtidium potiùs irritabant, quàm aliquid afferebant voluptatis. Inde & *Cæremonioſi* nomen habuit. Quale hoc fuit ſpectaculum paventos videre in aula ſervos, ad Regis ut ad leonis aſpectum trepidos, miſera deplorantes obſequia, & pudendam circa intractabilem dominum ſolitudinem. Enitatur ergo quiſquis regnat ſervire patientiæ, humana ferre civili animo, pati cum jucunditate quadam injucunda, tolerare cum opus eſt frigus, algorem, famem, ſitim, injurias, non modò tẽporum, ſed etiam hominum, præſertim ignorantia, & fragilitate peccantium. Si in morbum, ſi in dolores incidat, putet hæc eſſe tributa vivendi cum facilitate animi, Deo reddenda. Si propinquorum mortes ingruant, ſi ſucceſſus præliorum infeſti, ſi flagella, ſi naufragia, & funera minentur, hoc eſſe Providentiæ regnum, & ferienti Deo placidas cervices ſubmittat. Sic itur in puræ & inconcuſſæ tranquillitatis ſacraria.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO VIGESIMASECUNDA.

De Actionibus quæ ad Corporis curam attinent.

In illa verba quæ Jeroboamo dicta. *Me autem projeciſti poſt corpus tuum.* 3. Reg.14.10.

Cura corporis

POſt cœleſtes curas jam ad inferioris naturę munia dilabimur. Et hoc in homine miſerandum, quod neceſſe habeat abjici ad miniſteria corporis, ſed tamen non erubeſcendum, quia natura eſt: Quin potius æſtimādum, quia diſciplina fit. Primæ circa fragilem ſtomachum rixæ, acris in pueris hæc cupiditas, quibus ut cæteris animantibus. *Omnibus una quies venter.* Ubi igitur de bruto incipit homo fieri qui ad ſpes magnas alitur, ſummo ſtudio enitendum eſt, ne gulæ aut ebrietati ſerviat tot mortalibus imperaturus. Difficile quidem Palati ſicut & linguæ regimen: quædam enim facilius non admittuntur, quàm admiſſa moderantur. Ex hoc genere ſunt voluptates corporis, quibus carere omnino non poſſumus, & cum periculo fruimur. Tum illud magis anxię ſollicitudinis, cum ſanitas, & juventa, affluentia rerum, & molle contubernium Principem in voluptuariam vitam non impellunt, ſed præcipitant.

Manilius.

Gula ableganda.

Voluptates periculoſa Principi.

Earum vilitas, & venenum.

Objicienda illi à teneris fœda helluonum in hoc rerum culmine ſpecies. Communis hęc voluptas cum viliſſimis quibuſque ſervorum, qui excuſationem habent in obſcuritate fortunæ. Principem quem tanta lux prodit, turpiſſimum eſt videri in ſordibus infimis, & cœno volutatum. Inde naufragia corporis, vitæ, & famæ, atque ipſius etiam mentis. Habet enim ferè Gula peſſimos comites, morbos, ſtoliditatem ingenii, garrulitatem oris, & ſtultitiam. Vino, cibiſque immoderatis robuſta quoque corpora necantur, & ſæpe magnis cruciata doloribus: *Panis ejus* (juxta Jobum) *in utero ejus vertitur in fel aſpidum.* Tot dulces epulæ, tot exquiſita vina creāt in viſceribus intimis furias ultrices laceratæ per intempeſtivas commeſſationes naturæ. Mitto pallorem, vireſque marcidas, & ſomnos furiales, totamque vitam in unam febrem converſam. Certè infecato per has ſordes animo nulla lux, & hebes rerum omnium ſenſus: *Nam*, ut ait Tertullianus: *Opimitas ſapientiam impedit, exilitas expedit* Tum arcana laxantur, & mortiferæ panduntur voces, tum motæ mentis furor, & portentoſæ libidines & immanium criminum ſemina. Interea ut optimè cadat, contemptiſſima res eſt apud omnes Princeps vino mancipatus & abdomini. Perit illi omnis veneratio, nec jam ut moderator humani generis aſpicitur, ſed ut Geryon aliquis tricorpor (quod præclarè à ſancto Juſtino dictum eſt) ad perdenda vina dapeſque conſumendas natus. Hinc rerum ſucceſſus infauſti, cùm omne in turbido conſilium eſt.

Iob.20. 14.

Damna & effectus tetri.

Tert. de anim. c 20.

Iuſtin. ad Zenam & Serenum.

Neronem imminente jam grandi ruina, & ſolutius in dies potantem Galli excitarunt, quippe è Gallis inſurgente in eum Vindice: Galba, ex Hiſpaniis adventans pavidum & ſtupentem de Imperio & vita nullo negotio expulit. Otho tam vaſti imitator luxus, ad ſeria cœperat erigi, & ad decorem Imperii componi. Sed qui turpiter adoleſcentiam egerat quanquam hiſpidus in caſtris, & ſtipatus fictis virtutibus, premebatur vitiis uſquequaque redituris. Imperium quod per ſcelus rapuerat, per deſperationem projecit; ſua manu mortuus, ne moreretur. Vitellius quoque non tam illi quàm ſibi adverſarius, dum

Suet. in Nerone.

Helluones Principum infeliciſſimi.

Tacitus hiſt. l. 1.

Digitized by Google

ſegnis & lento agmine Romam pergit, ad omnes municipiorum amœnitates divertens, madidis & coronatis caſtris, à Veſpaſiano ſobrio & vigili debellatus, per dedecora turpiſſimæ mortis ſpes omnes famamque decoxit.

Et ne vetera premamus tẽpora, ſequiore ævo Venceslaus Imperator per flagitia gulamq; obſcænam tam contemptus fuit, ut Electorum ſuffragiis ſummâ dignitate ſpoliatus, cogeretur ferè antequàm moreretur, exire de vivis.

Victus Principis. Placeat ergo in omnibus Principi tẽperantia, quę eſt voluptatum circa guſtum & tactum mediocritas. In cibo abſtinentia, in potu ſobrietas, in Venereis pudicitia nominatur, & caſtitas. Gravis & miſera regiæ fortunæ neceſſitas, quòd tanto illi apparatu menſas inſtrui oporteat. Ferendum eſt quod conſuetudo non inhoneſta recepit. Sed tamen enitendum, ne pœnæ corporis tranſeant in gloriam mentis, & pretioſum putetur quod ſapientibus pro vili eſt. Firmandus eſt paulatim animus ut hæc non ſolùm contemnat, non ſolùm diſcat abſtinere tot irritamentis gulæ; ſed in ipsâ etiam rerum affluentiâ penuriam pati.

Bonarum, ut ajunt, rerum ſæpe conſuetudo peſſima. Qui delicatè nutriuntur, nec ullum abſtinentiæ uſum habent, totâ vitâ corpori ſupplices, & in corpus projecti, miſerrimi ſunt mortalium. At qui inter ipſas aulæ delicias didicére non operosè veſci, grande viaticum paravêre ſapientiæ, curiſque majoribus. Danda opera eſt ut *Exercitia.* ſanitas non ſagina comparetur. Faciat ſibi corpus adoleſcens vegetum, & robuſtum, membra compacta, artus enodes, & militiæ laboribus pares. Hic illi ludus, hæc exercitatio, ambulare, decurrere, equitare, volitare, arma tractare quibus natus eſt. Sic præluditur fortitudini. Sic itur in alta nobilium pectora, & plaudit fama rudimentis.

Cavendum tamen ne in iſtis fiat ferocia præceps, & tentet periculoſa, in quibus nunquam niſi ſemel erratur. Inde placida *Venatio ut tractanda.* venatio, quia belli meditatio eſt. Nil ad nobiles attinet quod dixit ſanctus Hieronymus, *Eſaü peccator erat, quia venator erat, & penitus non invenimus in Scripturis ſanctis ſanctum aliquem Venatorem.* *Hier. in Pſal.* Spectabat tùm Sanctus Doctor Clericorum potiùs mores, quàm Principum, quibus venari pro laude eſt.

Nec tacuit iſtud Plinius in Troiano: *Si quando influentibus negotiis,* inquit; *paria feciſti, inſtar refectionis exiſtimas mutationem laboris. Quæ enim remiſſio tibi, niſi luſtrare ſaltus, excutere cubilibus feras, ſuperare immenſa montium juga, & horrentibus ſcopulis gradum inferre: Atque inter hæc pia mente adire lucos, & occurſare Numinibus.*

Hanc animi remiſſionem affectavêre Mithridates, Hadrianus, Carolus Magnus, Henricus primus, & Albertus Imperatores. Ipſa etiam inter mulieres Euphroſyna *Nic. l. 3.* Alexii Angeli uxor, aurata chiroteca accipitrẽ tulit inter aucupes & venatores frequens. Mentiebatur corpore fœminam, virum tegebat animo.

Sed ne quis ſibi dulcibus oblectamentis illudat, cavendum Principi ſolerti curâ eſt, ne ſeria negotiorum venationi poſthabeat, & de acceſſorio vitæ vitam faciat principalem. Deinde ne per vaſtitates agrorum, & proculcatas ſpes agricolarum acer & protervus in delicias eat madidas fletu miſerorum. *Cavendum ne ludicra ſeriis præponantur.*

Pudendum in Bajazethe tot aucupum ſudantes circa fatuam unius voluptatem exercitus, & in Barnaba Vicecomite tot canum millia vicatim diſtributa, quæ infelicium ruſticorum ſumptu alerentur. Etiã *Chal. condil.* *Paul. Iovius.*

habet

Digitized by Google

habet aliquid feritatis tot innocentium cruore animantium ſuo litare ludo, quin potius juvet noxias perſequi feras, & cum fugacibus curſu, cum aſtutis ſolertiâ, cum validis robore certare: Quanquam in eo providendum eſt, ne juvenili calore Princeps exultans feratur in diſcrimen. Nam Baſilium Macedonem, Joannem Commenum, & Fulconem Hieroſolymorum Regem venantes improviſa mors cepit.

Luſus. Illæ demùm luſiones laudandæ quæ vires augent, nec virtutem minuunt. Aleam non tam convenit ſcire quàm ſpernere. Nam & Chriſtianis olim pro infami habita, & qui uſurpabant à Communione, ſecluſi, quia & otioſa fere ſemper eſt, & ubi incaluerit, rabioſa, in patrimoniorum naufragia, & ſyrtes inventa. *Concil. Elibert. can. 79.*

Latrunculi vim ingenii magis acuunt, & habent ludicrum militiæ ſimulachrum. Pila corpus exercit agitatione crebrâ & ſcitâ. Saltatio quæ in choræis locum habet, magis eſt muliebris, amoribus & deſidiæ nata; nec benè audiebat apud antiquos homines qui neminem ſobrium ſaltare exiſtimabant. Teſtis ille Cliſthenes totâ Græciâ celeberrimus, qui virginem habuit filiam eximiâ formâ & virtute, in quam illuſtrium procorum vota ſuſpirabant. Palmam exteris eripuit Hippoclides, quem cùm puellæ pater ſaltantem ad numeros vidiſſet, contempſit, & omni ſpe amorum eliſâ *Deſaltaſti, inquit fili Tiſandri matrimonium* Sed nos ab iſto rigore jam diu deflexinus, cui ſi omnia paria eſſent, jam nulla eſſent. Immiſceri aliquando oportet voluptatibus hominum etiam Deos, nec Regem ſaltare eſt indecorum, ſed eſſe ſaltatorem, & tantum ſapere pedibus, qui capite maximè debeat. Alphonſus Rex Neapolitanus choræarum contemptor & hoſtis, cùm Fridericum tertium Imperatorem, & Eleonoram ejus conjugẽ hoſpitio accepiſſet, ſaltavit in publico, daturus amico rariſſimum lætitiæ argumentum. *Saltatio.* *Cicero pro Murana.*

Scenicos etiam audire nil vetat, modo ab omni verborum geſtuſque laſciviâ ſint perpurgati; nec eo tempore quo luget Eccleſia, theatra plaudant. Ipſa etiam Muſica quæ modo caſta eſt, innocens, & ingenioſum vitæ delinimentum. Innumeræ ſunt oblectandi artes, quarum nec ignarum omnino principem eſſe oportet, nec admodum peritum. Quidquid in iſtis agit, faciat ſalvâ majeſtate, cum decoro, gratiſque ingenuis, quæ magis ſciuntur ignorãdo: nam quæ affectantur pereunt, & qui affectationem nimis diligenter vitant, dum fugiunt, habent. *Comœdia.* *Muſica.*

Nolim ego Regem in minutis eſſe multiſcium, nam ſæpe nullus eſt qui nimis eſt multus. Equitare, venari, canere, ſaltare, jaculari, pingere, ſcribere, componere, ſi ſciat, eſt illi cum multis iſtud commune, in quo & vinci à quibuſque peritis poteſt, qui ferè unum agunt totâ vitâ; nec ſi vincat admodum glorioſum. Unum eſt in quo ſuperiorem habere neminem debet, & omnes ſecundos, in regendis ſcilicet imperio populis, regnoque domi & militiæ aptiſſimè componendo. *Non decet Principem eſſe in minutis multiſcium.*

O miſeram penè magnum & frequens apud omnes aulicos oblectamentũm honeſtam conſuetudinem fœminarum. Hac ſi omnino arcere nitamur à Principe Timonicum quidpiam ſapiet, ſylvis ſaxiſque ſpinoſis magis aptum, quàm vitæ civili. Gaudeant hujus abſtinentiâ commercii homines Deo ſacri, & qui Deo ſtudent eſſe ſimillimi. Non eadem lex inter ſæculi proſpera & adverſa degentibus, quibus mulieres & neceſſarias, & individuas comites etiã matrimonii ſanctitate Deus conſecravit. His honorem impertiri viros monet Apoſtolus, quia *& gratiæ cohæredes* Adde quòd eorum Matres, & ſponſæ. *Fœminarum conjuctudo.* *1. Petri 3. 7.*

ſæ, & nurus, & ſæpe magnis excellentes virtutibus, quas lux pulchritudinis accendit *Dei bonitas* (inquit Tertullianus) *adjutorium homini proſpexit, ſciebat enim illi ſexum Mariæ, & deinceps Eccleſiæ profuturum*. Grande bonum an malum dixerim neſcio, quod nec ablegare ab aula ſine inſania poſſumus, & cum periculo retinemus.

Tert. l. 2. in Marc.

Qualis hæc enim Sirenum inſula, tot circa adoleſcentulum Principem, Venereum ridentes nymphæ, tot ſpecies, tot vultus tot vibrantes oculorum faces, in quibus Amores & Gratiæ ſedent? Alloquiis fœminarū mulceri etiam leones Plinius ſcribit; & certè unus cum toto ſuggeſtu jubarum ceſſit in Reginæ Berenices delicium. Quid putemus in hominibus fieri, quibus pectus tenerum, & molle, & in mulierem unde originem cepit, facilè rediturum? Adde quòd ſe amari à Regibus, & glorioſum, & expetendum multæ putant: Illi autem ſæpe in hoc faſtigio omnia non ſolum proclivia cenſent, ſed licita. Inde tot furiarum ſtimuli, tanta ſcelerum vorago, & funera, quæ omnes deflere, nullus poſſit dicere.

Lib. 8. c. 16.
Tert. de ani. c. 24.

Non humanis viribus tam blandus, & tam ferox hoſtis ſubjugatur. Promptum. & efficax è cælo præſidium: Invocatio Numinis, & pius erga Deiparam affectus. Vigiles Angelorum curæ, caſtus Dei timor, & præſentis ubique conſpectus, temperantia victus, & ſagax occaſionum fuga. Hæc vivaces etiam ſopiunt flammas, & quod à Daniele dictum faciunt *medium fornacis quaſi ventum roris flantem*.

Dan. 3. 50.

Ad hæc juverit ſollicitare animum grandibus negotiis, aut oblectamentis in quibus acrior ſuavitas. Sæpe evênit (quod ſapientiſſimè notavit Climachus) ut multi ſæcularibus ſtudiis, & frequentiſſimis occupationibus diſtricti, caſtè in mundo degerent, quos in Monaſterio torpentes & improviſos voluptas proſtravit. Nihil tam ſalutare quàm animus ſolers, & exercitus, quem ſi non arma, ipſa tamen agitatio defendit.

Clim. de caſtit. grad. 2.

Firmandus idem eſt adverſus fallaces blanditias, ne juveniliter exultans, & ſtupens in amoribus, magnum putet quidquid ignotum eſt. Si quid in muliere optimum, facies & ſermo, ingenium, & virtus produnt, cætera quæ avidiſſimè ab impuris expetuntur, obſcæna, & turbida. Sæpe molles, & pavidos miratores omnium, quivis decor afficit. Acriùs irritat congeſtus in unam affectus, multarum aſſiduus aſpectus, & ſparſa in omnes benevolentia, lentius ſtimulat; *Et ſæpe quis dubius quò caderet, ſtetit*. Detinet erraturos in immenſum blanda, & placens uxor, ſed timendum ne pueris, aut admodum adoleſcentibus, per inſidioſos copulata nexus, diſplicere incipiat, & illi ſuis compedibus obluctati, atrociùs ſæviant. Ad ſummum devitentur tragicæ cupiditates adulteriis ſacrilegiiſque intentæ, quas præcipitat inſania, vis armat, ſanguis aſpergit, & tot ſcelera polluunt. Et ſi quis amator eſt mulieris, caveat fieri mancipium, imperioſæ ſerviens formæ, cœli, regnique, & ſui oblitus: Nihil enim hac ſervitute, aut turpius Principi, aut ſubditis calamitoſius.

***

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO VIGESIMATERTIA.

De Tertia ſerie actionum quæ Regiæ.

In illa verba de Ezechia Rege. *Erat Dominus cum eo, & in cunctis ad quæ procedebat, ſapienter ſe agebat.* 4. Reg. 18.7.

Magnitudo Principis qua & unde?

RESTANT actiones quæ faciunt & produnt Regem, quæque clariſſimis & verè regiis ſuſtinentur Virtutibus. Prima omnium eſt majeſtas ſive magnitudo, quę eſt reverenda quædam in Principe amplitudo, & juſtus de ſua dignitate ſenſus. Circa honorem volvitur quicquid eſt in animo magnum aut in fortuna excelſum. Ad hunc plerique nimis ſegnes & dejecti, ſive præſtringantur fulgore tanti luminis, ſive pondere rerum opprimantur. Marcet in iis auctoritas, & dediſcit quod nata eſt. Alii honorum ſpectris illuſi parva pro magnis habent, & ficta pro veris; aut arrogant ſibi glorioſa immeriti, aut ludicra venantur inſani.

Ethic. l. 4. c. 3.

Unde ſtatuitur ab Ariſtotele Magnanimitas, quæ nihil eſt aliud quàm ordo quidam honoris, ut omnes ſibi quæ merentur, ex æquo tribuant; neque elati in vanis, neque in debitis puſilli. Spectat præcipuè Reges hæc gloria, in quos omnium populorum congeſta vis; & poteſtas, quæ niſi ſuſtineatur, obruit. Ardua hæc Virtus & paucis admodum nota, præpedita per vanitatem mente. Ingens enim ferè omnibus honoris ſenſus, quem inter humana omnia pulcherrimum arbitrantur, ſed dum flagrantiſſimo urgentur deſiderio, & animo deſtituuntur, inflati potius quàm magni per honorum ficta in verum ruunt dedecus. Longa in eo errorum & errantium coacervatio, dum expertes veritatis, magnos æſtimamus fortunæ indulgentia tumentes, inaniſſimos Virtutis. Interim dum ipſi ſibi plaudunt inter inſomnia beatos putamus, quòd dulcibus ludibriis inſaniunt. In tot magnatibus rariſſimi magni ſunt, quia magnitudo non mole, ſed mente penſatur.

De Deo præaltè ſentire prima lex magnitudinis.

Hæc prima magnanimi lex eſt, ut magnificè de rerum omnium moderatore Deo ſentiat, & huic ſe ſubjiciat, ingenti modeſtiæ ſenſu, divina ſuſpiciat, & veneretur. *Diis te minorem quod geris imperas* (ait ille) totus inde Regnantibus honor conſtat, cùm aptè in ſuum revolvitur fontem. Spiret & ſuſpiret ad ampla facinora pro ſummi Numinis gloria non ſolum deſtinanda, ſed fortiter obeunda. Totus ſit in altis arduiſque, non inani ſpecie fulgentibus, ſed latè diffuſis in mortalium utilitatem.

Cognitio ſui.

Proximum huic, ſe ſuaque cognoſcere, opeſque humanas parvi æſtimare, tanquam membra incertæ & ſuo ipſius pondere fatiſcentis fortunæ. Anguſti hoc animi ſignum eſt tumere fragili fortis choragio; circunſpicere ſeſe, veſtes, domos, gazas, ſervitia, ſatellitium, comitatus, & pompas; his immorari, his paſci. At quos pectoris erigit magnitudo, hæc intuentur tanquam parva, nihil valde ſuum rati quod extra ſe eſt.

Atque ut magna ſolent lumina ad exiguæ molis opacum tenues & in conū graciles centes umbras ſpargere: ſic mens excelſa totam fugientis mundi ſcenam ſuo fulgore obruit. Quòd ſi ipſa ſit exilis, & in grande fortunæ corpus impingat, tota ſuis umbris mergitur, & nihil fermè extat quod ſervetur, aut ſanitati, aut luci.

Conſtantia.

Tertium inde in magnanimo conſurgit decus, animus in utraque fortuna ſibi

ſem-

ſemper ſimilis, & omnes vitæ functiones æquabili lege diſpenſans. Habet hoc vanitas ut vehementer mulceatur lætis, ſternatur aſperis, in his nihil tolerans, & in illis nulli toleranda, nec ſibi. Quantùm hoc & quàm Deo vicinum etiam inter humani generis ruinas ſtare erectum! & ſuper côcuſſa non concuti! Stant inde ſua magnitudini trophæa, quæ nulla vis diruat, nulla ætas obnubilet.

Honeſtas. Adde jam quartum, metiri omnem vitam ad omnia honeſtatis mandata, hanc diligere, hanc amplecti, hanc venerari; omnia non modò turpia, & inhoneſta deteſtari, ſed ſordida & puſilla ferre nô poſſe. Nullam avaritiæ labem, flagitii nullam, non timiditatem, non mendacium, non fraudem, non tot dedecora, quæ aulicis tam ſæpe moribus allinuntur perpeti. Honorem ſitire magnum & ſolidum qui in Deum totius gloriæ culmen redit. *Vanitatis fuga.*

Nihil æquè prodit abjectam, & de trivio mentem, quàm ob minutos rerû ſucceſſus intemperanter gloriari, circunſonari ſe, & cani in levibus, & propter levia, velle. Ridiculum iſtud in Clyto, qui cùm ad Amorgon tres aut ad ſummum quatuor hoſtium naves depreſſiſſet, tam impotenti lætitiâ raptus extra ſe eſt, ut Tridentem geſtaret, Neptunuſque dici; & Neptuni in habitu prodire in publicum non erubeſceret. Nec diſpar ille Lyſimachus qui cùm arces aliquas haud magni æſtimandas obtinuiſſet ad Thraciam, haſtâ ſe cœlum attigiſſe prædicabat. *Plut. de fort. Alexandri.*

Plena hujuſmodi Thraſonum omnia qui ſe ſuaque venditant, riſum aliis, aliis nauſeam concitaturi. Inde tot empti & de viliſſimâ plebe inanium buccinatores factorum; tot mendacia programmata, tot famelicarum Muſarum frigidi verſus, tot Panegyrici, tot picturæ, tot emblemata, tot emendicatæ laudes, mera concharum phyſemata. Abhorret ab iſtis omnibus mens non modo excelſa, ſed ſana: Et ſi quidem oblatas in rebus magnificis omnium gratulationes civili animo excipit, nunquam tamen aut ſollicitat, aut ambit, aut puerilem in modum exultat.

Magnanimi côvictus & mores. Jam quæ ex iſtis quatuor magnitudinis Principiis conſequi ſolent, videre non eſt difficile. Si quidem in convictu hominum Princeps, cû magnis excelſus eſt, ore, vultu, alloquio, geſtu, atque inceſſu verendus. Nec veſtitu ſordidus eſt per affectationê arrogantis contemptus, nec nimis cultus, non ignorans munditias mulieribus, laborem viris convenire. Nil agit non regium & quia magnitudinis ſervitutem putat non poſſe dimitti, ad ſubditorum congreſſus ſumma benignitate deſcendit; hominis memor, nec immemor Majeſtatis. Non iraſcitur, non exclamat, non contendit, non diſputat. Non effusè laudat, non multum vituperat. Non vindicat, nec muliebrem in modum illatas reponit injurias imò nec ſentit. Convitia apud illum ſpreta exoleſcunt. Nihil in eo præfervidum, nihil actuoſum. Nihil etiam fictum, aut ſubdolum Palam odit, palam amat, donare magis gaudet quàm accipere. Non implicatur frivolis, non turbatur, magnifica non tantùm cogitat, ſed facit.

An liceat magnanimo diſſimulare? Quæret hîc aliquis num à magnitudine ſit alienum diſſimulare? Nam & hoc voluit Ariſtoteles, & habet (ut ajunt) diſſimulatio quidpiam infirmum, quod in virum magnanimum non cadit. Sed vix credibile eſt, dum hæc ſummus philoſophus ſcriberet, de principibus & ſtatu regnorû cogitaſſe, ubi mentiri quidem nefas, ſæpe autem tacere Veritatem, expedit. Neſcit regnare, qui neſcit diſſimulare, ajebat Rex non incallidus. Quantum enim rerum gerendarum inſtrumentum tollis, ſi velare mentem non licet? Quot conſilia, quot fœde-

fœdera, quot bella, quàm multa prudenter deſtinata & ſalubriter inſtituta pereût, ſi eventilare intimos quemque ſenſus magnanimitas jubet? Si feriendus hoſtis, ſi perduellis puniendus, ſi quid in republica reformandum, ſæpe obſtant tempora, ſæpe reſiſtunt homines acri pertinacia, inſania penè indomita.

Si quæ facienda judicas, & probaris facta, evulgare incipias; Si arcana ingenua ſimplicitate prodideris, continuò irritabis audaciam factioſorum, & tumultuantium inſaniam; Dabis tempus & vires ut ſe parent & firment, ut invadant, ut optimis quibuſque rebus impedimenta præſtruant. Aut infecta res quam moliris, excidet, aut ingenti labore, ingentibus curis atque impenſis & multa ſæpe profuſione cruoris erit ſancienda.

Quantò meliùs res bonas licitis artibus ſimulando diſſimulando, ut in ſtratagematis militiæ fieri à peritis ducibus ſolet, promovere, amoliri innocenti calliditate agmen quod perrumpere non poſſis, & quæ de improbis mala cogitas, ſilentio premere, ac in tempus ſuum differre.

At ineſt (ajunt) aliquid meticuloſum in hac agendi ratione, quod Magnanimi laudes infuſcat. Et ubi ille eſt qui à ſceleratis iiſque potentibus nonnihil aliquando prudenti, & magno etiam animo metuat? An iſte quem nobis fingunt potius quàm exhibent Magnanimus, pacatiſſimus eſt terrarum dominus, cui omnia obediant ad nutum, qui tonare poſſit, & fulgurare, omneſque ſibi adverſantes coruſco fulminum jactu valeat obruere? Sola extra omnem aleam Dei majeſtas, quæ nihil timere, nihil etiam ſperare poſſit. In cæteros quoſque timor cadit tot imminentiū terra marique, qui ſæpe diſſimulando etiam honeſtè avertitur. Diſsimulavit Abraham dum uxorem apud Ægyptios pro ſorore habuit: Diſsimulavit Moyſes pium homicidium, clam mactato petulanti homine, atque infeſto. Quàm multa etiam apud Achim Regem David ſimulavit, cui ſtultitia pro ſapientia fuit? Decipere, fallere, malis artibus virtuti atque innocentiæ inſidiari, magnanimo cuique execrandum. Diſsimulare non eſt adverſum, quia ſapientiæ conſentaneum.

Gen. 20. Exod. 2. *Reg. 1. 2 7.*

Habet etiam aliquid dubitationis quod ait Philoſophus, extra magnitudinem eſſe alieno arbitrio vivere. Nam ſi hoc concedamus Principi, ut omnia ſapiat agatque ex ſenſu ſuo, Phaëtontem certè immittimus in perituri orbis incendia. Quantum hoc Virtutum omnium venenum ſe auſcultare, ſibi credere, ſe in omnibus circunſpicere! Nulla ad exitium promptior via, nulla imperanti ſævior ars, nulla parenti triſtior diſciplina. Præclariſſime Arabum Philoſophi dixêre: *Interrogare ſapientem dimidium eſſe ſapientiæ. Hominem tandiù eſſe ſapientem quandiù quærit ſapientiam, hanc ubi primùm ſe inveniſſe putat incipit inſanire.* Tum ſapienter ut cætera addidit Divus Auguſtinus: *Primum & maximum vitium tumoris ad ruinam ſuâ poteſtate velle uti.*

An deceat magnanimum ſuo ſenſu & arbitrio omnia gerere.

Aug de Gen. ad liter l. 8. cap. 6.

Neque hoc igitur intellexit Ariſtoteles, neque ulla ratio perſuadet magnanimum à majorum placitis, & probo prudentiſsimorum hominum ſenſu abhorrere, ſed eos tantum è deſtinato carpſit, qui ſerviūt opinionibus vulgi, aut ſe nimis humiliter & demiſſe ad alicujus nutum atque imperia componunt, apud quos odiſſe, amare, gaudere, optare, & quę cuique homini natura eſſe proclivia voluit, non fiunt niſi juſſa. Certè & omnia ex ſe ſentire deterrimum, & nihil miſerrimum eſt. Temperiem adhibeat Princeps, & ad veram magnitudinem quam hîc paucis expreſsi, toto curſu anhelet, tota hanc vita diſcat, &

 diſcen-

diſcendo quotidie proficiat. Caveat autē à ficta & inſulſa gravitate, quæ Majeſtatis eſt virus ac pernicies.

In genia inſana. Videre enim licet quædam hominum ingenia inſana potius quàm magna, qui dū grandes affectant in omnibus videri, ad partem ſtoliditatis accedunt. Nihil apud eos non ſingulare, cælo quoque & elemētis à cæteris mortalibus ſecerni cupiunt. Omnes quotquot majorum ſenſu & guſtu ſapiunt, inſcitiæ & ſtupiditati natos autumant, ſolos ſe acutos & ſublimes qui novas ſtellas, & ignota prioribus ſæculis lumina videant. Diſponunt orbem per ſomnia, terras regunt & maria, ducunt exercitus, fundunt oracula, ſacra etiam ordināt: Prudentes quoſque aut fortes ex alto deſpiciunt, & quicquid eſt humani generis pro muſcarum habent agminibus. Soli inter homines Dii, tumentes, faſtidioſi, inſipidi, riſu ex æquo & execratione digni Nihil hac magnitudine aut odioſius eſt, aut peſtilentius.

DISSERTATIO
Vigesima quarta.

De Magnitudine Principis & ejus Comitatu

In illa verba. *Sublimabit cornu Chriſti ſui.* 1. Reg. 2. 10.

Omnes habet perfecta magnitudo virtutes, & promit auctiore numero, formaque auguſtiore. Longum eſſet ire per cunctas, indicabo Principi magis neceſſarias quarum lineamenta deſcribam, fuſiùs ut occurret in ipſo Imperii regimine declaraturus.

Circunſtant ubique majeſtatem perpetuæ comites, Prudentia & Fortitudo, deducunt in publicum Juſtitia, Clementia, & Liberalitas. Prudentia omnibus intereſt, omnibus lucet, omnia illi ſecula ſerviunt: per hanc non tantùm aula, ſed mundus hic maximum & pulcherrimum Dei templum reſeratur. Ipſa verò nihil aliud eſt quàm *ars vivendi*. Operoſa res in Rege, qui vivere ſibi & tot millibus ſtudeat, & privatim, & in publico. *Prudētia prima comes magnitudinis.* *Quid eſt?*

Cæteris fuerit ſatis habere illam quæ omnibus obvia, & communis: At quę in regnante eſt, ſi modò perfecta ſtudet eſſe, de Sapientia fluere, eique arctiſſimè copulari debet. Prudentes appellamus omnes qui ea perſpiciunt quæ bona, & ex uſu ſibi ſunt ad vitam benè beateque degendam Sapientes non item: Siquidem Sapientia eſt altiſſima rerum divinarum humanarumque cognitio. Hæc univerſa ſpectat & æterna, altera ſingularia, & per tot actionum humanarum flexus reciprocantia. Regem qui perfectiſſimus eſſe velit, petere à Deo inſtanter oportet, illam, quam Salomon continuis precibus flagitabat divinarum aſſiſtricem ſedium, & ſeptem dona ſpiritus omnia ſentientis, & moventis, & cuncta etiam terrarum imperia diſpenſantis. *Prudētia in Rege debet eſſe ſapientia.* *Origo ſapientiæ de cælo.*

Certè quod ſapere appellamus, non tā labore partum, quàm de cælo inditum; & ſi juvatur ſtudio, non tamen infunditur. Oranti ſæpe panduntur Prudentiæ fores, quę clauduntur diſputanti. Nec tamen negligenda ſunt à Rege quę beatam illam vivendi ſcientiam promovere atque ornare poſſunt, qualia ſunt tot præcepta Sapientum, ſpirantibus adhuc libris edita, qui cum hominibus ſolent magis quàm cum fortuna loqui.

Atque ut Sapientiæ uſus eſt ſapere, ſicut oculorum videre, quod prudenter à Seneca dictum eſt; Videat accuratè quo pacto omnes prudentiæ partes & momenta in tanta quæ ubique occurrit nego-

Prudentia in quo conſiſtit. & quemodo comparatur.

gotiorum ſerie diligenter obſervet. Tota illa vertitur in memoria præteritorum, intelligentia præſentium, & providentia futurorum. Comparatur autem maximè docilitate,ſolertia, providentia, circunſpectione, & cautione. Docilitas mentem præparat ad felices doctrinæ ſatus accipiendos, quibus mirum in modum acuitur,& fœcundatur. Itaque neceſſariò legenda Principi hiſtoria eſt,lux temporum, & magiſtra vitæ, per quam peragramus orbem,& omnia pervidemus ſæcula. Audiendæ doctorum hominum diſſertationes, & prudentium rimandi atque comparandi ſenſus.

Hinc ſtimulatur ſolertia ars benè conjiciendi,quæ non tota libris majorumque opinionibus hæret,Sed multùm negotiatur de ſuo, quia temporum rerumque nunquam facies una, & ſæpe aberrant à vero quæ per ſervilem imitationem fiunt. Mox providentiæ felix, & ſacer oculus lucet, magna divinæ mentis expreſſio, quâ imus in abdita conſiliorum, & ſuperfuſas futuro tenebras invictâ lucis acie diſpergimus, præparantes omnia gerendis negotiis neceſſaria. Inde ſuas arripit partes circunſpectio ſagax & oculata, quæ omnes rerum, perſonarum, locorum, temporum, modorum etiam rationem diligentiſſimè ſpeculatur. Et ne calentibus adhuc conſiliis nimis mulceamur, de ſtabiliendis potiùs quæ optamus cogitantes,quàm de periculis propulſandis; accidit cautio vigil & honeſtè ſuſpicax, quæ adverſantium conſilia & vires expiſcatur, noſtræ ſecuritati ubique proſpiciens.

Praxis Prudentiæ.

Jam cùm ad opus ipſum progredi oportet, quatuor in prudentiâ requiruntur. Primum eſt ut ordiamur à fine, in rectum ſcopum,& rectâ collineantes,deinde ut nobiſcum ſimulque cum prudentiſſimis quibuſque atque integerrimis conſultemus quid facto opus ſit, tum ut judicemus comparatis inter ſe ſententiis, atque in id quod tutius eſt, & honeſtius facilè propendeamus: Tandem ordinemus facienda, & quæ maturè deſtinata fuerint non ſolùm diligenter, ſed etiam fortiter exequamur. Hæc ſunt prudentiæ membra,hæc ſeries quæ poſthac in rerum civilium diſceptatione clariùs videbitur.

Qualis debeat eſſe Prudentia in Principe

Nunc ut generalia quædam principia breviter attingamus, præſtat eum qui ad prudentiam regalem eruditur, moderato eſſe ingenio, ſolerti curâ, intelligentiâ limpidâ, patientiâ miti: Abſtinere ab omni affectu violento, à vanitate, præcipitatione, pertinaciâ, quæ per infames ſcopulos mentem allidunt atque præcipitant.

Nihil ſine conſilio faciat,benè monentes audiat, diſcernat eos qui per inſidioſa conſilia potentiam aucupantur, eligat conſulentes,imperantes non ferat. Aſſueſcat unus eſſe,& hærere ſibi, & ſi res exigunt,aptet ſe potiùs quàm mutet;nam diminutio Majeſtatis mutanda feciſſe, ſuarum ſibi actionum tempora diſpenſet,domum regat ac conſtituat, regni futurum exemplar.

Sit arcanorum tenax, parcus verborum, nil temerè promittat, nil probet feſtinanter: Sæpe enim ad pœnitendum properat quiſquis tardè non judicat. Noverit multa,nec tamen ſit multus, majoribus & neceſſariis affixus curis. Studeat ſeipſum, res, hominesque, quibus opus eſt cognoſcere, naturam excolere potiùs quàm deſerere, augere bona inſita,rebus optimis atque utilibus intendere,honeſtum omnibus anteponere. Mundas voluptas amet, vitium oderit, improbos mente & famâ corruptos ſollicitè devi-

devitet. Bonis adhæreat. Officium impigrè exerceat. Lædat neminem. Nec blandus ſit, nec auſterus. Rationis imperium foveat, ſenſibus ſubjugatis inſultet potius quàm ſerviat. Ab extremis deflectat, mediocritatem conſectari diſcat.

Atque ut Prudentia (quod initio monui) eſt ars vivendi, cum omnibus non ſolùm honeſtè, ſed etiam commodè vivat. Si Filius eſt, Parentes reverenter habeat, & quaſi Deos humanos ſancta atque inviolabili obſervantia colat. Si conjux conjugem ſuaviſſimo amore proſequatur, & indiſſolubili concordia. Si Pater, liberos curis & exemplis bis generet, propinquos & conſanguineos diligat. Cum Dei Sacerdotibus piè, cum nobilibus ſplendidè, cum togatis civiliter, cum domeſticis comiter, cum populo paternè, cum exteris pacatè ſe gerat gratus æquè omnibus ac verendus.

Fortitudo quid.

Prudentia fortitudinem regit, quâ quis circa vitæ diſcrimina, ſupremamque neceſſitatem, cum recta ratione, & honeſti cauſſa ſtat interritus. Totum ferè hominem produnt conſcientia, ſenſus, & animus; inde probi, inde prudentes, inde animoſi ſumus.

Conſcientia, ſenſus, animus totũ hominem conſtituunt.

Probitas & ſapientia leviſſimo curſu fluunt: Animus grandis eſt, & torrens agitatione magnâ, plauſuque per horrentes ſcopulos, per ignes, & ferrum raptus. Stupens hunc miratur natura euntem in tot ſæva pericula, infra terram & maria, & penè ſupra *tonantem* (ut ait Virgilius) *cæli portam*. Plures tamen audaces quàm prudentes invenias, quia audacia impetu, prudentia morâ convaleſcit.

Expedit Principẽ eſſe bellicoſum.

Fortem in rebus bellicis naſci, vel etiam fieri Principem præſtat, quia hæc ars nobilium eſt quorum ipſe Dux & caput, nec ſegni æſtimatio ulla aut decus. Hac iêre majores, inde nata imperia, inde ſervantur & creſcunt. Umbram fortitudinis in tot temerariis gladiatoribus etiam! qui damnant, ſuſpiciunt. Quantum habere putamus gloriæ verum robur in Rege? Ingens certè animus Cyrum coronavit. Alexandrum orbis domitorem fecit, Scipionem à pueritia extulit; Cæſari Romam, Clodovço Gallias, Carolo, Magni nomen dedit. Idem Franciſcum Galliæ ipſis mirabilem hoſtibus in afflictâ fortunâ præſtitit. Carolum quintum per naufragia, & Syrtes, per Maurorum acies egit, ſtricto mucrone non tam dictis quàm exemplis ſuos animantem. Magnifica certè Virtus, cui per tot ſæcula, tot heroës ſuis vulneribus, & ſuo cruore litarunt, ſed operoſa lectio, quæ nonniſi per plagas, & mortes ediſcitur.

Qualis in Principe fortitudo?

Non eſt hoc poſtulandum ab eo quem Sol ſimul hominem, & Regem vidit. Non eſt optandum, ut agat militem, quem cælum omnium Ducem populorum fecit. Manum cum hoſtibus conſerere Rex nũquam niſi in extremis debet. Nimis in unius anima tot millium periclitantur animæ: inde uno momento afflictæ opes, & verſa regna. Ladislaüs in acie occiſus Varnenſi pugnâ Chriſtianas Legiones proſtravit, omnes uno ictu perculit, cruentum Regis caput conto per Victores Turcas affixum. Naves etiam noſtras ad Naupactum cunctas coronavit unius militis manus, qui ſummo claſſis adverſariæ Duce interfecto cruentos de haſta ſuſtulit vultus victoribus lætos, feraleſque victis. Joannem ipſi meminimus, & Franciſcum adhuc lugemus. Non ſunt Giganteæ Principibus vires, nec commiſſa fulmina, Parùm rem inter gregarios promovent, inter captivos totam evertunt.

Maxima Rex facit, non tã gladio

Satis fortiter agunt cùm pro Dei gloria, pro ſuorum ſalute civium, bellum juſtum ſuſcipiunt, & repudiatis florentis au-

Digitized by Google

quam mente & animo. læ deliciis ipſi ſuos exercitus ducunt. Enimveró præclara res eſt Dominos terrarum per longos equitare tractus, ferre Solem, & pulverem, algere, ſudare, rebus arduis intereſſe, hortari Duces, animare milites, omnibus vires & ſpiritum infundere. Pugnat manibus omnium qui manus omnium movet: Vincit omnibus qui ſuis conſiliis, ſuis imperiis creat victorias.

Principi ut pugnandum Si pugnare tempus exigit, aut honeſtas jubet, eundum eſt alacri animo in obſtantes hoſtium globos, acieſque perrumpendæ. Quid habemus præter ancipitem vitam, quam ſi non impendimus gloriæ, tapit neceſſitas? Contemnere oportet quod poſſis perdere. Non ſunt humana tanti, ut pro iis & miſeri velimus vivere, & indecores mori. Timidis & fugacibus ſua inſtant fata, fiduciam ambit læta felicitas. Si quieſcunt bella, nunquam deeſt materia bellorum. Habet Princeps campum in quo exerceat ſeipſum. Dum frænat iram, dum libidinem domat, dum ſuperbiam frangit, pugnas habet ingentes, & decora in ævum victura. Nil fortius quàm qui ſe ſuum fecit expugnatorem.

Alia comes magnitudinis æquabilitas animi. Eſt præterea ingens invicti animi argumentum, cùm influentibus lætis moderatior eſt animus, aut etiam urgentibus adverſis, victâ fortunâ, victrici ſtat mente, fatum ferens & Deum. O ſpectaculum celeſtium aſpectu dignum! Princeps optimus iniquâ ſorte preſſus, quem cæli circuntonantes iræ feriunt immotum. Ipſe captus, ipſe ſaucius, reptat ad ſuorum vulnera obligāda & nihil putat ſe perdidiſſe, dum ſe abditum ſentit in intimo pectoris ſacrario, quò nulla hoſtis contumelia, nullum penetrat fortunæ telum.

Juſtitia. Inter cæteras Virtutes quæ ſunt ad alterum, Juſtitia celeberrima eſt; *Tota* (ut ait *Tert. l. 2.* Tertullianus) *plenitudo divinitatis*, quæ dum jus unicuique ſuum tribuit, totius mundi vices ſacra moderatione diſpenſat. Per hanc ſtant ſolia, regnantes imperant, leges vigent, populi lætantur, floventiſſimæ res ſurgunt, Pax firmatur, ubertas exundat in omnes Imperii venas, & uno verbo dicam, cælum deducitur in terras. *contra Marc.* *Ejus magnitudo & utilitas.*

Is eſt vitalis ſpiritus quem rerum univerſitas trahit, nihil aliud futura niſi onus & præda, & omnium confuſio calamitatum, ſi de medio ſubtrahatur. Ubi languere incipit, deeſt in corpore civili ſaluberrimus humor, quo vegetari ſolet, inde languor & macies, tabeſque dira morbos infames, & certum exitium tractura.

Mirari mihi ſæpe contigit Hebræorum vim efficaciamque verborum, qui quos *fortes juſtitiæ* dicimus apud Iſaiam, illi *arbores* vocant: Pulchrè ſcilicet Reges cum arboribus comparantes, quæ firmæ radicibus, & denſæ foliis, nos ab æſtu pluviaque defendunt. Inde mos exquiſitiſſimus apud illam Gentem, naſcentibus Regum filiis, arbores inſerere, quæ cum ipſis adoleſcerent, & è quibus jam adultis, & proceris, throni dominantium fierent. Diſcebant opinor ab illis quo pacto jactatæ per tempeſtates, & ardores, plebi perfugium umbramque præſtarent. *Iſa. 61. 3.* *Thargū & Novarinus l. 4. Obſervatio Hebræorum notanda.*

Non ſunt uſquequaque militarium laude palmarum ſtimulandi Reges, quæ tantâ populorum vaſtitate, tam generoſo heroum ſanguine quæruntur. Habent in exercenda Juſtitia bellum cū feralibus monſtris continuum, unde minus cruoris, plus fluat gloriæ O quantum in decus aſſurgūt ſi hanc ſibi cæleſtem cantari vocem non fictis adulationibus, ſed veriſſimis laudibus audiant! *Illuſtris es tu, & magnificentior montibus præda.* Hic nempe claritatis apex, hic honorum cumulus, ſi montes ſeculi, ſi proceres injuſtis tot rapinis onu- *Reges juſtitia magis quam armis inclyti, & venerādi evadunt.* *Pſal. 76. juxta Hebræa.*

ſtos, tot cædibus inquinatos, in plana ſubmittant, ſi tot feras cubilibus excutiant, ſi de mediis faucibus eripiant devoratas opes, reſque mortalium, & injuſtitiam ſuis catenis conſtrictam, ſuis calcatam pedibus populis oſtentent. Sic itur in filiorum Dei nomen & commercium, nec immeritò Concilii Toletani Patres Regi dum inaugurare tur, clariſſimâ voce perſonari voluerunt illud Sapientis: *In judicando pupillis eſto miſericors, ut Pater, & pro viro Matri illorum, & eris tu velut filius Altiſſimi.* *Eccl 4. 10.*

Principis magna & perpetua lectio. Audiat igitur adoleſcentulus Princeps à teneris unam ſibi magnam & illuſtrem à Deo commendari lectionem per omnem vitam ediſcendam, nunquam deponendam de manibus, juſtitiæ amorem & cultum. In hac ſceptra, coronaſque ſuas omnes, in hac omnia ornamenta, omnes delicias, honores ſecuritatem, gaudia, vitam, ſalutemque verti. Si hac virtute deſtitutus fuerit, nihil extare in eo de Rege, nihil penè de homine, niſi titulum inanem, & vanæ mentis ludibrium.

Zelus justitiæ qualis in Rege. Sit illi Juſti nomen, non umbra, ſed veritas: Anhelet toto pectore caſtiſsimas flammas illius Reginæ mundi, cui ſerviunt infima, plaudunt ſuprema. Incipiat à puero eſſe veritatis amantiſsimus, impatiens iniqui, oderit fallaces, & improbos, gaudeat de latebris eduxiſſe tecta mendacia, arteſque ſubdolas. Tripudiet lætitiâ cùm innocentem de laqueis eripuerit, cùm jus aſſervetit homini, & ſplendorem juri. Imitetur Æglen Samium, cui primas juſtitiæ voces extudit de ore muto, & nunquam locuto, cùm rem inter æquales meritis, non æquè dividi vidiſſet.

Nulli ludi tam feſtivi, nullæ tam ſuaves ſint deliciæ, quas hujus virtutis amoribus anteponat. Aſſueſcat interpellari lubenter, ut querelas pauperum & clamores oppreſſorum audiat. Hanc unam ſibi Muſicam omnium ſuaviſſimam profiteatur. Diſcernere aggrediatur viros probos, & eximiâ integritate præditos, quos tanti operis adminiſtros habeat; Hos amet, hos præmiis & honoribus afficiat, illis ſua, illos ſibi, de meliore nota commendet. *Praxis Iuſtitiæ.*

Expedit quoque ut civilia intelligat, ut loquentes attentè audiat, ut benignè omnibus reſpondeat; Nunquam tamen in judicando ſit levis, aut præceps. Scire aveat quid agant tot mortales, quomodo adminiſtrentur Provinciæ, quò abeat fiſcus tot populorum ſanguis, quo pacto popularibus jura reddantur, qui ſinceri judices, qui depravati & maculoſi. Hæc elementa diſcentis: Sequenti libro fuſiùs Juſtitiæ totius functiones proſequar. *Notitia Iuris.*

Æquis cum ea paſſibus gradiatur Clementia, principale Regii pectoris ornamentum, quæ nihil eſt aliud quàm temperantia animi in poteſtate ulciſcendi. De hac pulcherrimè Seneca ſcripſit, jam ferum Neronis animum mulcens, totus in eam partem incubuit, qua vis malorum urgebat. Sed vicit ſapientiam vecordia, nec par eloquentia ferro ſævientis. *Clementia.* *Seneca lib. 2. de Clem.*

Quid expediat in adminiſtratione rerum, & an molli, an ſevera regnandum ſit juſtitiâ, poſt hac dicetur commodiùs. Nũc quod ad mores Principis attinet, è publicâ utilitate eſt, ſi naturæ ipſius propenſione in lenitâtem inclinent: Hæc enim prima & pulcherrima Dei expreſſio, cujus bonitas natura eſt, & ſiquidem de noſtro juſtus eſt, de ſuo ſemper eſt optimus, ut ait Tertullianus. *Optandum ut Princeps in lenitatem magis quam ſeveritatem inclinet.*

Hic flores veſtit, hic auribus horrea diſpenſat, hic rorem pluit inſectis, hic to-

tam

Tert. de reſurr. carnis. *Typus lenitatis in Deo à Rege exprimendus.* tam animantium alit vegetatque naturam prodigus omnium homini, & uſque ad inferos miſericors. Hunc intueri, hunc ſuſpicere, hunc imitari tanquam æternum veritatis exemplar Reges debent, ſi modo qui ſunt ab eo, cum eo etiam eſſe beatiſſimi velint.

Philocorus lib 2. hiſtor. Præclariſſimè olim Heliopolitani Græcique ſacerdotes nonnulli feciſſe videntur, qui Soli nunquam animalium cruore, ſed melle litabant, arbitrati eum qui cæli terrarumque rector haberetur, naturâ eſſe ſuaviſſimum, eundemque beneficentiſſimum, nec per exitia atque interitus coli Regem, per quem omnia & cui omnia viverent.

Lex Regi à puero dictanda. Hanc ſibi legem Princeps dictet à puero, ſe bono communi natum, ſervatorem, non deſtructorem mortalium. Sibi caſtas ab omni ſanguine quantum per juſtitiam licuerit ſervandas eſſe manus: Neminem exturbandum de vitâ, quem non omnium interſit perire. Neminem convicio, neminem damno per ſe, vel ex ſe afficere. Legibus, quod juſtum eſt, ex neceſſitate permittat, ſibi quod indulgentiſſimum eſt, ubique optet, & ſępe etiam tribuat.

Hoc ingenti cura in iis quos faſces atque imperia expectant, elaborandum eſt, quia privatorum hominum irę in rixas exeunt, Principum ſævitia (ut ait Seneca) *Seneca lib 2. de Clem.* bellum eſt. Quotquot crudeles aut nati, *Sævorum Principũ dira vaſtitas.* aut poſtea facti ſunt, tanquam ſerpentes & venena regna contagione ferâ polluerunt. Exundarunt in perniciem mortalium quaſi Ætnæ aut Veſuuii montes, latiſſimè omnia incendiis populaturi, provinciis ferro flammiſque per dira omnia mixtis, ſua tandem ipſorum viſcera devoravêre.

Hominis reveren- Primum igitur ita inſtituendus eſt qui imperiis creſcit, ut juxtà Deum homines (quod ait Sapiens) *cum reverentia diſponat.* *ter habendi. Sap. 11.18.* Grande aliquid eſſe putet vitam fortunamque unius etiam viliſſimi cujuſque, ſuos ſubditos, ſua membra, ſuos artus putet, in quos nemo ſævit niſi furioſus, nec putrida quidem, aut immedicabilia ullus, niſi conſideratè & medicorum opera ſibi pariter avelli. Timendum effuſi *Vindicta divina extinſiſcendæ.* ſanguinis apud maximum tribunal judicium, ſupereſſe mortuis manes, animaſque, cauſſam omnibus ſæculis agentes apud ultorem Deum.

Sæpe etiam potentiſsimos ab ignobilibus interemptos, dum timendi & atroces omnibus inſtarent. Vitæ noſtræ dominum eſſe quiſquis contempſerit ſuam. Magno ſtetiſſe Caligulæ, Neroni, Domitiano, & tot prodigiis Imperatorum ſanguinem humanum toties per immanitatem effuſum, iis de florente imperio, & juventa, de culmine rerum ſublatis.

Eſſe luctuoſum in noſtra hiſtoria exemplum, Childericum Regem, cum uxore trucidatum à furioſo, quem virgis ſervilem in modum cædi juſſerit, cùm eſſet hic nobili loco natus. Repręſentanda ſæpe eſt illa impiorum tyrannorum vita in qua omnia turbida, & confuſa, voluptates ipſæ pavidæ, ſuſpecta ſervorum miniſteria, ubique ferri & venenorum pavor, & mortuorum imagines lectos, menſaſque, & ferales delicias obſidentes.

Providendum ne beſtiarum etiam ſanguine ſupervacuè fuſo lætetur aut inhiet; *Meditati Clementiam Regem à teneris expedit & quomodo.* ſæpe enim rudimenta occidendi hominibus ſævis Principibus amphitheatra, & innocentium ſtrages belluarum homicidii meditatio fuit. Nũquam puniat iratus nunquam credulus, nunquam ipſe violentas in pœnam ſervorum manus agat, ſuarum furiarum adminiſter. Si facile illi in iras ingenium, faciles habeat in ſe

regreſſus.

regreſſus. Vindicet itas beneficiis, nunquam amœnior quam iis in quos leviter commotus ſine juſtâ ratione fuerit: Nunquam pudeat vinci, dum vincit animum, & ferociam exarmat.

S. Dionyſ. de divinis nominibus.
Manſuetu to Dei contubernalis.

Moyſes, ut ait Dionyſius in Dei colloquium admiſſus, circumfuſo deinde radiis capite, quod omnium hominum eſſet leniſsimus. Hanc cœleſti ambitione Reges coronam affectent, quæ gemmarum omnium fulgorem longè ſuperat, dulciſsimum factura Deo terriſque ſpectaculum.

Vix timendum illis ne in fatuam bonitatem inclinant, quia omnis potentia naturâ ſuâ ferox eſt, & nunquam deerunt qui eam accendant. Sed quando mitiſsimis quoque ingeniis hoc accidit ut nimis abjectè diſpenſent clementiam, videndum quid recta ratio, quid prudentium conſilia præſcribant, & ſæpe Principi ſuo ſapiendum ingenio, regnandum alieno.

Liberalitas.

Reſtat hîc & ex regiis virtutibus liberalitas ſeu potiùs magnificentia, una omnium amabiliſsima. Nam quiſque largientibus natura benevolus: Non aliter belluæ mitigantur, nec aliter Dii cenſentur quàm beneficiis Inde fortè in Canticis *tornatiles ſponſi manus*, quia nihil habent hamatum, nihil viſcoſum, donis ſua ſponte tanquam è perenni fonte fluentibus.

Dii cenſentur beneficiis.
Cantic. 7. 12.

Publius Syrus Frugalitas an deceat Principem.

Frugalitas (ut ajunt) miſera eſt rumoris boni, ſed in privatis quorum res arctæ, & animus futuræ metuens inopiæ. In Principibus verò maculoſa ferè omnis parſimonia eſt, quia nec altum pectus, nec generoſum ſanguinem ſapit: Merentibus injuſta, ſperantibus fallax, omnibus odioſa.

Avarorū Principū exitus funeſti.

Inde in Imperio Romano tot cædes, tot funera dominantium, ferociente adverſus avaros Principes milite. Non alia res Galbam oppreſsit, quàm donativi mora; Poterat quantulacunque liberalitate diſcordes mulcere legiones; Sed dum timet emere militem, breviſsimum fecit Imperatorem, corrupto per Othonis largitiones exercitu.

Dona ubique deliniunt accipientes, ſed maximè in turbidis rebus valent, tentata per acres æmulos ſubditorum fide.

Prudentes frigidi & parciores.

Raro magnæ liberalitati cum magnâ prudentiâ convenit, quia calidis & æſtuſis illa hæret ingeniis; hæc conſideratis & intrà ſe clauſis; qui futura provident, res æſtimare ſciunt, & timent ne multa donando, liberalitatem unde exercent amittant.

Prodigioſa tenacitas in opulento Principe.

Prodigio ſimile eſt videre multos in ampliſsimâ fortunâ & rerum affluentiâ natos, tenaci manu, non ſecùs ac Æneanes, qui fundum omnem perdituros ſe æſtimabant, ſi glebam petenti darent. Conſpirat ſæpè in has ſordes transfuſa in pueros Parentum tenacitas, & educatio vilis, & nimius amor ſui, neſcio & an aliquid afflatum de ſideribus, nam nec nimis in dãdo faciles Manilius ait ſub Cancro natos, quaſi dona conſtringentibus chelis.

Unde?

Ut formandus ad liberalitatem juvenis Princeps.

Quicquid ſit eradenda ſunt in adoleſcentulo Principe peſsima avaritiæ ſemina, nec tantùm hortandus eſt ut donet, ſed exercendus quotidie in donis largiendis, & plura illi quo liberalior fuerit ſuggerenda, quaſi cælo cum multiplici fœnore reddente Natura in pueris ſui amans, ſuorumque avida, paulatim exerenda eſt, & in hominum utilitates quaſi beneficus aquarum rivus in herbas & flores eſt effundenda. Perſuadendum illi maximè non perire quod benè poſitum eſt beneficium, ſed hoc ſemen eſſe unde bonorum ſibi officiorum creſcant germina. Non aliter probari Reges, quàm ſi multa donent: Eum qui hoc neſciat, neſcire artem regnandi. Stare naturam rerum, & regna per dandi accipiendique commercia. Nec Sol ſibi

lumen.

Digitized by Google

lumen, nec aquas retinet mare, omnia illis perenniter conſtant, dum effundunt. Portentum eſſe hominis Principem avarum, cælo exoſum, & terris, cui ſecuritas rara, & nulla fiducia. Summam eſſe in donando voluptatem, quia tum ſublimioris excellentiæ conſcia ſibi natura gaudet, & plaudit in ſinu.

Liberalitas moderanda. Cùm ad largiendum fuerit propenſus, tùm curandum eſt ut cum virtute largiatur. Peſſimum omnium damnorum eſt inconſulta donatio, & ſi quidem Ariſtoteles prodigum meliorem avaro dixit, non tamen iſtud eſt in regno, ubi Princeps tenax ſoli ferme nocet ſibi, prodigus omnium eſt calamitas. Videndum quid & cui quâ ex causâ, & quâ ratione etiam largiendum ſit, nec fruſtra quis dixit dandi eſſe artem, eamque permagnā. Errant quibus imprudens facilitas pro liberalitate eſt Perdere multi Principes, donare pauci ſciunt. Nec immeritò Seneca carpit illam Alexandri vocem: *Non quæro quid te recipere deceat, ſed quid me dare.* *De Benefic. l. 2.* Habenda enim maximè eſt perſonarū & dignitatum ratio, nec omnia omnibus promiſcuè danda: Nam quod quibuslibet datur ſæpe nulli datum eſt. Cavendū maximè ne in unum aliquem prodigi, in omnes iniurioſi ſimus; Nam quod prudentiſſimè Theodoricus Imperator dixit: *Regis dona in unum coacta depereunt.* *Principes in unum prodigi ſæpe omnibus iniurioſi.* Nō eſt hoc largiri, ſed in gurgitem effundere, nec illi innoxium qui effuderit, ſi quidem mediocria beneficia debitores faciunt, ingentia inimicos, dum non habent ampliùs quod petant.

Deterrimum genus liberalitatis. Deterrimum liberalitatis genus hiantes ſaginare cupiditates improborum, & eas imitari arbores quæ in præruptis editæ ſcopulis rapacibus tantùm feris frugiferæ ſunt. Ignominioſum quicquid obſcænis voluptatibus impenditur, nec tantum Rege ſed homine indignum, ubi ex divitiis fiunt vitia.

Bona quibus danda. Dandum imprimis pauperibus, quia divina iuſſio eſt, cui tot ora Prophetarum ſerviunt, tot exempla ſæculorum militāt. Stetit in templo Dei menſa panum qui vocantur *propoſitionis*, inciſa Regum imaginibus? ut ait Toſtatus) quòd ad Reges maximè attinet panem largiri desertæ tot inopum vitæ. Penſanda ſunt vigili cura fortiſſimorum virorum merita, qui domi, qui militiæ laborant; & iuuandi qui graves annis, & armis obtriti, plagis etiam non indecoris inſignes, toties fuſo pro Rege; & patria ſanguine. Eripit Deo quicquid his debitum Princeps retinet. Hæc ſpectaculi res eſt, ſi beneficiis eius Xenodochia ſurgant, fulgeant templa, alantur qui Deo ſerviunt: Collegia quoque & ſeminaria vigeant, & bonæ animentur artes. Mirificè ſplendet quicquid populis impenditur moderatione tributorum: Dare paucis quod eripias omnibus, nihil habet magnificum. Maximus regnator eſt qui poteſt regnare gratis. Benè Orator Andocides aiebat potentiſſimos quoſque ſi per rapinas hauriant, quod inconſultè poſtea effundant, ſæpe ſordidiſſimos euadere. Reverenter habendus eſt tot mortalium ſanguis, nec temerè Regibus impenſæ in res aut malas aut inutiles faciendæ. Ridiculus Epiphanes qui magnam vim pecuniæ per vicos effundebat, largiturus cui fortuna dediſſet, debuerat mente, non ſorte liberalitatem moderari. Nec verò tantum honeſtè, ſed citò quoque & jucundè dandum eſt. Plerique donant multa, nec libera es unquam habentur, quia illiberali faciunt animo: maligne dant, & ſerò, rogantibus multum, pendentibus diu, exprobare incipiunt quod nondum dedere: tradunt dona per ſuperbiam, quo fit ut in tædium ad-

adductus animus incipiat odiſſe beneficia.

DISSERTATIO
Vigesima quinta.

De tribus functionibus Principis.

Religionem protegere, Iuſtitiam adminiſtrare, bella ubi opus eſt gerere. Ac primum de Religione.

In illa verba de Ezechia.

Diſſipavit excelſa, contrivit ſtatuas, ſuccidit lucos, in Domino Deo Iſrael ſperavit, poſt eum non fuit ſimilis ei.. 4 Reg. 18. 4.

Ἀνάγκαῖον τέλφοι βασιλέα στρατηγὸν ἀγαθὸν ἢ ἱερέα. Diogenes Stoicus Religionem unam & veram ſincera fide colendam eſſe.

TRes habet regia poteſtas functiones præcipuas, ſacra religionemque protegere, juſtitiam adminiſtrare, bella ubi neceſſe eſt gerere. Ordiri placet à ſacris quorum maxima penes populos omnes cura, aliis ſuperſtitione attonitis, aliis veræ pietatis amore inſtinctis.

Ingens illud & mirandum divinitatis argumentum, quod nemo mortalium Deum permittitur ignorare. Signata eſt in animis noſtris primæ mentis effigies, quæ licet luto & ſordibus aſperſa radios vibrat.

Inde præſtricti ſollicitamur ire in cælum, in Deum, etiam cæcis itineribus, averſiſque veſtigiis. Nam quibus infectâ tot nefandis criminibus vitâ, contigit æternum vagari poſt Deorum ludibria, juſtis quidem ſed mire vltricibus acti ſcelerum pœnis, ut Deum non ſecus ac inferi, neque obliviſci unquam poſſint, neque poſſidere. Illi ſunt de quibus Apoſtolus dixit, *& mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium.* *Rom. 1. 23*

Pecudibus in paſtum abjectis nullus de divinis ſenſus quia nec iſtis natæ. Homo de iis cogitat, de iis quærit, & diſputat. In hoc inquietantur ſæcula, & per hoc pugnæ, & bella, converſioneſque regnorum fiunt. Sed illud imprimis miſerandum in tot populis, dum alius velut alio doctior, ſua ſacra, ſuos Deos obtrudit, deceptus ad deceptos, & pugnatur ſeriò pro vanis, irrigantur cruore mendacia quo melius veritas niteret, & tranſeunt errores in pœnas. Nondum plane ſubactum Chriſto mundum per vim, & ſcelus occupant Gentiles, Iudaicæ, Mahumetanæ ſuperſtitiones, & de mendacio inter ſe certant veræ lucis ſemper fugitivæ. *Secta variæ.*

Gentilis. Gentilis longa vetuſtate errorum tumet, tot Diis, tot monſtris, & tanto cælitum populo, inferis quoque in numina deſcriptis. Pudenda illic omnia, hominum, ferarum, avium, piſciumque figuris deformata, ſuæ quoque aræ furiis, & morbis. Illic figmenta creduntur, & conſecrantur ſcelera.

Iudaica. Iudaica pervicacis cultrix ſapientiæ, & abundantiâ luminis cœca, ſuis incubat pœnis, horrorem vitæ religionem putãs, & cruciatus habet pro ſacramentis. Tantus illi mentis emotæ, & ſuis ſedibus pulſæ furor, ut Deum inde placari æſtimet unde ſævit.

Mahumetana. Mahumetana portentoſis implexa fabulis, & ſola ignoratione colentium tuta, inquiri vetat quæ non poſſunt niſi agnita damnari. Iuvat eam ſtoliditas mentis, pavorque ſuppliciorum, & omnia armorum tumultu perſonantia.

Religio Chriſtiana. O nos beatos quibus ſe veritas oſtendit, tot Prophetarum vaticiniis clara, tot Confeſſorum ore diſerta tot Martyrum picta ſanguine. Tantam Chriſtianæ religionis honeſtatem, tam pudicos mores, tam placidam majeſtatem aiebat Pius ſecundus,

Digitized by Google

cundus, ut veneratione omnium populorum ſolo aſpectu digna haberi poſſit, etſi pro eius cauſa nondum tot oracula loquerentur, tot miracula pugnarent.

Non eſt hîc noſtri inſtituti de ejus veritate plura ſcribere, quod aliis in libris præſtiti. Monere tantum iuvat hanc eſſe Principis primam ſacratiſſimamque functionem, auitam tueri religionem, quam Romana profitetur Eccleſia, eamque ab omni errorum labe caſtam, ſuis verbis, ſuis exemplis, ſuis armis protegere. Dira ingenij peſte politicorum quidam fanatici cenſuere religionem imperiis conformandam, eamque profitendam, quæ ex regnorum utilitate civili magis eſſet. Sed contra hujus opinionis virus omnium tonant ora ſapientum, omnium piorum caſtra militant. Nec immerito Syneſius in libro de regno ad Arcadium imperatorẽ, ait ſolam religionem eſſe fundamentum ſtabile, atque inconcuſſum, cui res opeſque humanæ inniti debeant.

Politicorum error.

Quæro à vobis ô profanæ ſapientiæ Anteſignani, quid cenſetis de Deo; de pietate & fide; Certe ſi ille qui ſuprema copulat infimis, divinarum rerum ſenſus merum apud vos figmentum eſt, quid inde timetis aut ſperatis? Cur ſpeciem religionis inanem fovendam judicatis, rem non vultis? Cur populos quos quietos præſtat vivere, vmbrarum terriculamentis deluditis, ſenſibus veſtris adverſi, & publicis inſidioſi? *Errant* (ut ait Ariſtoteles) *qui Rempublicam per ſophiſmata inſtruunt per mendacia ſuſtentant.*

Confutatio.

Pro figmento nihil ſperandum aut timendum.

Politic. rum l.4. cap.11.

Primum non eſt magni quem veſtri animi aut facere aut tolerare ficta. Non eſt excelſæ mentis ſervire mendaciis. Quantum hoc glorioſius eſſet pro veritate uri & ſecari? At nos (inquiunt) movet opinio populorum quos iuuat decipi. Sic melius parent in civilibus animi vano cæleſtium terrore deluſi. O miſeram imperij conditionem, ſi quod in eo primum & maximũ ab omnibus bonum æſtimatur, ſola opinione nititur, quæ ſua natura ſterilis, & mendax, per ſophiſmata & lenocinia deceptis illudit. Si ex opinione religio eſt, nec eſſe habet fluctuare, mutari, & labi. Quod ſi cum ea neceſſario vertuntur regna, quid ſolidi putamus eſſe in iis quorum fundamenta ipſa fluxa ſunt & vaga.

Regnum ſola opinione nixum fluidum & caducũ.

Sed tamen diu Aſſyriam, diu Græcam, diu Romanam dominationem opinio ſuſtentavit. Quid diuturnum vocas quicquid eſt finitum; Aſpice regnum Chriſti cui finis nullus, aſpice Chriſtianorum regna quæ per tot ſecula ſtant & vigent, per tot viciſſitudines inconcuſſa, quibus in recta fide morumque integritate permanentibus, non vanis oraculis eadem quæ mundo ipſi æternitas promittitur.

Non diuturna fuere imperia quæ finita.

Chriſto finis nullus.

At vero falſos colentibus Deos tot victoriæ, tot triumphi, tanta ex orbe domito congeſta fœlicitas. Non hæc ex fictis numinibus ſtetit quæ nihil poſtea tot cladibus ictis, & tam vaſto funere ruentibus profuerunt. Non ipſa opinio iuuit tot ſpurcorum dæmonum, ſed forte veritas quâ credidere numen eſſe, & providentiam, eamque recte iuſtitia, & honeſtis moribus coli. Iuvit ille qui lucem, & pluvias partitur etiam ingratis. Non facimus mercenarium Deum, qui totus inde æſtimetur quod regna, & opes, quod ſaginatam rebus lætis fœlicitatem mortalibus largiatur. Nos caduca iſta & mobilia fortunæ membra bonis æque ac malis communia eſſe inficias non imus, flagella etiam veneramur. Habemus hoc integerrimæ pietatis argumentum quod Deum colimus etiam iratum. *Tunc maxime magnus eſt.* (inquit Tertullianus) *cum homini puſillus, tunc maxime optimus, cum homini non eſt bonus.*

Unde victoriæ falſos Deos colentibus.

Tert. l. 1. in Marc.

Digitized by Google

Chriſtus ſuos noluit eſſe mercenarios.

Vbi Chriſtus iſtud promiſit fore illos qui ſibi crederent ſemper in negotiis humanis induſtrios, ſemper fortunatos & opulentos,num potius dictu gravia, & perpeſſu aſpera denunciavit veram fidem colentibus?Obnoxia eſt ex æquo tot ærumnis noſtra mortalitas, boni malique promiſcue vexantur,ſed (ut ait ſanctus Auguſtinus) *manet diſſimilitudo paſſorum etiam in ſimilitudine paſſionum, & licet ſub eodem tormento,non eſt idem virtus & vitium. Nam ſicut ſub vno igne aurum rutilat,palea ſumat,ita una eademque vis irruens bonos probat,purificat,eliquat,malos damnat, vaſtat,exterminat.*

Aug. l. 1. de civ. Dei c.8.

Supervacaneum eſt igitur mundi proſperis aut adverſis cenſere religionem. Nemo tamen negaverit quòd Politici omnes etiam in cæca gentilitate loquuntur,eſſe mentem quandam vimque ſupremam,quæ terrarum imperiis præſit, & humana omnia tam variè miſceat. quã certè par eſt, cùm ſit ſummâ ſapientiâ prædita,longè meliorem eſſe numen ſincera fide venerantibus, quam fictionem colentibus. Non eſt iniquus Deus nec virtuti ſemper auſterus atque adverſus, quandiu hic ſtabit mundus, intueri licebit regna in vera religione juſtitiaque fundata,ſecura per terrores,& per turbines immota,re,ſobole,victoriis, opibuſque florentia.

Cæcia Deo tolerati non ita luminis rebelles.

Eſto Romani Græcique paribus fuerint læti bonis,dum adhuc in errore verſarentur Non ſemper iraſcitur cæcis Deus,& per ignorantiam errantibus. At ſi qui propalatam, & receptam fidem per affectationem impietatis produnt,his ut plurimum omnia turbida & funeſta ſunt.

Iulianus abiecta religione infelicisſimus.

Nemo audacius excuſſit Iuliano Imperatore,nomine Apoſtatæ notiore, nemo etiam infæliciús ſceptrum vſurpavit, aut tenuit. Poſt abjectum Conſtantini Deum,pleriſque irriſui,aliis horrori fuit,jactatus,& inviſus,dum veram religionem conatur exſcindere,ipſe plaga cæleſti confoſſus, ſparſas furialis ſpiritus, & cruoris reliquias projecit in cælum:Idem ſuorum perditor,idem hoſtium ludibrium. Erat tamen ſi quis alius ingenio acer,& manu promptus,torrente lingua, militari, civilique virtute juxta clarus, magnarum rerum avidus, ambiguarum patiens,digniſſimus imperio,ſi cum Chriſto imperare voluiſſet.

Zonaras Michael profanus Imperator laceratus.

Nec multo fælicior qui proximè illum ſequitur Valens non abdicato quidem, ſed per hæreſim infuſcato Chriſtiani nomine,ultrices hoſtium flammas expertus. Michael quoque dum ſpeciem avitæ pietatis retinet, corruptiſſimus animo,laceratur à ſuis, vita regnoque ſpoliatus.

Sabellicus 16. Ennead. Apoſtatæ Regis ſtupendum ſupplicium.

Longum eſſet per omnes ire.Ne ſolos Romanæ rei dominos loquamur, Trebellius Bulgarorum Rex,cùm Chriſtiana ſacra ſuſcepiſſet, & impigrè Rempublicam domi militiæque adminiſtraſſet, multis auctus victoriis,multis laureis cõſpicuus omnes ad Domini pedes abjecit monaſterium ingreſſus,& regno ſub majoris natu filij manu relicto. Hic bonarũ rerum tædio feſſus,& profanæ novitatis cupidus,ad Ethnicos labitur errores,quo facto ſtimulatur pater,abjecto tantiſper Religionis habitu,redit in procinctu, & filium rerum ignarum ac torpentem opprimit. Nec contentus ſterili victoria, eundem oculis privatum & ſceptro, cuſtodiæ mandat,minori fratre in imperium aſcito,ipſe quietis amans in ſeceſſum reverſus.

Neſcio quid ſiniſtrum & dirum impendet eorum cervicibus,qui fidem aut abjiciunt, aut per ſimulationem retinent.

Digitized by Google

nent. Quis enim eludat ſacram oraculi vocem palam minantis? *Attende ne forte cadas & adducas animæ tuæ inhonorationem, & revelet Deus abſconſa tua, & in medio ſynagogæ elidat te: Quoniam acceſſiſti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum eſt dolo & fallacia.* *Eccl 1. 40.*

Machiavell confutatus ſuo ipſius exitu. Conſilia profanorum hominum initio ſpecioſa, progreſſu anxia, exitu ſemper horrida. Quis ſubdolas Politicorum artes curioſius indagavit quam Machiavellus tenebroſo vir ingenio, & libidine gubernandi per omnia vænalis; Quis fidem audacius proſtituit? Quis ſibi Principē tā lætum, tam fortunatos ſucceſſus, tantas res & opes promiſit? Dignus tam ferali magiſtro Cæſar Borgia per dedecora natus, adoleſcentia petulanter acta, cuncta pro cupidine Italiæ occupandæ haud cunctanter auſurus; In hoc omnes nervi & curæ, tam arcana machinatio, tot conſilia, tot artes, tot adiumenta. Pater non tam perditor filij, quàm proditor dignitatis, ſpes maximas amplexus cæco ambitu, nec impari potentia totus vrgebat. Quo tamen illi *teſtamentorum hoſpites* abiere tam fœde *alienati à vita Iſrael?* Perillus ille Tuſcus Tauri machinator ardentis, opus ſuum ſubiit, ſuis artibus oppreſſus; & hic Alexandri, Cæſariſque gloriam æmulatus, horribili lapſus ruina; poſt rem decoctam, & ſpes acciſas, longo carceris ſquallore maceratus, tandem cruenta morte ſublatus eſt. Pene ipſa ad ſepulchrum terra defuit, inter ſtragem cadaverum abjecto, quam totam antea in victorias triumphoſque digerebat. Vnde tam repentini caſus? Tam deformes ruinæ? Niſi quia ficta religio, & Chriſtus per ſpeciem habitus, ambitione profana omnii, & ſæva pro ludibriis gloriæ agitante. Nec immeritò de ſagacioribus illis perverſæ politiæ magiſtris cecinit Propheta. *Plures feciſti negotiationes tuas quam ſtellæ ſunt cæli. bruchus expanſus eſt & avolavit. Cuſtodes tui quaſi locuſtæ quæ conſidunt in ſepibus in die frigoris, ſol ortus eſt & avolarunt, & non eſt cognitus locus earum ubi fuerint.* *Nahum 3.16.*

Tot nempe cives Babylonis, & tot rectores terrarum, tam magna anhelantes, cogitantes tam ſubtilia, tantam ordientes rerum telam, poſt vitam tot curis, tot miſeriis exercitam, quaſi viliſſima inſecta pennarum duntaxat inanibus picturis nitentia evanuerunt, nullo honeſtatis, nullo veræ gloriæ relicto veſtigio. Quis eos æſtimet niſi illuſus? Quis ſequatur niſi perditus?

DISSERTATIO VIGESIMASEXTA.

Religionis patronum potius quam Iudicem aut Miniſtrum, Principem agere debere.

In illa verba de Ozia Rege.

Ingreſſus Templum Domini adolere voluit incenſum 2. Paral. 26. 16.

Vnde cupiditas Principibus tractādi ſacra. DABIT igitur princeps operam ſingularem, ut circa res ſacras ſit juxta majorum ſtatuta, ſenſu cultuque compoſitus. Ne cura ſit in iſtis pigra, ne pietate etjam nimis ſedula. Sæpe enim evenit Regibus tranſcendere limites dignitatis, & tractare præter fas divina. Alios rapit acerrima mens, quæ amat vagari per omnia. Alios tumor & fiducia poteſtatis; quoſdam æmulatio & offenſus adverſus Dei miniſtros animus, pleroſque natura ducit, quæ propiores eos pontificibus quàm regnantibus facit.

Illud vndecunque accidat metuendum.

Sua cuique rei natura Sol non pluit, nec pluuia illuminat.

Vndecunque accidat, metuendum, quia confundit quæ jus & ratio diſcriminant. Nec pluere Solis eſt, nec pluviæ illuminare. Sua cuique rei natura & ſors, quam Deus providentiâ regit, nectit conſtantiâ. Timenda dominantium extra ſe projectorum rapiditas, quaſi magnorum inundatio fluuiorum. Nil utrique moderatum, per vaſta omnia præcipitanti.

Iſthmi comparatio.

Lubet aliquando contemplari duo maria brevi iſthmo diviſa, pacatè inter ſe degere, dum ſuis ſe littoribus coërcent; ſublato ſemel obice, videas minacia, & in ſævas calamitates eruptura. Ita res ſe habet in Regibus ac Pontificibus, utriuſque poteſtatis diſcrimĕ ſacra moderatione Chriſtus diviſit, quæ dum ſuos intra terminos continetur, omnibus ſaluberrima eſt, ubi ſemel exceſſit, in multa indecora rapitur, ſine ratione & modo.

Potentiæ à Deo ordinatæ.

4. Reg. 15 2 par. 26. Ozias.

Et hoc miſerum quod ſapientes in hoc plerumque inſaniunt. Ozias circa annum regni ſui quadrageſimum tertium, poſt bella fœliciter geſta, exſtructos aggeres, munitas vrbes, regnum ſumma prudentiâ compoſitum, ex agriculturæ otio curam digeſſit in ſacra, arrepto etiă præter morem & per nefas thuribulo. Inde cælestis ultio, ſubita lepra infecto, & non tantum regni ſed humani etiam commercii extorre. Placidiora omnia quod ſtetit, repercuſſus furor, & in agro privatus conſenuit, regno per Ioatham filium adminiſtrato.

Conſtantii Imperatoris litigioſa de ſacris & funeſta cura.

Non ita Conſtantius imperator qui cum ſe rebus fidei nimis intĕperanter immiſcuiſſet, Arianam contraxit labem, non tantum fœdus ſed crudelis. Nam quod per errorem didicit, tradere orbi per ſævitiam aggreſſus, omiſſâ regni curâ totus erat in cogendis hæreticorum conciliabulis. In hoc veredarii publici, & equi pene omnes abſumebantur, inde Epiſcoporum exilia, & catenæ, & concuſſa per feram rabiem Eccleſia, donec moventem illum adverſus Iulianum iam motum, & rebellem diræ febris ardor extinxit. Illuſit miſerando Principi zeli ſpecies, faſcinata mente per Euſebium Nicomedienſem Epiſcopum malarum artium ſævum & pellacem architectum. Nec aliunde cŏtumax inſania rerum potientibus, quam peſtiferorum conſiliorum inſtinctu, dŭ fovent impugnatores veritatis amore cœco, defenſores odere.

Iuſtinianus quoque ſe nimis religioni immiſcuit. Baronius

Idem morbus Iuſtinianum tetigit jam ſenem, jam orbe compoſito, & magnificis rebus clarum. Nimis res Eccleſiaſticas vrgebat, extra officium ſedulus, & in vitio etiam bonus. Pene ſibi jus abrogandi creandique ſummi Pontificis ſtatuit, optione data Clero & populo in Vigilij & Pelagii negotio. Hinc protector Eutychiani factus dogmatis dare ſe ratus reverentiæ Chriſti, quod auferebat veritati: Crediderim tamen reſipuiſſe imperatorem optimum, pium mente, & vitâ auſterum, atque in Eccleſiam Dei ſummè beneficum.

Sed à pietate exul non diſceſſit.

Heraclius luctuoſior.

Luctuoſior rei Chriſtianæ Heraclius fuit, qui poſt Coſroem calcatum, & ereptŭ hoſti ſalutis noſtræ pignus, in Monotheliitarum hæreſim lapſus diſputare ſenex incipiebat, qui bellare tam fœliciter à pueritia didicerat. Qua ratio deerat, ruebat toto pondere authoritatis, & volebat credi quicquid per eam poſſet cogi. Dum rixatur in Græcia, exurgit in Arabia Mahometes, ferale portentum, quod opprimere confeſtim & potuit, & debuit, neglectum per diſſidia gementis Eccleſiæ, in omnium perniciem emiſit.

Conſtantinus quas partes in Concilio Nicæno geſſit.

Imitatorem ſe potius Conſtantini princeps moderatus volet, cujus in concilio Nicæno partes fuere, revereri Epiſcopos ſana ſentientes audire, tumultus com-

compeſcere, ſtudere paci, favere veritati, ſectari ſolida magis quam curioſa. Non diſputare, non contendere, ire qua bonorum authoritas & concors Eccleſia duxit. Sic impletur Iſaiæ vaticinium. *Erunt Reges nutricii tui*. Sic Auguſtini mens, *qui dixit pertinere ad Reges ſeculi ut temporibus ſuis pacatam velint habere matrem ſuam Eccleſiam*. Sic ſancti Leonis, qui ad Leonem imperatorem ſcribit. *Regiam poteſtatem nō modo ad mundi regimen ſed maxime ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam*

Aug. trac. 2. in Ioan.

Curioſitas gemella infidelitatis ſoror arcenda.

Curioſitas gemella eſt infidelitatis ſoror. De Deo etiam vera loqui principibus periculum eſt. Vix optandum ut divina perſpicaciter inquirant ut de iis diſſerant, libros etiam componant: Laudatus ille Henrici octavi adverſus Lutherum liber, deſultorium principis ſtimulavit ingenium. Didicit in veris quid præſtare poſſet in falſis. Flexibilis enim eſt in omnem partem eloquentia, nec tuta eſt fides, quam verba concinnant. Piis ſenſibus, fidiſque pectoribus ſtat magis religio, quam florentibus ingeniis, & facundiâ tumentibus.

Pruritus aurium peſtifer.

Nec tantum loqui, ſed audire etiam per curioſitatem ſacra, periculoſum eſt: Pudendus ille in Gallia & Germania pruritus aurium fuit, cum emergente nova hæreſi nobiles fere omnes doctores erroris intemperanter audirent. Inde facile per illecebroſas artes mentibus venena inſtillantur Laborat ferme ſemper apud animales aures rerum noſtrarum veritas, quia grandis & ardua & ſenſibus infeſta mendacia vltro ſe per naturæ blanditias inſinuant.

Franciſci primi Religio. Caroli pietas.

Magnum fuit in Franciſco Rege Melanchthonem non videre: Glorioſum etiā in Carolo quinto viſum ſemel Lutherum à ſe in perpetuum ablegare. Venerat ille ad Vormienſem dietam Hæreſiarcha fide publica & ardenti principum ambitu conductus. Duas horas in ampliſſimo conventu diſſeruit, pleriſque mirantibus, aliis effuſe laudantibus. Cæſar exhorruit, manu ſua profeſſionem fidei juxtà Romanæ Eccleſiæ ſenſum ſcripſit, juſſit in confertiſſima principum aliorumque celeberrimorum virorum corona legi, proteſtatus ſe nunquam impoſtorem illum viſurum, nec à fide catholica diſceſſurum. Hac voce erecti viri boni, languentes animati, & repreſſus qui late in omnium exitium manabat error.

Quomodo pro Religione ſatagere Principes debeant.

Sed incidunt nonnūquam tempora valde ambigua & periculoſa in quibus ſchiſmate conflictatur Eccleſia, & per ambitum ſummi honoris vexatur à falſis Pontificibus. Tunc in Reges & Principes incumbit, non ſua quidem authoritate ſummum declarare Pontificem, ſed eum qui legitimè fuerit electus, contra vim inſultantium protegere, quod à Carolo magno ſumma fide præſtitum. Quod ſi multi diſſideant per nefas omnes intruſi iuvet tunc hortari atque incitare Cardinales, ut per electionis juſtæ ſuffragia laboranti conſulant Eccleſiæ.

Diſſidia Eccleſiæ per Reges pacata.

Fuit iſtud in Avenionenſi ſchiſmate conſpicuum, ubi ea jam per annos quatuor ſupra triginta peſtilenti diſſidio ſciſſa, conſpiratione Principum Cardinales Piſis convenere. Citati Benedictus de Luna, & Gregorius, hic Venetus, ille Arrago. Alter in ſpeciem humanior, & in pacis conditiones æquior: Alter faſtu tumens, & intractabili vir ingenio, cum unus abdicare manifeſta vi renueret, alter cunctanter id faceret, ambo per Concilium privati, ſuffecto Alexandro quinto religioſiſſimo Pontifice, quem aiunt Epiſcopum fuiſſe moderatè divitem, Cardinalem inopem, Papam mendicum.

Hoc intra octauum menſem extincto,

malis

Digitized by Google

malis artibus irrepſit Baltaſſar de Coſſa homo factioſiſſimus, quo dignitates nemo ſervilius mendicavit, nemo geſſit arrogantius. Res tandem deducitur ad Concilium Conſtantienſe, ubi ille quadraginta operoſæ accuſationis capitibus ictus, fuga ſibi conſuluit. Gregorius XII. victrici modeſtia per Vicarium ſolenni ritu renuntiavit. Reſtabat Arragó vani nominis contumax propugnator. In hoc expugnando egregiam navavit operam Sigiſmundus Imperator omni laude major, nam ut pacem redderet Eccleſiæ longum, & laborioſum iter emenſus, in Hiſpania convenit Pſeudo pontificem, quē non tantum rationibus pervincere, ſed ſupplicibus quoque lachrymis mollire conatus, cùm ſe tiaram propter ſophiſmata exuturum negaret, pervicacem abnuit, & res Eccleſiæ in Concilio componi per puratos Patres electo Martino V. egregio Pontifice curavit.

Ex quo apparet intra quos limites auctoritas Principum pro religione placidiſſimè, & ſine invidia decurrat.

DISSERTATIO VIGESIMASEPTIMA.

Quomodo Princeps erga Pontificem ſe gerere debeat.

In illa verba Davidis ad Abiathar ſacerdotem.

Mane mecum ne timeas. ſi quis quæſierit animam meam. quæret & animam tuam, mecum-ne ſervaberis. 1 Reg 22. 23.

NVNC quomodo ſe erga legitimos Pontifices gerant, quando & hoc in præcipuis regiæ pietatis argumentis poſitum eſt, conſideratius à nobis ſpectādum videtur. Certe Dei Sacerdotes, & eum præcipue qui primas in Eccleſia tenet, revereri, amare, protegere, non tantum ex conſcientia, ſed ex utilitate eſt.

Honor ſacerdotum.

Hoc naturæ lex ſuadet, hoc jus gentiū, ut quos ſummorum adminiſtros bonorum agnoſcimus, honore & cultu proſequamur. Mirum quod inanium etiā Deorum cultoribus ſua aliquando præmia conſtare Deus voluit, quibus ſupplicia debebantur. Non ut eorum ſacra commendaret, ſed ut oſtenderet quid veri Dei miniſtris pietas præſtaret, ſi tanta falſis hominum opinio largiretur.

Gen. 47. Ioſephus Patriarcha etiam falſis ſacerdotibus honorē impendit.

Cùm totam Ægyptum Pharaoni dira fame ſubjugatā Ioſephus ſubjiceret, agros ſacerdotum immunes atq; intactos reliquit, ipſe Dei cultor, idolorum fav ns mancipiis, dedit nomini quod nō poterat ſanctitati. Clarè monet Sapiens, *In tota anima tua time Deum, & ſacerdotes illius ſanctifica. Da illis partem ſicut mandatū eſt tibi primitiarum & purgationis*. Nam in veteri teſtamento Leviticā tribū Deus peculiari ritu in ſuam curam adoptavit, & certos illis reditus perpetuo affectu providit, quadraginta ſcilicet & octo urbes cum agris ſuis, ceterarum tribuum decimas, primitias, & innumeras oblationes.

Num. 15. & 38 & Leu. 22. & 23.

Summi Pontificis reverentia.

Tanta porro ſummi Pōtificis apud Hebræos fuit authoritas, ut quaſi Deus haberetur apud mortales, habitu, aſpectu, Dei colloquio, cœleſtibuſq; oraculis verēdus. Perfudit hæc veneratio Alexandrum iam triumphos orbis agitantem, & Iaddo ſe Pontifici ſubmiſit, teſtatus ſe eum in Macedonia eſſet, eadem ſpecie Deum vidiſſe qui ad expeditionem hortaretur. Non diſſimili ratione ferum Attilæ animum Leo Romanus, Lupuſque Tricaſſinus demulſere.

Hoc igitur omnibus votis optandum, hoc omni ſtudio conandum Principibus

Digitized by Google

bus Chriſtianis, ut tranquilla ſit illis cum ſummo Pontifice animorum concordia, quæ fide & pietate firmata, obſervantia atque officiis integerrimis alatur. Cavendi ſunt quaſi publici incendiarii, verſipelles, & ſacræ auctoritatis contemptores miniſtri, qui ſæpe credulos & incautos accendunt. Nihil hîc temerè credendum, nihil audendum fervide. Timendus eſt pater etiam injuſtè ſæviens. Mulcendus eſt delinimentis potius quam dictis ſtimulandus. Neſcio quo pacto omnia turbida, ſæva etiam plerumque & horrenda, in hanc petram impingentibus.

Infelicitas Imperatorum Pontifici reluctantium.

Henricus III. Imperator.

Henricum tertium imperatorem in iſtis diſſidiis infœliciſſima vita contritum, atq; laceratum, poſtremo dignitas ipſa deſtituit, in filium devoluta, vivo adhuc & ſpirante patre, & ſuis veluti funeribus ſuperſtite Fridericum poſt minaces iras & ſævos adverſus Alexandrum tertium turbines Cydni amnis vortices abſorpſere Ludovicus Bavarus poſt triginta ferme annorum cum diverſis Pontificibus bellum equo lapſus interiit.

Fridericus.

Proh tantos imperatores quibus ſol nullos majori pectore, nullos ingenio aut armis clariores vidit, tam ſpinoſo regno, tam miſerando exitu conſumptos: quis hæc non horreat? quis ſe non malit pacificatorem potius Eccleſiæ, quàm perturbatorem? Erat tamen interdum in omnibus aliquid in ſpeciem honeſtum, aliquid etiã pacificum, etſi clementiores, ut ajunt, qui hoc ſæculo fuere, nacti eſſent Pontifices. omnia illis fortunatiora, aut certè minus aſpera fuiſſent: Nunquam Henricus ab illo imperii culmine ad inopis ac deſtitutæ vitæ miſerias deveniſſet, ſi quæ mollior aura tot malis exulcerato pectori affulſiſſet: Fridericum tam ſolenni animi demiſſione conciliatum Eccleſiæ beneficus ubique favor amplexus eſſet. Nec Ludovico ad omnia ferme obſequii momenta jã comparato, tenax & rigida deſtitutio fuiſſet pronunciata: Sed timenda hîc in omnibus Dei judicia. Timendi etiam illi qui per ſpeciem pietatis privatis utilitatibus ſervientes Pontifices jam concitatos callidis artibus inflammant, & miſerorum ſpoliis inhiant.

Julio nempe ſecundo in Joannem ſecundum Navarræ Regem tonante, & fulminante, aſtabat Ferdinandus qui miſeras naufragii reliquias colligeret. Ludovico illi Bavaro omnia per Pontifices placidiora fuiſſent, niſi Philippus Rex (ut ſcribunt Hiſtorici) cupidine imperii, obſcuris artibus obſtitiſſet. Nam & legatos ejus Clemens ſextus ad ſecretum colloquium admiſſos, cum lachrimis infecta re dimiſit, conteſtatus ſibi per Regem non omnia quæ vellet licere.

Pontifices ſæpe malis artibus incendũtur ab aliis Principibus.

Hiſt. Pont. Eccleſiæ.

Quid igitur facturi ſunt Principes quibus Papæ minaces & infeſti? Certè quod adverſus fulgura, quæ olim hujus rei periti certis carminibus avocabant: Si ut Dei ſacerdotes veniunt, ſi de doctrina & Chriſtianis moribus aliquid decernunt, audiẽdi: Si juſtis ex cauſis irati; ſatisfaciendum. Quis enim ſanus adverſus tantam authoritatem tumultuetur? Clamat Honorius imperator, Arcadium fratrem monens, *precibus ſacerdotum ſtare, vel ruere imperium.* Valentinianus vult eſſe pro lege quicquid ſanxit vel ſanxerit Apoſtolicæ ſedis auctoritas. Nulla eſt diminutio majeſtatis Dei vicario ceſſiſſe. *Omnia poſt religionem ponenda*, inquit Valerius, *ſemper noſtra civitas duxit, nec dubitarunt ſacris imperia ſervire* Unde & Julianus Apoſtata Arſacio Pontifici Ethnico ſuadebat Epiſcoporum ſtatuta imitari, qui præfectorum apparitores ad fores templi ſubſiſtere jubebant. Nec inſcite Philippus ſecundus Hiſpaniæ Rex cum in baſilica Valentiæ

Quomodo ſe gerere debeãt Principes erga Pontifices iratos.

Codex Theodoſian de Epiſcopis & Clero.

Val. lib. 7. c. 11

Sozom. l. 5. c. 15

Digitized by Google

tiæ eſſet ut Archiepiſcopi & Proregis de prin a ſede concertationes dirimeret, ipſe poſterior Dei ſacerdote ad oſculum pacis acceſſit Carolus octavus terror Italiæ; ad Alexandri ſexti attoniti & ſtupentis pedes ſe abjecit, ſummum honorem impertitus illi quem vinculorum terror afflaverat. Si qui igitur motus occurrunt leniendi continuo Pontificum animi magis quam per vim ulcerandi.

Quid ſi nullo obſequiu placari, ſed ſævire Pontifices erga innocuos velint?

At vero ſi quod à piis Pontificibus ſemper alieniſſimum fuit, adverſus innoxios Reges inimicorum machinatione incitati infeſtis agminibus ruunt, ſi nullis obſequiis placati, aut placandi, regna convellere deſtinant, quid tum faciat moderatus princeps, qui nullius ſibi criminis conſcius, videt ſe ſuaque concuti? Reſpondet Nicolaus primus ad Michaëlem Imperatorem. Cum ad verum Chriſtum ventum eſt, ultra ſibi nec Imperator jura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen Imperatoris uſurpavit. Si aliter faciãt, alios tunc vultus, aliam ſpeciem pontifices induunt. Nemo (ut ajunt) & homines eſſe illos, & pleroſque humani multum habuiſſe inficias ierit. Multi quidem æterna laude digni, Chriſtianorum Principum controverſias ſumma fide, integerrima moderatione pacavere; alii à pravis incenſi nec opinantes incendere. Quis neſcit (ut ſæpe objiciunt) quod ajebat ſanctus Bonifacius fuiſſe cum ligneis calicibus ſacerdotes aureos: Multos poſtea cum aureis factos eſſe ligneos. Errare à cathedra Pontifex non poteſt: E ſenſu ſuo labi, iraſci, commoveri etiam in immeritos poteſt. Quid fieri tùm conveniat, ſi quis roget, nihil ex ſenſu meo dico, nihil ex noſtra mente definio, Pontifici, Regique ſemper addictus, hæc certamina precibus potius avertenda, quam diſcutienda verbis cenſeo. Interrogati tamẽ Theologi etiam Hiſpani pontificum obſervantiſſimi, inter quos Melchior Canus, vim vi repelli tum poſſe decreverunt. Idẽ ſentiunt Cardinalis Turrecremata, in ſecundo libro ſummæ de Eccleſia: Dominicus Soto in 4. diſtinct. 15. q 2. artic. 2. Cardinalis Cajetanus in opuſculo de poteſtate papæ & Concilii cap. 27. Denique Bellarminus ipſe libro 2. de pontifice cap. 29. Non agit tunc princeps ut ſpoliator, ut hoſtis, ut parricida, ſed ut filius afflicta fortuna, animo ſemper pio, qui patrem in furorem verſum, ſibi torvum, & trucem inſtare in armis videt, demulcet, avertit, detorquet, cupit placatum, cupit compoſitum, amovet quantum poteſt illi perdendi pereundique licentiam.

Senſus Theologorum.

Vide Bellarminũ contra ſeptem Doctores propoſit. 16. tom. 7.

Abſit ut de patrimonio Petri gaudere cupiat, abſit ut ejus vitæ, ut libertati per ſcelus inſidietur, dum parat ſe defenſioni, ſtudet concordiæ, & armatus etiam pacilitat. Sic ſe multi Principes erga commotos pontifices geſſere, quorum facta non eſt meum diſcutere, tantum narro quæ omnes paſſim hiſtoriæ dicunt. Sic Ludovicus XII. erga Julium II. egiſſe à noſtris dicitur ſcriptoribus: Stabat enim (ut ſcribunt) ex una parte Rex vere Chriſtianiſſimus, & modeſtis ſi quis alius moribus, religionis obſervantiſſimus, & præcipua pietate populi pater. Ex altera pontifex per pravas malevolorum artes inflammatus, ita præceps, & ſuſpicionibus æſtuans. Quid non egit Rex ut mitigaret? Quid non detulit hoc felle decoloratis petri lineamentis? Interea ille ditas jacere, ille regnum tam auguſtum quaſi barbari patrimonium, per facinus occupanti offerre, petri clavibus, pauli gladio, armis omnibus infeſtus, & implacabilis irruere: Obſtitit alter, Epiſcoporum, Theologorumque conſiliis, atque exercitu florentiſſimo, quo papam ita perculit, ut patrem

Iulii 2 & Ludovici 12 diſſidium.

Quid Epiſcopi &

ſo-

Theologi Galliæ tū ſenſerint. ſe mallet, quàm hoſtem. Movit etiam adverſus Carolum V. Clemens VII. cum Gallo & Anglo fœderatus: Sed illi dum conſulunt, dum ſe parant, Borbonius nec à Carolo (ut ajunt) juſſus, nec ipſe ſua ſpōte motus, ſed rapiente exercitu, furore cæco, & prædæ avido, Romam involat, *Clementis VII. & Caroli V. bellum* occiſus capit, ſtrage miſeranda, fœdiſſima omnium direptione. Nihil tum impietati ſacrum, nihil à libidine & ſacrilegio tutum. Obſeſſus à prophanis ipſe ſanctitatis apex, venit in cruentas hoſtium manus pontifex, auro coactus caput redimere, per quod tot mortalium capita redimuntur.

Ad hos (ſi credibile) nuncios ſtupens Carolus luctū induit, ipſo filii natali, gaudia in preces mœſtitiamque convertit; Simulatam putant, qui omnium principum facta callidè volunt interpretari. Nemo hoc certus poſſit aſſerere, nam ſtatim literas pro libertate Pontificis dedit. monitoſque duces juſſit omnem illi humanitatem honoremque impendere. Quod ſi mortuo jam Borbonio, & à Lutheri hæreſi infectis, qui plurima in exercitu poterant pecunia tiaras penſatus eſt, dandum hoc aviditati militum in urbe capta ferocientium, apud quos non omnia Imperator abſens poterat.

Pauli 4. motus in Philippum II. Tandē etiam Paulus IV. Neapolitani regni (ut putāt) ſpe illectus, arma in Philippū cum Henrico ſecundo ſociavit. Miſſus in Italiam dux Guyſius, quem ſancti Quintini dies luctuoſiſſimus cōcitato reditu in Galliam revocavit. Patebat iterum direptioni Roma, ſed Rex victoria placidiſſime uſus, pontificem victum quaſi victorem habuit, conditionibus quas dare poterat acceptis & ſupplici propior quam dominanti. Implexa certè tēpora illa ſunt quibus hujuſmodi oriuntur certamina, quæ juverit aut nunquam cœpiſſe, aut cœpta protinus deſinere. Nihil pontificibus erga Reges caritate & moderatione glorioſius: his Paulus III. & Clemens VIII. æternitatem nominis meruere. Nihil Regibus obſequii gloria erga pontifices illuſtrius, per hanc tot triumphatores omnium factorum decora cumularunt.

DISSERTATIO VIGESIMAOCTAVA.

De Impietate, & novitate ſectarum coërcenda.

In illa verba. *Omnia fana excelſorum abſtulit* Joſias. 4 Reg. 23. 19.

REGNARE quiſquis Deum in ſuis cupit, acri ſtudio, impios, blaſphemos, hæreticoſque coerceat. Fatales inde imperiis peſtes, & quocumque eos tulerit impetus, trahunt regna.

Blaſphemi ſpurco potius ore & irarum intemperie peccāt, quam deſtinatione flagitii. Impiorum alii in brutam projecti vitam, quibus fœda voluptatum illuvies linguæ ſenſuſque laſcivia, temulentia & ignorantia pari. Alii ſobrii etiam inſaniunt, virulenta ſpargunt dogmata, pietatem antiquam cæcis & rabioſis morſibus vellicant, dira hominum inquinamenta, cælo terriſque exoſa. De iis aptiſſimè Apoſtolus Judas Thadæus, *Subintroierunt quidam homines, qui olim praſcripti in hoc judicium, impii Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam & ſolum dominatorē & Dominū noſtrū* Jeſum *Chriſtū negantes. Hi ſunt in epulis ſuis macula, convivantes ſine timore, nubes ſine aqua, arbores autumnales, infructuoſa bis mortua fluctus feri maris, deſpumantes confuſiones ſuas ſydera errantia, quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum.* *Blaſphemi in Religionem quam ſpurci & peſtiferi.*

Priores qui ex deſtinato ſcelere peccant. *Salu. l. 4.*

Multum refert an temulento impetu, & prava linguæ aſſuetudine, an deſtinato ſcelere cælum laceſſant. *Quibuſdam*, ut ait Salvianus, *non jam Dei nomen ſacramentum eſt, ſed ſermo. Inter cæteras ſæculi vanitates, nihil jam pæne vanius, non otioſas tantummodo res & aniles, ſed etiam ſcelera ſe quidam jurant per Dei nomen eſſe facturos* Et hoc tamen ſeveris apud nos legibus caſtigatum, aliis ad palum per ignominiã religatis, aut torque ferreo collo conſtrictis pleriſque etiam & frequentius lapſis deformi vulnere conciſa labia, & lingua per carnificis manus exerta. Quod ſi ſteterit hæc pœna verborũ intemperantia peccantibus, quibus ſuppliciis coërcendos putamus, qui Deum patrem univerſi, qui Chriſtum paternæ characterem ſubſtantiæ, & gloriæ, qui utriuſque ſpiritum effuſum per omnia, qui Deiparam Virginem, ſanctoſque omnes, omnia ſacramenta, & quicquid apud Angelos ſanctum, apud homines religioſum, ſacrilega mente, ore inverecundo lacerant.

Lex Philip. 6. in jure. Gal l. 9. tit. 6. Blaſphemorum pœna.

Atheorũ vecordia immanior.

Vix expedit ſciri hujuſmodi monſtra in rerum natura inveniri, ſed ubi primum emerſerint, præſtat uri & mergi, ac non ſecus venena, ſerpenteſque noxios penitus extingui Horrendi quidem illi, ſed magis exitioſa hæreticorum lues, quia magis numeroſa, ratione etiam & ſpecie religionis furit, per ludibria pietatis irrepens mentibus attonitis. Inde ſęculorum omnium labor: nullum pene ab hac labe intactum, ſive ut cometæ & incendia eluvioneſque aquarum ſtatis ſibi, nobis incertis temporibus, in res humanas eunt; Sive ab Apoſtatis dæmonibus per miniſtros ſævientibus tam feri excitantur motus, ſive etiam cæleſtibus iris placuit, his flagellis hominum ſcelera vindicari, aut etiam per tot certamina victricem oſtendi religionem, viribus indomitis, & famæ claritudine: Certè nulla tempora hæreticorum factione magis turbida his poſterioribus ſæculis, in quæ omnia hydræ illius capita incubuere.

Hæretici & eorum progreſſus

Hæreſeon cauſſa.

Prima antiquarum hæreſum tela circa Triadem, & Chriſti Domini perſonam, pügnantibus Græcis ſubtilitate magnis ingenii, quam feritate morum. Poſteriores odio in ſacerdotes rabidæ & poteſtati adverſæ, omnia immanitate vicerunt.

Primæ hæreſes contra Triadem & Chriſti perſonam.

Turbatur res factione religionis, & ſtatus, quæ ſingulæ per ſe vehementes, ſociatis viribus eunt in immenſum. Magni in Eccleſiam turbines per Albigenſes cœpere, armata hæreſi, & minacibus furiis ſæva. Ea quoque armis oppreſſa, bonorum conſpiratione impigra, & immenſis Poteſtatum viribus. Nec tamen ceſſit omnis mali contagio, per abditas ſe inſinuans artes. Revixit in Viclepho Anglo homine acuto, & pervicaciter ambitioſo, quem opimi ſacerdotii ſpes eliſa in Pontificem, & Eccleſiaſticos omnes concitavit, ardenti bile & ſecuritate cingentis Oceani tuta.

Poſteriores in Eccleſiam & ſacerdotes. Albigenſium furor.

Huic Viclephus ſucceſſit.

Inde infecta haud multo pôſt Germania per Joannem Hus mali dogmatis anteſignanum. Erat viro acre ingenium, & ſubvecta popularibus auris facundia, magna etiam ſpecies pietatis, quæ turbatis rebus per Pſeudopontificum factiones, gratior ibat in publicum. Nec abnuebatur fides declamanti in ſacerdotũ mores, quos languidior diſciplina diſſolverat, nec tumultuandi deerat occaſio, populis ægrè jugum ferentibus. Non jam authoritati vires, contempta per ſocordiam vita.

Huſſita opinione ſanctitatis deteriores.

Hoc per ultrices flammas abſumpto, pullulavit ex cineribus Lutherus clariſſima hæreticæ pravitatis tuba; Lutherum acrior inſequitur Calvinus. Inde ſciſſus feralibus diſcordiis mundus, primum diſputationũ, mox armorũ tumultu perſonuit.

Lutheri & Calvini exitioſa faces.

Dici

Digitized by Google

Dici nullis annalibus poteſt, quanti hæc generi humano peſtis ſteterit, poſtquam Apoſtatarum erroribus diſſidiiſque Principum factio coaluit. Lugemus funera quę narrari non poſſunt, & deſunt verba nunquam areſcentibus lachrymis. Non eſt adeo expeditum invenire quibus remediis Princeps occurrat turbato, & ſæpe lethaliter concuſſo per tam feros ictus regno. Locuſtarum quis plagam dicat, denſis nubibus in ſata terrarum effuſam, quam ſtupere omnes, nullus poſſit avertere. Plerique deſperatione abſtinent manum, alii errore, qui vaga ſectis omnibus indulgeri libertate, proſperum regno putant. Hæc mens Symmachi, qui ajebat *æquum eſſe quicquid omnes colerent unum putari. Eadem* (infert) *ſpectamus aſtra, commune cælum eſt. Idem nos mundus involvit. Quid intereſt qua quiſque prudentia verum requirat. Vno itinere perveniri non poteſt ad tam grande ſecretum.*

Error eorum ſtupendus qui varias ſectas probant. Sym. pro ara Victoria.

Nec diſſimilis initio Julianus Apoſtata, qui teſte Ammiano ſubditos hortabatur, ut quiſque ſuæ, quam optabat, opinioni ſerviret. Ita haud gravatè omnes ferunt, qui nullam habent religionem, Dei ignari, nec politices periti: Nihil enim æque concutit regna, quam ſectarum in fide diſparitas. Quiſque pro Diis ſuis movetur, & movet, nec diſſidentibus quies, niſi uno per alterum ſubjugato.

Hæc cura ſæpe acriùs inſtigat quam parentes, liberi, res, opes, lares & foci. Vix ulla diu fida commercia de humana re diſcrepantibus: Quæ poteſt concors civitas capere, qui ſe putant toto cælo, totis inferis dividi, niſi aut circa divina langueant, aut convictus facilitate ſperet alter alterum allicere? Non ignorabat iſtud arcanum Hieroboamus, qui novum regnum adverſus Dominum molitus, cives ſtatim ſuos religionis diverſitate ſcidit à Judæis, ut nunquam coaleſceret quod hic hiatus divulſiſſet.

Religio miè ſtatum aut juvat, aut proſternit. Hieroboami ars

Itaque prudentiſſimis populis viſum unam duntaxat excolere religionem, quo faciliùs humana regerent. Apud Hebræos extremo ſupplicio afficiebatur quiſquis adverſus receptos gentis ritus Pontificialque ſanctiones contumax. *Qui autem ſuperbierit* (ait lex) *nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Deo tuo, morietur homo ille.*

Impietatis pœna civiles.

Deut. 17.

Impietatis quoque crimine poſtulati apud Græcos, Socrates, & Ariſtoteles, ille quod cæleſtis imperii monarchiam contra cęcos oculatè vidiſſet, hic quod eximia pulchritudine mulierem Deorum honoribus æquaſſet. Inde externis ſacris famulari leges Romanæ vetuere. Quo factum ut Imperatores qui gentilitiæ ſuperſtitioni magis erant addicti, implacabili odio in Chriſtianos ſævirent.

Diog. Laert in vit Ariſt.

Prævideraт hoc Mæcenatis ſagax animus, qui multa ſuadens Auguſto ſuper imperii conſtitutione, inter cætera monet, ut Deos juxta patrios ritus colat, tum ipſe ab aliis coli jubeat, ſacra violantibus haud impunè habitis. Nec movere quemquam debet ſi Ægyptii aliter ſenſere, vana gens movendis potius quàm ſtabiliendis rebus nata. Turcæ diris caſtigant pœnis quiſquis è ſuis à Mahumetana ſecta deflexerit. Subjugatis ſuos cultus permittunt, maximè Chriſtianis, qui & unius Dei fidem cum iis habent. Tum iniquum putant atque irritum antecesſores ſuos cogi, quos per exhauſtas vires nihil moliri poſſe confidunt, & ſervitio ex tributis per utiles experiuntur. Cavent autem immanibus ſuppliciis, ne quis è noſtris populares ſuos ad veram fidem alliciat. Nec loqui, nec diſputare, nec mutire quidem licet. Omnis ex ſævitia religio eſt.

Mæcenatis ſapiens conſilium Dio Caſſius.

Quod ſi hæc faciunt filii tenebrarum, ut

ut exitialem orbi ſuperſtitionem retineat, quanto nos eniti debemus ſtudio, ut veram pietatem tam cæleſtibus impreſſam notis ab omni labe intactam ſervemus?

At dicet aliquis dona Dei non coguntur, ſed inſtillantur. Quis fidé per gladios & ignes impellat in pectus liberum, & ſui arbitrii tenax? Doctore hîc opus eſt, non carnifice.

Hæretici qui pœnis digni. Certè iniquum eſſet Judæos, & gentiles, vinculis & verberibus in Eccleſiam urgere; neque iſtud Concilium Toletanum in Siſebuto Hiſpaniæ Rege probavit, qui nitebatur infideles per tormenta ad baptiſmum adigere. Nimis etiam ſævum aliquem inter ſecreta mentis pavidum, & dubitantem, cruciatibus & minis magis quam monitis incitare.

At ſi qui palàm ab avita fide diſcedunt, miſcent turbas, conciones habent, ſpargunt dogmata, agũt incenduntque populos, nec moniti deſiſtunt, non placantur verbis, non cedunt imperiis, minantur ſæva, perpetrant immania, quis non videt eos per omne jus divinum atque humanum eſſe coercendos?

Pinxit Apelles hæreticus in aere, & eum imitatus Caſſander, cùm dixere eos omnes qui in Chriſtum crederent, etiamſi ab Eccleſia nonnullis opinionibus diſſentirent ſuæ fidei, & conſcientiæ eſſe relinquendos, quaſi quis in Chriſtum verè credat, qui legitimos Eccleſiæ paſtores ad quos Chriſtus fidei controverſa remittit decidenda, petulanti animo ſpernat. Qui putant ſe in hoc rerum articulo lenitatis partes amplecti, ſæpe omnium crudeliſſimi ſunt, dum mollioribus conſultis commune incendium fovent, & nocentibus parcunt, quos in perniciem innocentium emittant.

Nemo Theologorum dubitat hæreticos juſtè puniri, quia in Deum, in patriam, in publicam tranquillitatem peccant, & ut ait Theodoſius Imperator, *Quod in religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam.* *Theod. Cod. de hæret.*

Sanctus Auguſtinus natura atque ingenio mitiſſimus, ægrè initio adducebatur, ut Donatiſtas cenſeret compellendos. At ipſe poſtea ſecundo retractationum, uſu doctior factus, *non placebat, inquit, quia nondum expertus eram, vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantũ in eis in melius mutandis conferre poſſit diligẽtia diſciplina. Magis peccant corrumpendo fidem* (inquit ſanctus Thomas) *quam falſarii adulterando pecuniam.* *Aug. 2. retract. cap. 5.* *S. Tho. 2. 2. q. 11.*

Nec dubium quin animadvertendi penes Eccleſiam poteſtas ſemper fuerit, poteſtatis uſus varius pro varietate temporum fuit. Priora ſæcula excommunicatione & ſeceſſu contenta, mox ut in perturbationem rei Chriſtianæ pernicies crevit, honorũ privatione, deportationibus, exiliis, capitalibus etiam pœnis ſub Theodoſio, Valentiniano, Juſtiniano, & aliis vindicata. *Leo Papa ep. 2. ad Epiſcop. Italiæ. Vide etiã Conc. Tol. 4. c. 57.*

At verò principi non tantũ quod liceat, ſed etiam quid expediat conſiderandum. Exiſtunt enim ſæpe res perplexæ, & tempora formidoloſa, quæ ſeverioribus remediis irritantur, magis quàm ſanantur. Ubi populorum ingenia acrioribus imperiis aſſueta, & temporis longinquitate ſubacta, melius vi quam blandimentis res cedunt, præſertim cum crimen in paucis, terror in omnibus. Sic Philippo ſecundo haud operoſa res fuit graſſantem in Hiſpania hæreſim in fomite præfocare, grandibus ſeveritatis exemplis. Nam neque Conſtantino Pontio Patris confeſſario pepercit, quem publicè exuſtum prodidit in effigie, neque Archiepiſcopum Toletanum multum abhinc permiſit novorum dogmatum ſuſpectum. Favebat gentis *Diſcretio in hæreticis puniendis.* *Ut in Hiſpania præfocati in fomite.*

tis

Digitized by Google

tis indoles ad religionē pavida, & antiqui moris tenax, obſequio etiam erga imperantes fida.

In Belgio & Gallia atrociores. At non eoſdem ſucceſſus habuit in Belgio; cùm enim fœde per hæreticos turbatæ res eſſent, nullum efficacius remedium putavit, quam ſi per Inquiſitores fidei cōvulſæ peſſimis artibus religioni conſuleret. At contra ſuccenſere proceres, & populus ipſius jugi impatiens in diverſa ruere. Ille ſeverius urgere, immiſſo per Albæ ducem exercitu, quem ſævitia ingenii rebus aſperis duraverat. Inde efferati animi in apertum bellum erupere, quod adhuc infinitis prope cladibus geritur.

Carol 5. in Germanos clementia uſus non in ſcitè. Remiſſius antea in Germania egerat Carolus pater, qui armis fractos Proteſtantium duces clementer habuit, & Lutherum cùm publica fide in Vormienſem conſeſſum, veniſſet, intactum dimiſit. Inde in optimum Principem petulantiùs dicax calumnia, quaſi naſcentem hæreſim extinguere per mollitiem neglexiſſet. Sed ignaris rerum proclive eſt loqui inconſulta.

Recens adhuc erat Joannis Hus exemplum quem juſtè quidem à Cōcilio Conſtantienſi damnatum, ingentes ſubſecuti ſunt motus, ut iiſdem propè quibus combuſtus eſt flammis, tota Germania videatur arſiſſe. Statim enim quadraginta hominum millia quaſi demortui unius cineribus omnium cruore parentarēt, bellum atrox, & horrendam inferunt vaſtitatem, fruſtra annitente Sigiſmundo imperatore, quem primus hoſtium impetus fugavit, ſecundus fudit, tertius cum centum millium armatorum exercitu conſternatum diſſipavit. Poſtea in Concilio Baſileenſi Huſſitæ non flammis, ſed ſumma benignitate excepti, & aliquando etiam diſſipata rebellium armorum factione in melius compoſiti. Vidit hoc Carolus, anteceſſorum ſequutus exemplum. Non omnia quæ cum juſtitia poſſumus, cum pari facilitate facimus, ubi præſertim res eſt cum gente libertatis avida, & contagio ferè per omnes ſerpit, animis diro furore perculſis, & per ſpeciem pietatis inſanientibus.

In Francia primu temporibus ut habiti. Intenderant ſe initio ad Calviniſtas opprimendos in Gallia, acres Franciſci primi, & Henrici ſecundi curæ, ubique duræ quæſtiones, & ardentia Prætoria, ſecta interim per flammas clarior vulgabatur, aventibus ſcire quid eſſet pro quo tam pertinaciter non de trivio viri morerentur. Parentibus extinctis ſevior in filios, Franciſcum ſecundum, & Carolum nonum, graſſata eſt lues, regno per majeſtatis ludubria, & Cyclopæam rebellium feritatem immaniter convulſo. Itum obviam primò mollioribus lenimentis: Deinde promiſcua & miſerabili omnium cæde, ſed neutrum valuit apud eos qui nec totam poſſunt libertatem, nec totam ſervitutem pati; æquè ſæviunt, ſeu nihil, ſeu omnia concedantur.

Optandũ ut ſuavioribus remediis reſipiſcant. Conſultius poſtea factio à religione diſtincta: Illam juſtis armis ulciſci par eſt, hanc pro ratione temporum diæta interdum magis quàm chirurgia ſanare. Pugnandum eſt telis doctrinæ, pietatis, patientiæ, benignitatis, cum pertinacibus invictè; cum falſo zelo illuſis, piè ac benignè, cum frigidis ſerio, cum dubiis clarè & commodè, cum omnibus prudenter tractandum eſt. Expromenda illi noſtræ fidei ſpecies, non illa quam fingunt horribilis & tetra, ſed miti ſapientiæ majeſtate placida. Tribuunt nobis inſana, & portentoſa dogmata, quæ ne per ſomnium quidem credimus, dimidium victoriæ eſt, cū noſtra æquis auribus incipiunt audire, & noſſe. Alliciendi favore nobiles, & qui ad noſtra caſtra confugerint, honoribus pro

ſeq.

Digitized by Google

ſuo quiſque gradu ſunt evehendi, pertinacibus ſuæ vecordiæ per contemptum relictis. Miniſtri qui ornatiores inter eos fuerint, ſi reſipiſcant, præmiis & commodis invitandi, & quia per cleri odium ſecta hæc emerſit, per clericorum exempla & beneficia, maximè juvanda eſt. Certè cum Milciades Papa ſchiſmaticis Epiſcopis in Eccleſiæ unionem redeuntibus ſuas dignitates ſincero animo conſervatas eſſe voluiſſet, Auguſtinus exclamavit. *O filium Chriſtianæ pacis) O patrem Chriſtianæ plebis!*

Milciadis Papa laudata à S. Aug. lenitas.

DISSERTATIO VIGESIMANONA.

Ad Sectatores novæ Religionis, Admonitio.

In illa verba *Stetitque Rex ſuper gradum: & fœdus percuſſit, coram Domino, ut ambularent poſt Dominum, & acquievit populus pacto.* 4.Reg 23.3.

Nunc ergo vos alloquor, quibus infida religionis ſpecies miſerandum in modum illudit. Vos hîc appello, dolore & deſiderio inſtinctus. Quouſque juvat per tot ſæva diſcrimina perdi, & perdere? Heu fratres quos iiſdem nobiſcum doloribus, eodem cruore Chriſtus in cruce genuit, quos idem uterus matris Eccleſiæ in hanc lucem fudit, quos idem baptiſmus lavit, ire per mutua vulnera in tot mortes, in tot exitia. Hoc nec leones faciunt, nec rabie & furiis incitatæ Tigres, ſui ſimilibus non tantum parcunt, ſed gaudent. Nos in ferarum rapimur, & funera: Nulla niſi naturalibus armis ſævit fera ungue ferit, & dente, cornu minatur, terit pedibus, poſtquam omnem illam ſuam militiam exercuit, deſinit, & in placidius componitur. Homo ſolus ut noceat, omnem naturam nocentem facit. Undique arma, undique mutuatur tela, nec uni omnium animalium venena ſufficiunt.

Quā indignum Chriſtianos odiis ſcindi perpetuis.

Si crudelitatis ingenia quæruntur, omnia jam hoſtiles animi exhauſerunt: Si tempus, alterum jam huic furori ſæculum teritur. Certè dandum aliquid fuit perplexitati temporum, ignoſcendum errori, fragilitati humanæ condonandum. Ingentes fuere Dæmonum machinæ, gravis jactatio, & vehemens ipſa concuſſio. Quis per tot tenebras cæcutienti aſper, & averſus iraſcatur?

Tempus reſipiſcendi poſt tantam jactationem, ſtatu rerum concuſſo.

Nunc autem velum templi ſciſſum eſt, & priſtini temporis ignorantiam Deus illuminavit tot teſtimoniis, tot ingeniis, tā defecata luce, ut veritatem nemo permittatur ignorare. Quid adhuc titubatis? Errare homines poſſunt, errorem inflexa pertinacia tueri non niſi dæmones ſolent.

Videte cui vos honorem & pacem, cui ſalutem æternam committitis, novatorum commento & ingenioſis hominum ludibriis: Unus Deus, una fides, unum baptiſma, una Eccleſia eſt, timete quia ſcidiſtis, & per vos cepit extrema hac ætate Chriſti tunica lacerari. Horrendum eſt quod ſanctus Fulgentius ad Petrum diaconum inclamat, *Qui extra Eccleſiam Catholicam præſentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, quantaſcumque eleemoſynas fecerint, etſi pro Chriſti nomine etiam ſanguinem fuderint.* Vos extra fidem eſtis quam tot ſecula profitentur, tot viri ſanctitate & doctrina illuſtres docent, ipſa templorum clamant marmora, parentum ſepulchra & manes: Quicquid de noſtra Eccleſia jactatis hoc omnes hæretici fecere: *Faciunt favos veſpæ* (inquit Tertullianus) *faciunt Eccleſias Marcioniſtæ.*

Quam fragili nixi fundamento hæretici.

Quàm funeſtum ſit extra Eccleſiā mori.

Tertull. adverſ. Marc. l. 4 Hæretici in avos & parentes maximè injurii.

Non eſtis ubi avi, ubi atavi fuere, receſſiſtis à ſtirpe, à radice, præſumptio mortis eſt

eſt ſine capite vivere. Quam multa damnariâ vobis oportet ſecula, ut vnius Apoſtatæ defendatur error, quantam tot mortuorum cineribus labem aſpergitis, dum illuſos omnes fatemini, dum cultores idolorum facitis, per quos vobis vita, vobis veritas tradita eſt.

Eccleſia ſi reformata eſt, nulla eſt.

Sed quantum hoc cæcitatis eſt, in ipſum ſtatim limen impingere! Vos reformatam prædicatis eſſe vobis Eccleſiam, quæ ſi reformata eſt, jam nulla eſt. Nam quod reformatum dicitur, deforme aliquando fuiſſe neceſſe eſt, & ſi veſtra Eccleſia deformis fuit, nulla profectò fuit, quia deſinit eſſe, ſi integra eſſe deſinit. Nihil deformitatis noſtra contraxit, nec reformatione illi opus eſt, quam nulla pravitas detorſit. Veſtra reformata eſt, quia informis, & turpis erroribus, ac mendaciis per vos extitit. Sed quando hoc erat, Eccleſia non erat, nec aliud iam eſſe poteſt quam quod fuit, quia veritatis fidei, Eccleſiæ, idem eſt ſtatus qui rerum cæleſtium, & æternarũ, non ferunt labem, non admittunt errorem, dum infuſcari, dum corrumpi dicuntur: fateri tunc oportet non exiſtere. Nec cum veritas mendax, nec fides infida nec Eccleſia ſerviens idolis, quæ hoc olim fuiſſe dicitur, nihil omnino fuiſſe creditur.

Quæſtio ſectariis indiſſolubilis.

Inde operoſa vobis quæſtio naſcitur, quam nulla veſtrorum ingenia, nulla unquam ſecula diſſolvent. Nam aut Eccleſiam per mille fere annos prorſus extinctam fateri oportet, quod Calviniſtæ Galli in ſua profeſſione prædicant, aut illam quidem per tot ſecula extitiſſe, ſed ignotam, & nullis oculis aſpectabilem. Si primum aſſeritur, durum & grave dictu eſt. Eccleſiam Chriſti cruore & ſpiritu cõflatam, cui ipſe æternitatem nulla interruptione ſolvendam promiſit, ab eo tam injurioſe diſſipatam, cui vilium etiam inſectorum propagatio curæ eſt. Si alterum defenditur, ridicula res eſt, in orbe lunæ, inter ideas Platonicas, conſtruere Eccleſiam & ſacrorum miniſtros, quos nullus oculus viderit, nullæ aures audierint, nullus ſenſus deprehenderit? Vbi hoc in ſcriptura? ubi in hiſtoria? ubi in mente & cogitatione hominum, conſeſſus inviſibiles phantaſmatum qui Neophytos admittant, qui paſcant, qui doceant, & pro veritate certent, cùm ſint mera mendacia?

Eccleſia nec prorſus extincta eſſe potuit, nec inviſibilis degere in terris.

Certè neque hoc factum eſt, cum fureret Decius, cum Diocletianus inſaniret, cum Chriſtiano cruore reſtagnaret orbis. Nihil tam occultum quod non reveletur; nihil tam remotum quod non aliquando inveniatur. Nidum ſe Phœnicis deprehendiſſe curioſi inveſtigatores dicunt. Quis tot, & per tot ſecula mortales nulli viſos credat? ubi caput? ubi pes? ubi cætera membra in iſta Eccleſia, quam fingitis? Et ſi hæc vobis videntur ridicula, oſtendite patres fratreſque veſtros? Num Donatiſtæ? Num Circumcelliones? Num Beguini, & Valdenſes? Pudet vos forte tales habere Patriarchas, toties exploſos, toties damnatos, ſed qui nec paria vobiſcum omnia ſenſere. Oſtendite igitur ſeculo ſeptimo ſi à Gregorio magno ut objicitis jam idololatria cæpit, oſtendite octavo, & nono, & tot conſequentibus ſeculis uſque ad Lutherum cœtus illos hominum divinos, qui ſtata profeſſione eos omnes quos nunc prædicatis, articulos confiterentur.

Vbi ſeculo ſeptimo octavo, nono, qui ſimilem in omnibus cum ſectariis fidem profeſſi;

Si in orbe nullo, ſi in nulla hiſtoria inveniuntur, profectò deriſores eſtis humani generis, & voſmet objicitis omnibus deridendos, qui hæc tam importune, tam præpoſtere aſſeritis.

Sectatores novæ doctrinæ

At quo fundamento nititur tanta rerũ omnium confuſio? Scripturas objicitis, veſtra

Digitized by Google

peſſimo ſtructi ſ[illegible]damento, dum ſuas conſequentias pro ſcriptura venditant.

veſtra fide, veſtro intellectu, veſtris ſenſibus. Num hoc Marcion? Num hoc Valentinianus? Num Ariani, & Neſtoriani fecere? Vbi tam miſer & tam deſtitutus à ſuo ſenſu hæreticus, qui ſcripturas non vſurpet, qui non tumeat rationibus, qui verbis non luxuriet? Duram certè nobis legem imponitis, ſi ſcripturam de veſtra manu, de veſtra mente recipiendam iubetis, tot verſiones falſæ, tot truncati verſus, tot ludentium in immenſum ingeniorum ſophiſmata. Hæc nos igitur pro verbo Dei habere oportebit quæ mentis emotæ ſubtilitas conceperit, quæ diſputationis calor effuderit. Proteſtamur tam ſæpe, & tam ſolenni ritu, nullum eſſe, nec fore unquam ſcripturæ locum nitidum, efficacem, luculentum, qui noſtram fidē erroris arguat, vos innumera affertis ingenij veſtri commenta, & recoctas toties *conſequentias.*

Moyſes in veteri, Chriſtus in novo Teſtamento, docuere modum ſoluendi controverſſa de fide.

Quid facere nos oportet an per æternum atque immenſum diſputare? Videte quæſo quo pacto tam graves de religione controverſias pacare, & diſſoluere etiam poſſimus. Num ſatis idoneus in veteri teſtamento auctor eſt Moyſes? Num Chriſtus in novo? Attendite quid iubeat ille, quoties fluctuantem animum variæ de religione quæſtiones impulerint. *Si difficile inquit, & ambiguum apud te iudicium perſpexeris, Venies ad ſacerdotes Levitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore.*

Deut. 17. 8.

Matth. 23. Audite quid Dominus apud Matthæum moneat. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi quodcumque ergo dixerint vobis ſervate, & facite, ſecundum vero opera eorum nolite facere.*

Iam languentem, iam penè eliſam ſe præſente Synagogam voluit audiri, vos Eccleſiam pleniſſima eius auctoritate fundatam vultis contemni. Vbi gentium in ſolis legibus, & non in ore iudicū ſtant ſententiæ deciſioneſque iuris? Vbi non animata poteſtate dubia reſoluuntur? illuſtratur obſcura? controverſa deciduntur; *Neque enim aliunde* (monet Cyprianus ad Cornelium) *hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, quam inde, quod ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tēpus ſacerdos, & ad tempus Iudex cogitatur.* Vnde & clariſſima vox Auguſt. ad Creſconium, *Quamvis certum è ſcripturis canonicis non proferatur exemplum, tamen ſcripturæ à nobis tenetur veritas, cum id facimus quod univerſæ placuit Eccleſiæ, quam ſcripturæ commendat auctoritas.*

Cypr. ep. 55. ad Corn.

Aug. ad Creſc. l. 1. c. 33.

Oſtendam vobis veſtri fontem erroris, ſi ſagaciſſimam Tertulliani mentem placet inſpicere. *Regula quidem una omnino eſt, ſola inviolabilis, & irreformabilis credendi, ſcilicet in vnicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, & filium eius Ieſum Chriſtum, natum ex virgine Maria. Et quæ continentur in ſynopſi fidei. Hac lege manente, cætera iam diſciplinæ & converſationis admittunt novitatem, operante ſcilicet & proficiente uſque in finem gratia Dei.*

Tert. lib. de Vel. virg.

Tert. de Eccleſiæ præclarus ſenſus.

Hoc profectò ſi benè intelligitur, multum facit ad diſcordes animos conciliandos, & reddendam rebus afflictis pacem. Fratres noſtri eſtis Chriſtiani de Chriſtianis, imo de Catholicis. Creditis in Deum, in Chriſtum. Nulla pars ſymboli non tenetur à vobis, in hoc iuratis, in hoc planè nobiſcum facitis. Quid eſt igitur, quod vos torquet, agitat, & diuellit à nobis? Statuta quædam Pontificum, & Conciliorū ſemper aut Apoſtolica traditione, aut ſcripturæ authoritate nixa, ſuper decoro cæremoniarum, ſuper exteriori diſciplina, & converſatione Eccleſiæ, qualia ſunt Sanctos venerari, eorum imagines colere, præferre cruces, ſignare ſe, aſpergere luſtralibus lymphis, peccata ſacerdoti confiteri, abſtinere à carnibus ſtatis die-

Non debuerunt hæretici ab Eccleſia diſcedere propter Pontificum ſtatuta de exteriori diſciplina Eccleſiæ.

Digitized by Google

diebus, jeiunare per quadrageſimam, pro mortuis orare, indulgentias Pontificum pijs operibus demereri, & ſi quæ ſunt hujuſmodi.

Certè ſi hæc nova eſſent, & antea inaudita, valeret tamē (ut habetis ex hoc Tertulliani loco) ad conciliandā iis omnibus fidem, Eccleſiæ ſtatuētis auctoritas. Verū cum à multis antea ſæculis conſtituta, probata, & vſurpata, in piorū omnium mores vitamq; coaluerint? Quid ſtridetis? Quid turbatis? Quid terram & maria flammis & cruore inquietatis? Multa in iis ſunt quæ cum laudatiſſima ſint, non habent parem neceſſitatem cum fide in Deum unum, & trinum, in œconomiā perſonæ Chriſti, in proceſſionem Spiritus ſancti. Quædā poſſunt non fieri, nulla quaſi per ſuperſtitionem invecta damnari. O imprudentiā, ô cæcitatem! propter hæc diſceſſiſſe à fonte, à capite, omnia per vim & ſacrilegium temeraſſe.

Catholici nihil abſurdum credunt.

Quid tantū mali eſt ſi Deiparam Virginem, ſi Sanctos, quaſi ornamenta crucis Chriſti colimus, omnē in Deum honorē refundentes? Si ad erigendos in præclariſſimas eorū virtutes mentis oculos, ſpirantes in picturis vultus intuemur? Si remitti peccata per Sacerdotum miniſteria poſt Dominū profitemur? Si poſt viginti ſcripturæ locos, quos antiqui Patres de purgatorio intelligūt, tertiū quendā locum eſſe dicimus, quo nō omnes quidē animæ, ſed quædā non dū per martyriū, aut charitatē aut tribulationē, ſatis expiatæ detineātur. Quid mali facimus, ſi caſtimoniā excolim⁹, ſi abſtinemus, ſi ieiunamus, ſi ſacra cæremoniis ornamus. An hoc magis idoneū facere Chriſtianos ſine dominico, ſine Eccleſia Catholicos, altaria ſine ſacrificiis, ſine operibus fidē, ſine obſervantia legem?

Quid rixari, & toties ſerram per minutas controverſias reciprocare convenit? Iam ad duo fermè capita referuntur omnia, ad Papam, & ad miſſam. Hæc ſi quis vobis oſtenderit, omnia ut ſæpe dicitis, evicerit. Non eſt hic diſputandi locus, ſed hortandi. Dicam tamen paucis quod ſentio. Papa potius odium eſt ſectæ, quam conſcientia diſciplinæ. Non per religionē à vobis abdicatur, ſed per impetū & furorem. Fuerunt aliqui Pontifices adverſus ſchiſmaticos ſeveri, qui convellere magis ſtudebant errores, quàm homines mutare. Inde rigor, & pœnæ, inde etiam efferati ferocientium ex vobis animi, & implacabilis ſævitia poſterorum. At nunc Pontifex amicas tendit manus, nemo tam miſericors, nemo tam pater; Is filios ſuos etſi prodigos, etſi nudos recipiet, ſatis eſt rediiſſe.

Duo capita præcipua totius controverſiæ authoritas Pontificis, & miſſa.

Pontifex ſummis aſſeritur.

Grande hoc faſtigium eſt, & inconcuſſa tot ſeculis auctoritas, quam Chriſtus adverſus portas inferi eâ voce fundavit, qua firmavit terras, fudit maria, cælos extendit. Vbi Eccleſia cœpit, cœpit quoque Romani Pontificis principatus agnoſci, cœpit omnibus eſſe venerationi. Si Gregorius ſeptimus, ſi Sixtus quartus, ſi quis alius ſummi honoris tenax, ſe ſuaque venditaret, novitium hoc fortaſſe commentum diceretur. Sed omnis Patrum authoritas, omnia doctorū monumenta & teſtimonia Sanctorum huic applaudunt veritati. Origenes vocat *Petrum fundamentum, & petram ſolidiſſimam, ſuper quam Chriſtus fundavit Eccleſiam.* Irenæus ad Eccleſiam Romanam ait *omnes Eccleſias concurrere, propter validiorem poteſtatem, hanc maximam, & antiquiſſimam, & omnibus cognitam, à glorioſiſſimis Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatam & conſtitutam.*

Orig. hom. 5. in Exo.

Eandem Cyprianus Eccleſiæ Catholicæ matricem & radicem agnoſcit. Nouella Iuſtiniani centeſima hoc eſſe ſacrarum Synodorum commune decretum, ut primus

Cypr. l. 4. ep. 8.

 mus

Digitized by Google

mus omnium Sacerdotum ſit veteris Romæ Epiſcopus. Poſt illos & ſexcentos hujuſmodi locos, tantam authoritatem vellicare, vel ſtuporis eſt, vel impudentiæ. Etſi numerentur aliquot Pontifices moribus & vita corrupti, nunquam tamen dignitas etiam in indigno herede deficit. Alioqui in hac mortalitatis noſtræ fragilitate, quotidie vertenda eſſent regna, & imperia per innumeras viciſſitudines commutanda. Quandiu vivitis ſine capite, tandiu eſtis ſine lege, quandiu rebelles auctoritati, tandiu hoſpites teſtamentorum, & primæ lucis expertes.

Euchariſtia & miſſa defenditur. Nunc verò quod ad Miſſæ ſacrificium & dominici corporis conſecrationem attinet, ſola nos veneratio verborum Domini, & poteſtas nullis circumſcripta limitibus, huic quam proteſtamur fidei addixit. Nam ſi radio Solis ſcriptum eſſet quod de huius myſterij veritate per quatuor Evangeliſtas, & Pauli epiſtolam tradidit, num clarius enuntiari, num ſignãtius exprimi potuiſſet? Sanxit ea nocte qua tradebatur, ea cæna quæ mortali inter mortales fuit vltima, eo teſtamento quod irrevocabili fide ſtabilivit. Vbi figuræ mentio? Vbi apud eos qui tum intererant ſuſpicio? Dicta plana, ſermo facilis, unus omnium qui audierunt, qui auditum narraverunt, conſenſus. Hoc poſterorum religio omnis excepit, fidei ſæculorum credidit, uſus indeclinabilis obſeruauit. Si qui dubitarunt, omnes impuri homines, & ſceleſti, ut Iudas. Capharnaitæ, Gnoſtici, & ſi quæ aliæ hæreticorum peſtes. Tanta verò in hac aſſertione profitenda Patrum omnium conſenſio: ut grande volumen ex iis duntaxat locis quæ Catholicam fidem probant contexi facilè poſſet. Si qui aliud dicere videntur, & tam obſcuri ſunt, aut certè ambigui, qui apud authores non iniquos facilè explicari poſſunt. Tantum verò apud cæteros Euchariſticæ robur veritatis, ut in ea ſæpe cæterorum myſteriorum fidem aſtruant. Sanctus Hilarius inde probat Patris & filij unitatem non eſſe tantum in ſimilitudine, ſed in eſſentia. *De veritate, inquit, carnis & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra verè caro eſt, & verè ſanguis eſt, & hæc accepta, atque hauſta id efficiunt, ut nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. Anne hoc veritas non eſt? Contingat planè his verum non eſſe, qui Chriſtum Ieſum verum eſſe Deum negant. Eſt ergo in nobis ipſe per carnẽ, & ſumus in eo, dum ſecum hoc quod nos ſumus in Deo eſt.* *Hil. l. 8. de Trin.*

Videte ut antiquiſſimæ eruditionis vir, & invictus veritatis præco de veritate carnis in Euchariſtia loquatur. Primum tanquam rem indubitatam ponit, & propter verba Domini, & propter unanimem Eccleſiæ conſenſum. Secundo eos qui negent, antichiſtos quoſdam eſſe qui Chriſti fidem non habeant. Tertio inde probat æterni Patris filium, non per voluntatis tantum aſſenſionem, aut ſimilitudinem morum, ſed per unitatem eſſentiæ nuncupari; quaſi diceret nec Chriſtũ in Patre; nec in Euchariſtia per figuram ſed verè, & realiter eſſe.

S. Iuſtinus inde incarnationis myſterium confirmat innuens in Sacramento eſſe eadem ratione qua ſibi Oeconomiam veri corporis in conceptione ſua diſpenſauit εἰον τρό πον σαρχοποιηθεὶς. Ex quo ſi figura tantum in Euchariſtia reſtaret, figmentum carnis de Virgine Maria natum fuiſſe nobis eſſet inferendum. Sanctus Irenæus quoque inde reſurrectionis trahit ſemina, nec vult per figuram, aut ſpeciem accipi. *Quomodo dicunt carnem in corruptionem venire, quæ à corpore Domini & ſan-* *Iuſt. in Apol. ad Anton.* *Iren. l. 2. c. 34.*

Idem l 5. cap.2. *ſanguine alitur?* Et rurſus. *Non de ſpirituali aliquo & inviſibili homine dicens hæc, Spiritus enim carnem & oſſa non habet, ſed de ea diſpoſitione quæ ſecundum hominem, ex carne, & nervis, & oſſibus conſiſtit.* Apertiſſimè Ori- *Orig. contra Celſ. l. 8.* genes ἄρτοις ἐσθίομεν σῶμα γενομένους, & Ambroſius, *Panis iſte panis eſt ante verba* *Amb. 4. de Sacr.* *ſacramentorum, ubi acceſſerit conſecratio, de pane ſit caro Chriſti.* Tranſſubſtantiatio vero quæ in Concilio Lateranenſi omnium celeberrimo, & numeroſiſſimo, con- *An. 1215. ſub Innoc. 3* currentibus undique terrarum primariis doctrina & ſanctitate viris, decreta eſt non eſt nouum verbum, & commentum. Hoc enim voluit Gregorius Nyſſenus oratione catechiſtica, cum dixit *Theoph. in Matt. 26.* μεταστοιχειώσας τῶν φαινομένων φύσιν, & Theophylactus in Matthæum ἐνεργείᾳ μεταποιεῖται.

De miſſa vero nimis frigidum eſt dicere quòd in ſcriptura non extet, ubi nec Trinitas. Si literam tantum quærimus, quæ occidit, non ſpiritum qui viuificat, ſatis ſuperque eſt quod antiquiſſima Pa- *In decretis Pont. S. Aug. ſerm. 91.* trum monumenta, ut Pij, Soteris, Cypriani, Ambroſii, Auguſtini, & cæterorum nomen iſtud tam ſæpe perſonent.

Duo quæ in hæreticis labefactant fidem Eucharistiæ Nunc ea dicam quæ hujus in vobis myſterii fidem labefactant, & quæ ſi lubet penitus ſpectare magnum vobis ſolatiũ, magnum ad credendum adiumentum ſunt allatura. Primum eſt quod propter inditam hæreſi mentis arrogantiam, Deũ ad humana commercia tam profunde demiſſum capere non poteſtis, nec de eius poteſtate ac magnitudine, ut par eſt, iudicatis. Idem vos error abripit, qui olim hæreticos multa de incarnatione mentitos, quod ait Tertullianus, *Deum in puſillitatibus non agnoſcerent.* Sed ab eodem diſ- *Tertull. adverſus Marc.* cite. *Deum tunc maximum eſſe, cum homini puſillus.* Quæ vobis in Sacramento altaris fingitis dedecora, ea ſunt humilis Domini ornamenta, hæ coronæ, hæ ſtupendæ charitatis inſignia. Deinde cùm altum & ſublimem repræſentare vos putatis, facitis impotentem, ut qui de pane corpus ſuum producere non poſſit, nec in tot locorum ſpatia uno temporis momento diſtendere. Veſtra quotidie viſcera, & qui in vobis ardet perpetuus naturæ focus, de pane carnem efficiunt, & hoc divinæ potentiæ denegatis, vos plus tribuitis abjecto corporis membro, quàm omnium creatori Deo. Vna vox in tot aurium millia ſpargitur, unum ſpeculum in tot facies ſcinditur, Mutant quotidie totam naturam hominum ingenia, natare plumbum docent, & ſolida corporum in Spiritus diffundunt. Non poterit hoc rerum conditor, quod de plebe artifex facit.

Alterum quod veſtram remoratur fidem, illud eſt, nunquam Catholicos de Euchariſtia ſenſus ut par eſt æquis auribus accipitis, ſed pravitate ingenij, in nefanda atque horrenda ſæpe detorquetis. Quod enim dicitis prædicare nos Chriſtum eſſe in Euchariſtia eo planè modo quo in utero virginis, quo in cruce, hoc falſum eſt, de ſubſtantia corporis convenimus, de modo diſſidemus, qui in hoc myſterio planè ſpiritalis eſt, licet enim in eo corpus Chriſti quantitatem habeat eamque extenſam, minimè tamen habet ad partes loci diffuſam atque adæquatã, ex quo fit ut in throno illo Euchariſtiæ quaſi ſpiritus ſacer, & æternus inſideat.

Denique quod nunquam ſatis diſtinguitis, duo in Euchariſtia dicimus eſſe, corpus Domini, & ſignum, ſeu figuram corporis Domini. Quod palpatur, quod frangitur, quod videtur, quod igni, quod ferro, & tot iniuriis ſubjacere poteſt, non eſt hoc corpus Domini, ſed ſignũ. Quod vero ſub ſigno latet corpus Domini eſt,

 non

Digitized by Google

non eo ſe modo habens quo cætera mortalium corpora, ſed in cæleſtis ac æthereæ naturæ cenſum doteſq; transfuſum. Hoc breviter attigit Auguſtinus, cum dixit, *Corpus Domini & veritas & figura eſt. Veritas dum corpus Chriſti & ſanguis virtute Spiritus ſancti ex panis & vini ſubſtantia efficitur figura vero quod exterius ſentitur.*

Decretum ... 71.

Credite mihi, placuit vobis huc vſque diſputare, jam placeat vivere, nolite claudere oculos veritati, quos tam ſæpe aperuiſtis errori. Iſtius hæreſis, ſicut & cæterarum ruina ſcripta eſt in cælo, & quidem Dei ipſius digito. Veniet tempus cũ Lutheranorum & Calviniſtarum nomina ſolo ſceleris horrore nota reſtabunt, cælo terriſque exoſa. Currite in Eccleſiæ matris amplexus, quæ ſupplices pro vobis ad aras tendit manus, de veſtra ſalute anxia, de ſua gloria ſemper ſecura, ô diem illam fauſtis illuminatam ſideribus, quæ vos parentis reddet gremio, quæ cognatis, quæ fratribus, quæ tot chariſſimis nominibus reſtituet. Nolite erubeſcere veritatem, non pudeat quemquam caſtra reliquiſſe contagione polluta, non pudeat errores abiuraſſe. Sed ſi quis pudori locus eſt, pudeat non citiùs puduiſſe.

DISSERTATIO TRIGESIMA.

De Diſtributione Beneficiorum, & Epiſcoporum delectu.

In illa verba de Ioſaphat. *Miſit de Principibus ſuis ut docerent in Civitatibus Iuda, habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas vrbes Iuda, atque erudiebant populum.* 2 *Paral.* 17. 9.

HABET poſtea ingentem campum regia pietas in quo ſe prodat atq; exerceat, diſtributionem beneficiorum, rem ſacram, & non niſi ſacris manibus diſpenſandam. Hoc Chriſti patrimoniũ eſt; hoc pretium ſanguinis, qui dum commodè funditur in omnes Eccleſiæ venas, hinc ſanitas & vigor: Si ſubtrahitur, tabes, & morbi conſequuntur innumeri.

Inde ex parte, ſuperiori ſeculo hæreſes eruperunt, quod opima Sacerdotia nobilibus nulla ſtudiorum claritudine, nulla morum commendatione conſpicuis, per ambitum cederent. Ex quo pernicies gemina, una quod dignitatem ſocordia, & flagitiis peſſundarent. Altera quod docti, & acres viri, cum per hæc ſperni ſe crederent, arma quæ pro Eccleſia paraverant, in eam fatali intemperantibus ingeniis arrogantiâ converterunt. *Vnde hæreſes.*

Certè mittuntur Epiſcopi per omnes regni cardines quaſi Angeli cuſtodes Provinciarum, qui ſi fuerint moribus integri, eruditionis laude inſignes, prudentia ſeduli, tanquam benefici ſiderũ fulgores omnia virtutibus accendunt, & vim quandam ſalutarem per totum regnum diffundunt. Si contrà puſilli ingenio, & vitâ contempti, aut etiam corrupti, latè venum ſpargunt, quo cuncta inſici, & perdi neceſſe eſt. *Epiſcoporum vtilitas.*

Hic non tantum oculatiſſima prudentia opus eſt Principi, ſed animo etiam invicto. Nam prenſantium undique vis ingens, ſubdolæ artes, inſidioſa vbique importunitas, & potentibus ferè lex eſt hæreditate poſſidere ſanctuarium Dei. *Quanta vi opus Principi vt beneficia, legitimè diſtribuat.*

Beneficia deſtinantur aliquando lactentibus, imò vix natis, inde tantus parentium infulatos labor. Ædificare domos ſuas per Eccleſiæ gementis ruinas quærunt. Quò vis non irrumpit, technæ penetrant, omnes circũſidentur aditus per viros gratioſos, fæminaſque pellaces. Mira in pane Chriſti ſuavitas quem paruuli *Beneficiorum abuſus.*

de

de lacte, ſenes penè de tumulo quærunt. Iuuat multos occupandi facilitas, & præda tam pinguis, unius ſæpe ludicri præmium. *Nihil eſt* (ut ait ſanctus Auguſtinus) *in hac vita, & maximè hoc tempore facilius lætius, acceptabilius Epiſcopi officio, ſi perfunctoriè atque adulatoriè res agatur. Sed nihil apud Deum miſerabilius, triſtius, & damnabilius cum ſic agitur.*

Aug. ep. ad Valerium.

Cautio Principis in ea.

Caveat Princeps ne peccatis obruatur alienis, tanta jam regni mole preſſus, pugnet cum callidis ſagacitate, cum audacibus auctoritate. Non credat blanditiis nihil hic per favorem, nihil per cœcum amorem largiatur, non credat ſibi, nec etjam uni cuipiam. Nimis facilè eſt hic errare, nimis blandum demereri homines, de ſanguine crucifixi nundinari, deſtinare ſibi ſervos & imperia.

Quædam ſunt beneficia modica, & extra animarum curam, quæ ex confeſſarij conſilio largiri promptius poteſt. Alia grandia, ſpectata & quæ ſalutem tot mortalium ſpectant, quibus optime conſuleret, ſi quatuor ex toto regno viros præcipua ſapientia, & integerrima fide deligeret, quorum conſilio in tam ſerio delectu providus uteretur.

Multa nunc etiam per curiam Romanam licere nonnulli putant, quæ nimis laxa, & ſeveriori diſciplinæ adverſa. Non omnia quæ tolerari ex conſciẽtia poſſunt ſtatim impetu convellenda. Sed tamen danda opera eſt, ut paulatim redeat in mores noſtros antiquæ vigor diſciplinæ. Durum eſt ſæculares Abbates præfici regularibus, tam diſparia capita diſcrepantibus membris imponi, durum tam florẽtes olim Abbatias quæ ſpectatiſſimi ſanctitate ſenes tenuerunt, in unius ſæpe iuvenis imperiti, & petulantis luxuriam cedere. His manes, his mortuorum cineres ingemiſcunt.

Heu quid non cogit proſtitutæ auctoritatis mollities, & tenax conſuetudinis imperium! Sit ſaltem moderatũ quod hic turpiter audemus, neque tot in Eccleſiam ſerpant maculæ, nullis aquis aut flammis eluendæ. Præcipuus circa Epiſcopos labor, quorum dignitas ingens, & officia latè in rem Chriſtianam diffuſa. Duodecim quaſi dotes in electione Epiſcopi antiqui canones requirunt. Vt ſit ætate maturus, Natalibus illæſus, Corpore integer, Fama candidus, Literis inſtructus Religioſus, Prudens, Temperans, Caſtus, Hoſpitalis, Manſuetus, Irreprehenſibilis. Peritus autem eſſe debet non tantum peritiâ literarum, ſed negotiorũ. Vix huic oneri pares, qui cum vita innocentiſſimi ſint, nec literarum expertes, laborant tamen frontis mollitie, ac rerum humanarum inſcitia. Et hoc aptè conſideravit ſanctus Gregorius Neapolitanis diſſuadens electionem Petri in Epiſcopum, quod ingenio eſſet nimis facili & ſimplici. *Atqui hoc tempore* (ait ille) *in regiminis arce debet conſtitui, qui non ſolum de ſalute animarum, ſed de extrinſeca utilitate & cautela ſciat eſſe ſollicitus.* Experientia compertum eſt viros charitatis ardore incenſos, & induſtrios, mediocri etiam doctrina, utiliores Eccleſiæ fieri, quàm eloquentiſſimos oratores, aut acutiſſimos Theologos, ſegni opera, & manu remiſſa gubernantes, nec incautè dictum eſt in jure Canonico *imperfectum ſcientiis ſuppleri perfectione charitatis.*

Epiſcopi 12 qualitates. Lancel. in inſtit. iuris Can. l. 1.

S. Greg. epiſt. ad Neapol. Epiſcopos oportet eſſe negotiorum peritos.

Qui maximè indigni Epiſcopatu

Omnium ſæpe indigniſſimi qui maximè cupiunt, aulæ aſſueti, & prædæ, verſutis artibus inhiantes, qui ſi in remotas deſtinentur regiones, putant ſe in alium orbem veniſſe. Tum mœſti & auidi, aulicæ vitæ deſiderio contabeſcunt, non intacto per hanc tabem grege. Suſpecti ſemper antiquis Patribus fu[...]

bani, civili potiùs aut militari officio quã ſacrificio & aris nati. Nec dubium quin multi ambitione cæca vim propè fecerint fatis.

Synodus ſeptima jubet deponi qui per fauorem Poteſtatum irrepſere, nulla meritorum laude commendati. Iuverit obſervare per omnes regni provincias viros ſanctimonia, & eruditione celebres, qui rem Chriſtianam vel concionibus, vel diſputationibus cum hæreticis, vel egregiis librorum monumẽtis, vel inſigni virtute illuſtrarint, ſi modo ad regendum apti, nec otij dulcedine averſi.

Non ſola in delectu cura, ſed in prouidentia regiminis Eccleſiaſtici.

Nec ſola in delectu cura: Videndum enim poſtea ut votis reſpondeant, reſidendo, docendo, viſitando, impigrè adminiſtrando omnia. Videndum an Metropoles Eccleſiæ ſacrorum honore fulgeant, an idonei Parochiis deſtinentur rectores, an ſalutari doctrina, ſacramentorum adminiſtratione commodè populi muniantur, an maculoſi Sacerdotes coerceantur; An templa niteant, an divinis frequentur officiis. Nil opus eſt omnia curioſè rimari, Principes tantum velint Epiſcopos habere fortes, & innoxios. Si qui iniurioſi, mulieroſi, auari, litigioſi, diſſoluti, ſtatim fama differet, & diſplicendi timor ſæpe emendabit, quos canonicæ cenſuræ nihil aut parum movent.

Eccleſiaſtici aulæ quales eſſe debeant.

Expedit autem Regi ab ipſo lare incipere, & aulam in qua ſæpe per ſocordiam luxuriamque regnat impietas, per magnũ Eleemoſynarium neceſſariis ad vitã Chriſtiane degendam præſidiis inſtruere. Parum ex decoro eſt, ſi inter familiam Eccleſiaſticã toleret comaculoſos, luxurioſos, ſaltatores ridiculos mirmillones, & id genus hominum qui Deum quotidie irritant, nunquam placant. Egregia res eſt ſi in cultum ſacrarij ſui, & aliquot templorum extructiones ſtudia diſtẽdat, ſed nullas æſtimet Baſilicas ſinceris hominũ mentibus Deo gratiores quas per totum regnum, à piis & ferventibus operariis velit excoli. Vrbes, pagi, caſtella, caſtra etiam ipſa ſtrenuè obeunda, ne ſolatio Chriſtianæ mortis careant, qui vitam publicæ ſaluti impendunt. Curavit hoc etiã olim Conſtantinus magnus, qui ſtatam militibus orationis formulam quam inter arma lituoſque recitarent, per Epiſcopos indici voluit.

Religioſi Eccleſiæ Dei maximè vtiles.

Multum in iuuandis omnibus religioſi poſſunt, maximum divini ingenij in ſubſidium laborantis Eccleſiæ inventũ, dum intra ſua ſtatuta, ſuos limites reverenter ac modeſtè continentur. Numeroſa certè gens in qua nemo naſcitur, illic tamen naſcuntur omnes, ubi fidei ſedes, theſaurus pietatis, charitatiſque ſacrarium. Quid his purius, quos defecata tandiu à contagione mundi vita decoxit? Quid ſublimius, qui ut radij Solis contingunt quidẽ terram, ſed ibi toti ſunt, & ſemper, unde mittuntur præſentium rerum incurioſi, ſolius æternitatis avari? Quid fortius quã qui per vaſta & horrentia loca, per ſpinas & ſcopulos, per inhoſpita maria, & minãtes vndarum pendentium montes, penè ultra auram, & diem eunt ad miſeros mortales, ad ſæuos etiam & omni immanitate barbaros, miniſtri ſalutis & vitæ. Quis contemnat Aſcetas penè omnes Prælatorum filios, aut Patres? Vt qui ab Epiſcopis inſtituti, toties Epiſcopos ex monaſterijs dedere. Fœda omnino res, & lachrymis digna, ſi qui ſolâ zelotypia moti, tam proficuis laboribus obices intercedunt, vetantq; eos qui à Sũmo Pontifice tam iuſta, & tam verenda omnibus poteſtate delegati ſunt, ſuas vices modeſtis ſenſibus obire. Quid iuuant tot inertes pugnæ, tot tela felle tincta, & ſanguine. Heu prodigi materni hono-

honoris, amantes ſui ! Jam pridem ſub Leone X. res deciſa eſt, & religioſi piis laboribus relicti.

Jactavit eadem tempeſtas Eccleſiam conſpiratione valida Guillelmi de amore, & ſociorum ejus. Sed illi omnes per Alexandrum IV. annitente, etiam ſancto Rege Ludovico condemnati. Certè ſi qui regulares arrogantes, cervicoſi, aut erga Epiſcopos omni honore digniſſimos minus obſequioſi, illi ſeverè coërcendi, atque ab iſtis muneribus ablegandi. At verò impedire quo minùs modeſtorum labores ſeſe expromant, & in publicam utilitatem effluant tam præclari fontes, non modo Eccleſiæ lugubre, ſed Prælatis etiam indecorum. Strenuam operam Principes navant, qui ſunt in ſedandis iſtis diſcordiis ſeduli, ne infidelium gaudia, cæterorum faciant ſcandala.

Moniales

Præterea ſacra virginũ monaſteria, quæ pudicitia primę & puriſſimę menti litant, magni faciat, protegat, & quantum res tulerint, amplificet: Scholas, Gymnaſia, Seminaria, & Academias in quibus juventus eruditur ad artium virtutumque; decora, probet, tueatur, promoveat, & probos ac doctos pro ſuo quemque gradu honore & præmiis affici curet, ne deſerta ſtudia langueſcant, & ægrè ſe pietas deſtituta ſuſtentet.

Scholæ & ſeminaria.

DISSERTATIO
Trigesima prima.
De piis operibus, & miſericordia erga Pauperes.

In illa verba de Davide. *Et convenerunt ad eum omnes qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo.* 1. Reg. 22. 2.

EXISTIT præterea grande ſacrificium pietatis, beneficentia in pauperes, cujus præcipui Sacerdotes non immeritò Reges habentur. *Communionis & beneficentiæ* (ait Apoſtolus) *nolite oblivisci, talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Hoſtias nempe vocat eleemoſynas, innuens hanc in largiendo benignitatem antiquiſſimam quoddam eſſe & commune omnibus gẽtibus ſacrum. Stetit diu ſine ſacrificiis legalibus mundus, ſine Euchariſtia ſtetit, at ſine miſericordia conſiſtere nunquam potuit, Deo beneficos homines ad ſolatia mortalitatis ubique diſpenſante.

Heb. 13. 16.

Eleemoſyna commune omnium Gentium ſacrum

Ad hæc ſacra quiſque Sacerdos eſt, Græcus, Æthiops, Indus, & Scytha, viri, fœminæ, omnis ſexus, omnis ætas, tot ſunt aræ, quot hominum miſeriæ. Tranſeunt quoque in Deos tam pii ſacrifici, *Deus eſt,* inquit ille, *mortali juvare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via.* At qui magis apti quam Principes, quibus & poteſtas benefaciendi ſumma eſt, & proclivis facilitas, quæ magnum habet cum Deo commercium, Eccleſiam à Regibus lactandam promittit divinus Iſaias: Inde etiam Ægyptii Joſephum Proregem in Seraphim Deum conſecrarunt, modio capiti ſuperpoſito, ut frugum largitori. Sola etiam fœminarum Principum Livia arcum triumphalem meruit, quod inopum Senatorum filios, quos triumviratus ſævitia ſpoliarat ſuis facultatibus aluiſſet.

Dii mortalium in pauperes benefici. Plinius.

Sed nihil in hoc genere cum Chriſtianis comparandum, quorum profuſa & prodigio ſimilis liberalitas. Benedictus decimus tertius Carolum ſextum Franciæ Regem ſic affatur, *Nonne tui anteceſſores proprium habuerunt ſuccurrere non ſolum vexationibus Eccleſiæ, non ſolum ſummis Pontificibus in ſua ſede reponendis, ſed omnibus communiter injuſta paſſis, quaſi nobilis Franciæ domus templũ eſſet miſericordiæ, quale apud Athenas fuiſſe memoratur, ubi cunctis afflictis erat præſto ſubſidium.*

Profuſa Regum Franciæ in pauperes liberalitas.

Digitized by Google

Tanta hic Regum, Reginarum, Principum ubique exempla, tanta & tam pia benignitatis certamina, ut quis faciliùs numeret ſtellas, quàm tot illuſtria avitæ pietatis monumenta. Childebertus ſancto Germano qui ei ab eleemoſynis erat, tam multa in dies quæ erogaret, largiebatur, ut cùm munificentia pauperibus nunquam deeſſet, munificentiæ ſæpe pauperes deeſſent.

Ammoinus.

Robertus deſtinatos habebat mulos, qui magnam mēdicantium multitudinē quocumque ſe cōferret, deportarent, hos hoſpites, hos contubernales perpetuò habuit, ab his tam familiariter obſidebatur, ut regiam veſtem nonnumquam ipſo annuente & ridente diriperent. Jam Ludovico ſancto, Angliæ, Auſtriæ, Bavariæ Principibus conſuetiſſima res fuit, pauperibus ſuis miniſtrare manibus, ſtatis & ſolemnibus feſtis. Nemo certà Nobilium ex hac vita diſcedebat ſine grandi eleemoſynæ commeatu. Nihil igitur regium, nihil auguſtum ineſſe illi poteſt, cui beneficentia erga miſeros deſit.

Hildegandus.

Principes pii & pauperū miniſterio glorioſi.

Non mediocri laude digni ſunt qui tēpla, qui baſilicas, ſuis ſumptibus ædificari, & magnificis ornari donariis curant, ſed in re magis utili hoc præſertim tempore laborant, qui Xenodochia extruunt, quibus aut ægrotos & mutilos foveant, aut orbatos parentibus educari curent. Artibus inde juventutem inſtrui, puellas nubiles collocari, aut etiam monaſteriis benè fundatis, ſi Deo ita viſum fuerit, aggregari. Pudenda quidem res eſt Chriſtiano nomini, & incurioſi ſæpe imperii argumentum, intueri vagam & inertem pauperum colluviem, qui urbes, qui templa, qui domos obſident, indignantibus multis, paucis miſerantibus, nullo ſatis efficaciter opitulante. Timendum ne Sinæ, ne Turcæ, ad formidandum Dei tribunal nos aliquando deferant. Illi in numeroſiſſima gente neminem patiuntur rebus ad vitam neceſſariis deſtitutum, mendicum neminem. Si quis inops, ſi quis indigens, qui victum induſtria comparare non poſſit, advocantur ſtatim cognati, & affines, vel unus qui plurimum poteſt, vel omnes, paribus auſpiciis, alimenta illi per omnem vitam ſuggerere jubentur. Si nō poſſunt de fiſco alitur, de regalibus horreis vivit. Hi vero non tantū hominibus ſed brutis ſunt hoſpitales, fontes, domos, fomenta peregrinis parant, equos aut mulos ſenio confectos nonnumquam indulgenter alunt. Quis hominem Chriſti imaginem ſignatum, Chriſti ſecum ſpiritu animatum, ſecum ſanguine & corpore Domini ſaginatum deſpiciat?

Xenodochia hoc tempore Baſil. cū utiliora.

Sinarum & Turcarum cura erga pauperes.

Hi noſtri accuſatores futuri

Et certè hoc olim in Gallia ſub Henrico ſecundo conſtitutum, ut villa, ut urbs quęque per juſtas diſtributa Parochias, inopię miſerorum conſuleret: Sed non ſentire recta non poſſumus, facere vel incuriâ, vel inconſtantiâ prohibemur. Fuit olim hoc ordo in Romana Eccleſia ſub Sylveſtro, & Conſtantino, ardente in generoſiſſimis pectoribus proximi amore, & inde primū dicti Cardinales, non qui purpurâ fulgerent, non qui pompâ tumerent aut faſtu, ſed qui æternæ urbis cardines ſeu vicos diſperſi luſtrarent, pauperum deſcriberēt nomina ſcirent, & ſolarentur miſerias. O candidiſſima pectora quibus hæc facere & pati faſtigium honoris fuit! Quid juvat cædes mortalium, vaſtitateſque provinciarum annalibus condi? Is demum Deo gratiſſimus regnat, is triumphat, qui de regno miſerias ablegat, & novit facere fælices His paſſibus in cælum tot iere proceres, quaſi pauperum humeris ſubnixi, & nunc eorum fama, eorum memoria ab iis portatur, qui, ut ait ſcriptura, ipſum orbem portant.

Conſtitutio ſub Henrico II. in favorē pauperum.

Cardinales quū. Conciliū Romanū ſub Sylveſtro.

Fabianus Pontifex 14 Diaconos Regionarios in 14 Regionibus Romæ poſuit ut pauperū curam gererent qui ſub Sylveſtro Diaconi Cardinales primū dicti.

Digitized by Google

Domini ſunt cardines terræ, & ſuper eos poſuit orbem. 1. Reg. 12. alia verſio: Domini ſunt afflicti terræ.

DISSERTATIO Trigesima secunda.

De zelo propagandæ Religionis.

In illa verba de Joſaphat mittente Levitas ad docendos populos. *Factus eſt pavor Domini ſuper omnia Regna terrarum.* 2. Paralip. 17. 10.

Iſai. 18. 2.

MAGNIFICÆ tamdem pietatis culmē eſt aggregare Chriſto nationes exteras, & fidei vexilla inter ſtupentes erigere populos, quæ timeant improbi, venerentur ſubditi. Clamat Iſaias Propheta. *ite Angeli veloces ad gentem convulſam & dilaceratam, ad populum terribilem, poſt quem non eſt alius.* Is fuit maximis Regibus apex magnitudinis, ferre ultra patrios fines arma, ignotas tentare gentes, & per calcatū orbem incedere. Audierat Alexander in Oceano jacere terram, ultra Oceanū rurſus alia littora, alium naſci orbem, nec uſquam naturam rerum deſinere. Itaque ibat per Oceani portenta, & terribiles viſu formas, ut Liberi patris, ut Herculis fabuloſam gloriam imitaretur, dignus ipſe qui fabula mundo fieret, quando ſola libidine vanitatis fractum militem per ſæva urgebat diſcrimina, quærens orbem, dum amitteret.

Ingens in orbus domiteribus deſiderium exteras nationes debellare.

Alexandri & Trajani ambitio.

Pedo de navigatione German.

Eadem laudis dulcedine Trajanus *fines revulſit, quos prudentior Auguſtus imperio Romano deſtinarat. Magna res omnibus viſa intentatos tentare fines, & nunquā niſi eum ſole & mundo deſinere.* Inde plauſit cœca poſteritas, & omnia theatra perſonuere. Sed tamen frivolū eſt propter fumos, ſe ſuoſq; ſummis laboribus objicere, *ſacras* (ut ajunt) *undas violare remis & Deorum turbare ſedes.* Quis horum finis niſi cædes, ac vaſtitas, & clariſſimarum urbium flamma?

Longe nobilius eſt barbaras nationes aggregari Chriſto.

At quanto meliores illi Principes qui ſe ingenti animo ad grandes & longinquas accinxerunt expeditiones, nō ambitione cœca tumidi, non ſpoliis inhiantes, ſed ardentiſſimo Chriſti amore incenſi, quem nova ſobole amplificare, novis honoribus augere deſtinarant, & conſtantiſſimè fecerunt.

Quàm iſtud laborioſum & generoſum.

Inde prima generoſitatis laus eſt quod ex zelo naſcitur, qui eſt ardentiſſimus amor circa bonum Dei, & eminentiſſima omnium charitas. Deinde iſti apparatus magnis impenſis magnis laboribus fiunt. Quicquid in regia fortuna ſplendidum, quicquid in vita jucundum, deſeritur euntibus per immanium juga montium, modò per rapidum, modò per pigrum mare, per noctes inſomnes, & interceptos tenebris dies, per fœdas tempeſtates, & famoſa naufragiis ſaxa, per tela & ignes frementium undique barbarorum. Adde quod per tot aſpera quæritur mortalium ſalus & æternitas. O divinos mores, & prioribus intactas ſæculis laudes!

Principes magni & pii hoc zelo arſere.

Fuit hic in Carolo magno acerrimæ mentis vigor, dum Saracenos & Saxones bello peteret. Fuit in Alphonſis & Ferdinandis dum Mauros debellarent. Sed omnia ſæculorum prodigia vicit expeditio Godefridi Bulionii, cùm acri Urbani Pontificis oratione duces inflammati, & perſonante clariſſima ſacri belli tuba Petro eremita, trecenta ſtatim hominum millia ſacro furore inſtincta traxere per immenſum pelagus. Vicerunt opera Gigantum & fractâ Sultanorum potentiâ, orientem perdomuere, ereptâ de faucibus Sarracenorum Hieroſolyma. Non idem in poſteris impetus, nec animi pares. Refloruit in Ludovico ſancto cæleſtis ardor, Africano bello quamvis infæliciter geſto.

Anno 1046.

Nimis delicati ſunt, qui magnatum men-

Digitized by Google

In pleriſque virtus ſucceſſu caruit, nec tamen minor fuit, quia mercenaria non fuit.

mentium præmia, trophæa & victorias indeclinabili ſorte conſtituunt, & Deo iraſcuntur, quod precibus non ematur, & donis, nec fortes ſuos velit eſſe mercenarios. Neſciunt nullam aliam eſſe fortunam virtutis quàm ipſam virtutem, non omnia dari ſimulè cælo mortalibus. Qui bonam mentem habet, qui ſanctitatem, tenet cũcta quę pretioſiſſima apud ſuperos habentur. Nec forte unquam fuiſſet inter ſanctos Ludovicus, niſi aliquando habitus inter infortunatos. Ipſa bonorum fœlicitas innocentia eſt. Ipſa magnitudo per tot victas acies ſtare invictum.

Ludovici ſancti magnitudo.

Qualem & quantum, ô Cælites, ſpectãdum habuiſtis, cum regni delicias fugeret Rex ſanctus, per horrentes ſcopulos, & in hoſpitas ſedes barbarorum, cum cinctus filiis iret per immenſa maria, cum tranaret armatus & pedes minaces fluvios, cum amiſſo exercitu, amiſſa libertate ferret impavidus feros Sarracenorum vultus, & dum omnia ſævi turbines quaterent, portum haberet in pectore: Stetit in hoc aſpectu tota cæli militia, cum poſt repetitam denuo infælicem illam expeditionem peſte quæ caſtra infecerat, cor..ptus, inter duriſſimam ſortem & optimam conſcientiam poſitus. æger ipſe ad ægros reptabat, ſolabatur, erigebat, de ſuo ſecurus, de omnibus ſollicitus, totam vim acerbioris fortunæ miti patientia temperabat. Supra omnem calamitatis molem inferebat ſe cælo virtutis altiſſimæ ornamentis conſpicuus. Num hoc longe divinius quam ſi Hieroſolymi muros tûrreſque Sultanorum liliata undique vexilla cinxiſſent.

Nec tamẽ temere arma in longinquas nationes movẽda.

Omnia ſanctorum facta venerari potius quam ſiniſtrè interpretari decet. Nemo tamen prudens ſuaſerit principi hoc præſertim tempore arma in Saracenos temerario quodam impetu movere, quia & deſerti factiones regni, & vicinorum timenda eſt inſidioſa ſemper ambitio. Deinde magnum damnum eſt inconſulta expeditio, quæ fœdam dedecoris maculam noſtris rebus aſpergit, & immanem hoſtium arrogantiam irritat. Nunquam niſi communibus Chriſtianorum auſpiciis, & provida rerum omnium deſtinatione hæc bella ſuſcipienda ſunt: Cùm ferus ille ardor qui nos in mutua agit vulnera, per fratrum cædes, per vaſtos agros, & relucentes flammis urbes, Dei quæ quotidie expectatur manus, planè ſopitus atque extinctus fuerit, audere tum præſtabit.

Novi nũc orbes ultro aperti.

Interim providentia novos orbes in extremis orientis occidentiſque finibus, per Luſitanos atque Hiſpanos, & nunc etiam per Francos aperuit. grande opus & humanæ antea intentatum experientiæ, Oceani clauſtra revellere, & ire per inagitatas mortalibus remis vaſtitates. Sed abominandum hoc fuit quod plerique ex Hiſpanis contra jus, & fas, contra ſuorum principum mentem, prædones lacerati orbis potius quam adjutores fuere. Agebat eos auri ſacrã fames, & dira margaritarum ſitis. Religio per ſpeciem fuit, & inane crucis nomen. Hinc devictarum inaudita ſæculis oppreſſio gentium, rapinæ totius Oceani, & miſerorum etiam Regum carnificina. In melius poſtea conſultum à Regibus, & fides aucta mirabili incremento. His bellis, his artibus Chriſtiana pietas ſurgit. & intaminata laude trophæa conſecrantur.

Hiſpanorum quorundam apud Indos avaritia religioni lethifera.

En ſe nobis Canadenſes offerunt, ubi triſte cælum & vaſta regio horrentes ſcopuli, ſylvæ immanes, candidi pene æternis nivibus montes, & glacie rigentes fluvii, gens non tantùm aſpera, ſed ſordida. Nulla hîc avaritiæ, nulla libidinis, & luxus irritamenta. Ubique labor, & penuria, ubique inaudita feritate barbari, & triſtes hominum carnificinæ. Eunt tamen è noſtra

Expeditio in Canadenſes.

gente

gente non tantùm viri, ſed molles fœminæ, ſolo Chriſti deſiderio, & de ſola Chriſti gloria laborantes.

Dum hæc meditor, dũ hæc ſcribo, ecce (lugubres dicam, an triumphales) afferuntur literæ nunciantes tres è Patribus noſtris, Antonium Danielem, Joannem Brebeutium & Gabrielem Alemannum, profudiſſe Chriſto victrices animas ab immani Hiroquiorum gente trucidatos. Primus dum tingit,, dum abſoluit, dum gregem ſuum regit, & hortatur, dum ſolus contra aciem Barbarorum pergit intrepidus, telis undique transfixus occubuit. Alter conſummatiſſimæ virtutis, & Dei ſignifer in hac gente veteranus, lacerato undique corpore, lentis ignibus tres horas toſtus. Tertius pari ſupplicio, nec impar animi robore novem impendit, prodigio & diuturnitate patiendi, aut numquam, aut rarò tot ſæculis uſitata. O fortiſſima pectora, & capaces cæli animos, qui ſuper occaſum aſcendere, in ortum gloriæ quæ nulla ætate poterit occidere! Hîc regio cenſu, hîc regia manu opus eſt, ut agreſtis dedoletur mundus, in & domini hæreditatem cedat. Nil fetalia arma, nil immites triumphi habent cum hac laude comparandum.

DISSERTATIO Trigesimatertia.

De Juſtitia, & ejus prima functione in legibus ſanciendis & ſervandis.

In illa verba de Ezechia. *Fecitque mandata quæ præceperat Dominus Moyſi.* 4. Reg. 18. 6.

Satis nos diu regia pietas detinuit, nũc juſtitiæ quæ maxime popularis virtus eſt vim functioneſque videamus. Præclarè Numenius Stoicus dixit *Regem eſſe opus Dei, legẽ Regis, legis juſtitiã juſtitiæ felicitatẽ.* Inde poſt pietatem regna ſtant & vigent, inde propagantur. Nec immeritò dixit Polybius optabilem illum eſſe principatum & firmum, in quo & privatim ſanctè atque innoxiè vivitur, & publicè juſtitia ac clementia vigorem ſuum obtinent. *Numenii Dictum notabile.* *Qui principatus optimus.*

Miramur terram in medio mundi tam vaſta mole & tot ſæculis volventibus cõſiſtere: Hoc ponderis æquabilitas facit. Miramur regna in hoc humanarum rerũ lubrico, tot annos ſæpè numerare. præſtat hoc juſtitia, ſuum cuique reddens, & ex æquo omnia diſpenſans, ubi cœpit in imperio gravi corruptione labefactari, & lues per omnia membra ſerpere, nullis aut fruſtrà opitulantibus remediis, proximam imminere ruinam, omnes qui modò aliquid ſapiunt facilè judicant. *Juſtitiæ vis.*

Quamobrem acri & indefeſſo ſtudio invigilare principes debent, ut juſtè ſanctèque omnia in regno adminiſtrentur & ipſi exemplo præluceant, quibus convenit eſſe innocentiæ templa, araſque juſtitiæ. *Nil in ſuis penatibus venale habeant, Nihil ambitioni atque avaritiæ pervium, omnia favori & potentium libidini clauſa.* *Caſſiod. lib. 4. ep. 12.* *Cura.*

Jaſon ille antiquus in privatis violandã ſæpe juſtitiam eſſe dictitabat, quo melius ſtaret in publico. Contra faciunt tyranni multi, & verſuti, qui (ut ait Ariſtoteles) poſtquam per vim & dolum rapuerunt imperia, demulcere populos ſtudent, ſpeciem æquitatis obtendentes in minimis, qui maxima quæque peſſumdedere. Nihil in utroque optimo Principi licet, cujus partes ſunt omnibus privatim & publicè jura reddere. *Plut. in tract. de gerenda Rep.* *Jaſonis vox inſcita.*

Prima illi circa leges Patriæ cura, quarum (ut ait Plato) cuſtos & interpres eſt: Nihil autem prodeſſet extare legem in regno, *Legum zelus & obſervatio.*

Rex legis interpres & cuſtos.

regno,niſi datus à Deo Rex aut magiſtratus,qui diſcerneret quid in quaque re deceret,& omnium circunſtantiarum æquabili temperie omnia moderaretur.Ex quo ſatis conſtat juſtitiæ ducem & lumen eſſe legem,quæ ut ait Pindarus. *Regina eſt non modo hominum, ſed ipſorum quoque Deorum immortalium.*

Prima lex Plat.l. 1.de leg.

Alluſit,opinor,ad primam & æternam legem, quam Plato cæterarum legum animam, & mentem vocat. Optimè ſanctus Thomas oſtendit eſſe in rerum omnium ordine quoddam ſummū, ad quod cætera omnia referuntur, ut calida ad ignem, & lucida ad Solem. Pari omnino ratione quæcumque in commerciis humanis juſta ſunt,aut ſancta, ad ſupremam illam rationem pertinent quæ ab æterno viget in mente Dei. Hac omnia quæ divinæ Providentiæ ſubjacent, reguntur,ordinantur, & quæ ſibi propria ſunt explicant Hęc natare piſces,volare aves docet, nidos ſtruere, ſobolem procreare & alere.Hæc boves ad juga,equos vocat ad fręna : per hanc omnes animantes artifices naſcuntur.

Ex prima lege jus gentium juſque civile derivantur.

Atqui præſtantiſſimus eſt homo, & in partem legis æternæ excellentiori modo quàm cætera,Dei vultu & lumine nō tantum illuſtratus,ſed ſignatus, ex legis illius naturalis communibus, & inconcuſſæ veritatis principiis ſingularia quędam diſponit,unde jus gentium,& jus civile, è quo populo cuique tam varię leges,ſæpe etiam contrariæ. Fuit illud tempus cum legum penuria reſpublicæ laborarent, & aliæ è remotis regionibus accerſerent, aliæ ſibi Philoſophos, & legislatores aſciſcerent, qui rudes hominum cœtus paulatim ſapientia conformarent.

Legum penuria aliquando laboratū, nūc copia.

Nunc in tanta ſcriptorum ac exemplorum luce verſamur,ut nihil opus ſit per arduos labores quærere, quibus inſtitutis ad virtutem & fælicitatem componi imperia maximè Chriſtiana poſſint. Nam non tantùm regnis,ſed provinciis ſua cura, ſuæ conſuetudines ſtant, tāta plerumque multitudine,& tam confuſa, ut contingat ſæpe multis,nunc legibus,ſicut olim flagitiis laborare. Benè Tacitus notat corruptiſſima Republica plurimas leges fieri, nam ubi prima illa ratio divinæ mentis in pravis atque ſtupidis pectoribus obſoleſcit, infinita emergunt vitia, quibus dum per crebra & minuta ſtatuta,incaſſum ſeduli occurrimus,contemnendę potius materiam auctoritatis damus,quam emendandæ vitæ. Melius per exempla ſuccurritur, quæ gloriosiùs imperant, & efficaciùs animos regunt. *Rectè facere* (ait Vellejus) *ſi Princeps cives ſuos faciendo docet.* Hæc enim conditio ut quicquid faciat præcipere videatur. Obſequium autem erga imperantem, & æmulandi ardor validiora quam minæ qualibet & pœnæ.

Corrupta Republica nō expedit multas leges fieri.

Vellejus. Exemplū regnantis plurimū prodeſt.

At verò quando & ſcriptis legibus opus eſt, dum ſe mortalium virtus immortalis ſurripit oculis, præſtat imprimis antiqua majorum ſtatuta,quę morum honeſtatem & populorum tranquillitatem amplectūtur,inflexibili conſtantia tueri. *Super omnibus negotiis*,ait Quintilianus, *melius atque rectius olim proviſum, & quæ convertuntur,in deterius mutantur.*

Statuta majorum conſideranda.

Ideò in minimis quoque rebus antiquæ conſuetudinis monumenta ſervanda periti gubernandi cenſent Etiam quæ minus idonea videntur ſtant majeſtate antiquitatis, toleranda potius quàm movenda, ut Thucydides cenſet, quia moveri detrimentum habet communis ſalutis. Periculoſa ſæpe mutatio etiam in melius eſt, levibus inde ingeniis poteſtas datur bona mutandi. Si quid tamen nocet priſcus rigor,& nimia ſeveritas, ſi quid neceſſariò reformandum, fiat leviter,gradatim,& lente,

Antiquitas laudata.

Mutatio periculoſa.

Digitized by Google

lente, ut minimo ſonitu orbis ille in Republica convertatur. Leges novę nec multæ, nec frequenter ferendæ, turbant nonnunquam etiam bonæ, dum animos multitudine confundunt.

Cicero ad Attic. *Legum multitudo noxia.*

Habet hoc omnis lex ut bona ſit, *Eſt enim ordinatio quædam rationis* (ut ait S. Thomas) *ad bonũ commune ab eo qui curã communitatis habet promulgata.* Si ab iſto fine deflectit, lex eſſe deſinit, injuſta tantum juſſio eſt. Subeunda quidem ſubditis qui in voluntates Principum jurant, modò nihil contra Dei mandata jubeat, ſed tamẽ ægrè accipitur quicquid per vim irrumpit. Durum eſt iniquitatem pati, ſed multo durius cum per æquitatis ſpeciem, & ſacrum legis nomen nos invadit. Contra ſe primus ſtatuit, qui contra jus aliquid edicit. Tranſit hoc mortalium forum, & nos in aliud evocat, in quo Regum & ſubditorũ cauſſæ diſcutiuntur à ſupremo judice, quẽ nec ulla vis cogit, nec favor allicit. Is eſt qui apud Sapientem clamat. *Diligite juſtitiam qui judicatis terram. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur, quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non rectè judicaſtis, nec cuſtodiſtis legem juſtitiæ. Horrende & cito apparebit vobis quoniam duriſſimum judicium his qui præſunt fiet.*

S. Tho. 1. 2. q. 90. lex quid. *Cavendũ à legibus injuſtis.* *Sap. 1. 1. & 6. 2.*

Cavendum porro ut quæ ad publicam utilitatem conſtituta fuerint, impigrè obſerventur. Nihil æquè prodit imbecillitatem imperii quàm legum multiplicitas, & raritas obſervantium. Miſerum cùm illas Anacharſidis telas validiora quæque animalia irrumpunt, minuta tantum hærent, quaſi pauperibus ſolis lex ſit neceſſaria, quos res arctę ſatis domant, divitibus omnia per arrogantiam & libidinem temerantibus. Sic ſupervacaneæ, & magnę plerumque tranſgredientibus in re levi ſtatuuntur pœnæ, ut nullæ eſſe incipiant cum feruntur, graviſſimè omnibus jugi impatientia, adverſus rectores tumultuantibus. Quæ ſcelera prohibent cunctos ſtringunt, quæ vitæ officia decernunt, in tanta hominum diſparitate diſpares quoque debent eſſe, ne ferocibus & imperitis (ut ait Plato) ſint ſimiles, qui nullum faciunt in conſuetudine hominum tractandi diſcrimen: non eſſent omnia, ſi omnia eſſent æqualia.

Obſervationi legũ præcipuè invigilandum. *Aug. l. 83. q. q. 41.*

Dissertatio Trigesima quarta.

De Juſtitia Principis erga ſubditos.

In illa verba Samuelis. *Loquimi de me coram Domino, & coram Chriſto ejus, ſi oppreſſi aliquem.* 1. Reg. 12 3.

Grande arcanũ imperii, ſi ſciat Princeps imperare ſe hominibus, idque ex lege, nec diu: Similitudo modeſtiam, jus æquitatem, temporis brevitas prudentiam ſuadebit. Æſtimare homo hominem debet, nec ullus mortalium ad pecudum conditionem eſt abjiciendus. Peſtilentiſſimo afflatu Principum aures inficiunt, qui omnia illis licere prædicant. Solis illis, cælum volvi, parturire terras, fluere maria, datos eſſe in ſervitium, & prædam cæteros, quorum vitam & fortunas omnes referre ad ſuas utilitates poſſint. Non eſt hoc regnum aſtruere, ſed evertere: Non eſt hoc Regem, non eſt Chriſtianum agere, imo nec hominem. Nemo in terris Dominus planè abſolutus, quia nemo inter homines Deus.

Arcanũ imperii moderati. *Regia poteſtas quæ?*

Hoc dominium eſt cùm quis poteſtatem habet aliquid in proprium uſum aſſumendi,

Quo modo datur homo homini.

mendi, aut etiam abſumendi, prout voluerit, & quando voluerit, nullam ulli de hac re redditurus rationem, quia nec ulli obnoxius eſt. Non eſt ita datus homo homini, ut pro libidine perdi poſſit ab homine. Non ita datus eſt ut plantæ brutis, ut homini bruta. Quid eſt Rex (ait Plato) niſi paſtor, & nutritius humani gregis? Dati ſunt illi tot à Deo mortales, imo commiſſi non ut juguler, non ut diſſiper, ſed ut alat & paſcat, ut ſummo patrifamilias omnes annumeret.

Plat. in Politic.

Poteſtas Regum in ſubditos non eſt de jure naturæ.

Quærunt Theologi, an poteſtas Regum in ſubditos, ſit de jure naturæ? Atque inter eos Durandus de origine juriſdictionum, & Driedo de libertate Chriſtiana, cenſent non eſſe. Nam quod homo animal ſociale, & politicum, ubi in ſocietatem convenerit, regatur à ſuperiori poteſtate, tanquam in radice conſtituta, iſtud quidem ad legem naturalem attinet. At verò quod illa populorum univerſitas, vel plures ſibi magiſtratus, vel unum Principem eligat, qui ſparſam in omnibus in ſe uniat atque repræſentet majeſtatem, hoc de jure humano eſt. Itaque & qui à populo olim aſſumpti, & qui ab aſſumptis nati, & ſi à Deo ſint, cui jure omnis poteſtas tribuitur, non tamen immediatè ſunt. Sed cum Deus hanc Reipublicæ poteſtatem initio dederit, ut ſibi civilem Magiſtratum deligeret prout vellet, expedireque judicaret, fuit poſtea munus ipſius, pro arbitrio ſibi optare unum, aut plures, quibus authoritatis ſuæ vim tribueret & modum. Sic poteſtas Summi Pontificis inconcuſſe à Deo, delectus ab Eccleſia.

Molin. de juſt. & jure.

Quomodo uti poteſtate Rex debeat.

Quamobrem cum primum Reges à populis delecti fuerint, & ea conditione accepti, non ut ſervilem in modum eos haberent, ſed ut diſpenſatores eſſent publicæ poteſtatis, protegendo, jura reddendo, gubernando, in communem omnium utilitatem, qui ab iis orti in eorum jura ſuccedunt, non aliam habent in ſuos quam juvandi licentiam, ut lex antiquitatis progenitoribus conceſſit. Nec immeritò Ariſtoteles regium imperium comparat cum paterno, innuens Regem eſſe patrem populorum, qui cives ſuos, quaſi liberos ex ipſorum commodis regat, non quaſi ſervis ad ſuæ tantum familiæ bonum utatur.

Quod ſi violentus (ut ſæpe fit) & ſævus extra conſtitutos feratur limites, non tantum in ſummum numen graviſſime peccat, ſed in homines quoque injuſtus eſt, quibus contra fas & fundatiſſimas patriæ leges abutitur. Nemo tamen temere populis ſuaſerit abdicationem, quia cùm plena ſit violentarum artium, tumultus, & ſanguinis, ſæpè tentat remedia morbis omnibus deteriora, & rem dum tuetur, evertit.

Rex injuſtus & violentus non ideo à populis abdicandus.

Longe melius eſt quod ait ſcriptura *ſalutare Dei* tranquillo & miti animo expectare, quàm labefactata jam regna ſeditionibus convellere. *Hac eſt patientia & fides ſanctorum.* Sed fortaſſe cuipiam videbitur quod de poteſtate regia dictum eſt, nimis ſtrictum eſſe, atque auſterum, cũ omnia longè pleniora lex ipſa divina largiatur. Nam Regum ſecundo, Samuel, Deo jubente, conteſtatur populum, & ait, *hoc erit jus Regis qui imperaturus eſt vobis, filios veſtros tollet & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum, & eorum conſtituet ſibi centuriones, & tribunos, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum & curruum ſuorum, filias quoq; veſtras faciet ſibi unguentarias & focarias, & panificas. Agros quoque veſtros, & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis* Sed quis non videt iſta ad deterrendum à dominatu regio populum, à Samuele dicta, non

Gen. 49. 18.

Apoc. 13. 11.

Ius Regis juxta Samuelem ut intelligendũ.

1. Reg 8. 11 & ſequent.

Locus ille plenius à

Digitized by Google

non quaſi jus Regis ex deſtinato præſcribente, imo monente quid uſurpatores facere ſoleant, ut metu regni futuri, tædium præſentis levaret.

me explicatus quæſtione quinta partis 2.

Horrendum certè fuit Judaicis populis, quod non niſi irato Deo, rex illis primum datus. Multùm vero abeſt, ut conditiones illas in regnantibus probet, qui ſe inconſulto, atque etiam abjecto, in pœnā pervicaciæ hæc illis eventura prædicat. Certè ſi conceſſum regibus fuiſſet, ſubditorum agros, jumenta, liberos, pro arbitrio uſurpare, cur pro unius Nabuthi vinea quam Rex Achab juſto ſibi pretio comparare deſtinabat, tot fuiſſent jurgia tot querelæ? Si uſurpantis jus fuit, peccatum penes reluctantem, quod certè nemo dixerit.

Eſt igitur juſtitia regis in ſubditos conſtituta, qua remota, quid ſunt regna, inquit ſanctus Auguſtinus, niſi magna latrocinia? Nec tantum illi peccant qui à liberis olim populis electi, aut qui transfuſam ab iſtis poteſtatem habent, ſi eam per vim & rapinas exerceant, ſed ipſi quoque qui ferro ſe quæſiviſſe regna gloriantur, injuſti ſunt niſi jus belli æquiſſimum habuerint, & ſubjugatis moderatè tanquam Chriſtia-ſtianis utantur.

Quid populi Regibus debeant.

Nunc autem quid populi Regibus, quid Reges populis debeant, non abs re fuerit plenius conſiderare. Jubent Apoſtoli in ipſis naſcentis Eccleſiæ primordiis etiā impiis & ſceleratis imperatoribus honorem impendi, obſequia præſtari, tributa reddi. *Deum timete, Regem honorificate. Servi ſubditi eſtote in omni timore dominis veſtris, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis; ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam: ideo enim & tributa præſtatis. Miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſervientes. Reddite ergo omnibus debita? Cui tributum, tributum; Cui vectigal, vectigal: Cui timorem, timorem: Cui honorem, honorem* Hęc ſincera mente, prompto etiam atque benevolo pectore reddere ſubditorum munus eſt.

1. Petri 2.
Rom. 13. 7

Officium Regis erga ſubditos.

Ad Regem autem pertinet tueri cives ſuos, & paterna charitate amplecti, ſuis vigiliis eorum munire ſomnos, ſuis conſiliis tranquillitatem, ſuis armis, pacem quærere. Jus omnibus reddere, in pietate, in morum honeſtate, in functionum omnium libertate quaſi materno ſinu omnes fovere. Cleri cœleſtes in precibus excubias, nobilium decus, Judicum auctoritatem, literatorum otia, agreſtium labores, Mercatorum ſedulitatem, omnium honeſte negotiantium induſtrias ſua Majeſtate defendere.

Cur Reges in Clypeis dum inaugurarentur delati.

Olim in Clypeis Reges dum inaugurarentur ſedêre, quo intelligerent, ſe clypeos eſſe populorum, adverſus omnia dura, & aſpeta, invicto robore objiciendos. Inde etiam portant orbem (ut ait ſanctus Baſilius Seleuciæ Epiſcopus) non portantur ab orbe. Hoc intelligebat Moyſes cum tot ærumnis & intractabilis populi moroſitate preſſus diceret Deo, C*ur afflixiſti ſervum tuum? Quare non invenio gratiam coram te? Cur impoſuiſti pondus univerſi populi hujus ſuper me? Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi, porta eam in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum?* Hoc Chriſtus ſuo exemplo docuit, de quo Iſaias ait, *judicabit in juſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ.* Inde Reges Francorum in tremendis illis ſuæ inaugurationis ſacris, promittunt in Chriſti nomine, *veram pacem & juſtitiam. Omnes rapacitates, omnes iniquitates, in omnibus gradibus à ſe interdicendas. Jus in æquitate & juſtitia reddendum, & hæreticos omnes ab Eccleſia denotatos, pro viribus de regno*

Portant orbem.
Num. 11. 11.
Moſis de Rege ſenſus.
Iſa. 11. 4.
Regū Galliæ ſacramentum.

ſuo,bona fide exterminandos. Tantum abſunt à faſtu & ſævitia multorum Principum,mira ſuavitate gubernandi, ut liceat populo ſæpe cum dominis quaſi æquo jure certare. Nam & Carolus ſeptimus cæduam quam juxta Lutetiam habebat ſylvam populo vindicari decernentibus iта judicibus ultro & lubenter paſſus eſt,eo tempore quo Philippus dux Mediolani elementa ſuis popularibus vendebat.

Officia Regu.

Navarrus in Enchiridio

Regum munia à Navarro diſtincte explicata.

Quæ cum & ita ſint graviter Reges peccant ſi ſubditis dura imperent atque injuſta. Si tributis grandibus atque inuſitatis, ſine vera neceſſitate gravent. Si juſtè poſſeſſa injuſtè adminiſtrent, omnia ad faſtum & delicias ſuamque utilitatem referentes;ſi per incuriam frumenta, victum, milites,& quæ regno neceſſaria ſunt, negligant Si partas ſudore mortalium divitias,per luſus & prodigalitatem effundant, quæ ad ſubita regni diſcrimina avertenda reſervari debent. Si arces ad tutelam imperii non muniant. Si vias & quæ commoditati publicæ inſerviunt reparare non curent. Si extremè egentibus, & opem ſuam implorantibus non ſubveniant. Si bona populi diripiant, & libertatem infringant Si ſuorum matrimonia ſine juſta ratione vel cogant,vel impediant;Si quos in famulitio habent à furto,rapinis,& dãnis inferendis non prohibeant. Nam ut ait ſanctus Ferrandus ad Reginum ducem, *Quid miſeros juvat ſi dux exhibeat continentiam,& alius ſibi de poteſtate illius occaſionem faciat avaritiæ ſatiandæ.*

Cavere debent ne cum ipſi ſint moderati, famulos perverſos habeant.

Denique non levibus criminibus conſtringuntur,ſi illicita quæque, ut uſuras, duella,ludos periculoſos, menſuras falſas injuſta pretia, pecuniæ adulteratores, & alia hujuſmodi ſcandala non ablegent. Si reos inauditos, atque indefenſos, de medio tolli jubeant. Si beneficiis,aut officiis poſſeſſores,per vim, aut artes ſubdolas privari curent, aut patiantur. Tot certè ſunt Regum munia,tot labores, tot catenæ,tot compedes, ut regia dignitas, intelligenti cuique Regi & noviſſima reputanti, horrori potius quam amori eſſe debeat.

Quæ prohibere debeant.

DISSERTATIO
TRIGESIMA QUINTA.

De Foro & Judiciis.

In illa verba de Ezechia. *Conſtituitque Principes terræ in cunctis civitatibus Juda,munitis per ſingula loca.* 2. Paral. 19.6.

Judiciorum neceſſitas.

SED præcipua juſtitiæ vis, atque utilitas fulget in dirimendis popularium litibus atque controverſiis. Campus hic frequens&magnus,nec benigna ſemper materia. Bene cum rebus humanis ageretur;ſi pacata inter cives omnia eſſe, & ſtare diu poſſent.Sed dum miſeram mortalium vitam cupiditas inflammat,rapit ira, præcipitat ambitio,avaritia diſcerpit,neceſſe eſt oriri multa quotidie diſſidia, inter opprimentum ſævitiam, & gemitus oppreſſorum,quibus juſtitia principis providere ſalutaribus remediis debet.

Regium & divinum judicere.

Hoc planè regium, hoc divinum eſt,amici more ſideris luſtrare univerſa, & obſtare improborum iniquitati atque audaciæ, occurrere ſolitudini deſertorum, dare afflictis opem,lucem ambiguis, ordinẽ omnibus. Hoc Moyſes innumerabilium dux populorum à Deo conſtitutus, improbo labore ſolus & ipſe fecit, donec Soceri conſilio vicarios ſibi delegaret. His auſpiciis Salomon naſcentis regni primordia conſecravit;His Debora virili pectore fœmina principatum coronavit. Multi quoque Imperatores conſtantiſſimè

Inde Reges incly ti & venerandi.

mè jus dixerunt, & qui cæterorum ingenia regendi artibus vicit Tiberius ad prætoria ſedit aſſiduus. Fuit quoque illud aureum in Gallia tempus, cum Ludovicus nonus ſancti nomine clarior, judicaret populos ſub ulmo, miti juſtitia necdum tot tricis implexa. Nunc fora, & curiæ vigent honorifico ſenatorum conſeſſu, & præcipuo fulgore. *Fictilibus crevere Deis hæc aurea templa,* (ait ille) ſed innoxiùs olim apud fictiles Deos jurabatur, cum omnia minore pompa, meliori conſcientia gererentur.

Lites plaga Ægyptia.

Grandis calamitas nimia litigandi peritia in orbem noſtrum invecta eſt, quæ victorem armis populum minutiſſimis cavillationibus domat. Hanc locuſtarũ plagam quis dicat ex abyſſi puteo iris cæleſtibus emerſam, quæ quicquid eſt lætum & opimum in fortuna, in mente generoſum, fatali tabe corrumpat. Timendum, ne ſæculum noſtrum notent illa ſancti Cypriani verba. *Illuc autem tuam flecte, plura illic quæ deteſteris invenies, magis oculos tuos inde divertes. Inciſa ſunt leges duodecim tabulis, & publico ære præfixo jura præſcripta ſunt. Inter leges ipſas delinquitur, inter jura peccatur. Sævit invicem diſcordantiũ rabies, & inter togas pace rupta forum litibus mugit inſanum. Quis interim hic ſubveniat? Patronus? ſed prævaricatur & decipit. Judex? ſed ſententiam vendit; qui ſedet crimina judicaturus admittit. flagrãt ubique delicta, & paſſim multiformi genere peccãdi per improbas mẽtes virus operatur.*

Cyprianus Ep. lib. 2. 1.

Corruptio juſtitiæ à S. Cypriano deſcripta epiſt. 2. ad Donatum.

Reſtant adhuc in foro & judiciis viri fortes & omni laude digni.

Abſit hæc à noſtris temporibus macula, ut juſtitiam aut proditam, aut omnino deſertam æſtimemus. Habet ubiq; providentia viros acri ingenio, & generoſa mẽte præditos, qui fugientem Aſtræam detineant in terris, & labantem patriam ſuis humeris ſuſtentent. Sed negari non poteſt ægram & debilem eſſe hanc imperii partem, & dignam in quam præcipuas curas Rex impendat. Audiat imprimis Dei conſilium, ſeu potius oraculum Moyſem alloquentis. *Provide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam, & cõſtitue ex eis Tribunos & Centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui judicent populum omni tempore. Quicquid autem majus fuerit, referant ad te.*

Exod. 18. v. 21.

Quomodo providere juſtitiæ Rex debeat.

Theologi qui accuratiùs de Principis officio diſſerunt, has illi partes injungunt. Primum ut norit Judicum & adminiſtrorum quos rebus agendis committit mores, & habilitatem, nec ullum patiatur in dignitate aut majoris cujuſpiam momenti officio, cujus non ſit perſpecta probitas & peritia. Deinde ut excubet animo, & diligentiſſimè proſpiciat an omnes ſuo munere fungantur, an corrumpantur muneribus? An cauſas extrahant? An pauperes opprimant? Diſſoluta negligentia propè dolus eſt jus non tantum reddi; ſed cito præſtat. Pendentibus lis, & vita ſupplicium eſt, nec grata quæ exhauſtis venit victoria. Tertiò ut ſubditorum etiam preces & quæremonias benigne audiat libellos ſupplices excipiat, iiſque mature reſpondeat.

Leſſ. de ſum bono lib. 1.

Functiones Principis.

Principium ergo conſtituendæ juſtitiæ à delectu Judicum eſt, quod in ancipiti loco hic poſuit officiorum venalitas: Ingens malum, & hoc gravius quod putatur neceſſarium. Non expectat remedia, ſed averſatur, omnia interire multi putant ſi ſanentur. Audias flebiles orantium quærimonias, ſe poſt exactam in regio miniſterio vitam, poſt tot forenſium annorum curricula inopiæ ac ſolitudini liberos relinquere, niſi officia tranſeant in patrimonia. Melius inde provideri Reipublicæ, ſi bene nummatis pateant bonorum aditus, quos corruptelis cenſus ipſe ſubtrahit.

Venalitas officiorum an probanda.

Rationes pro venalitate.

trahit. Inde fidos Regi Conſiliarios non fieri,ſed naſci.Inde fidem patrum obſtringi,inde filiorum induſtriam excitari. Denique quod omnium inſtar eſt, magnos inde fiſco proventus accedere, offerri ultrò pecunias,faciles,& liquidas, tot bellis, tot impenſis apprimè neceſſarias. Si hæc ſubſidia ſubtrahantur, everti regni negotia,ſeſſuros inter lilia quos gratioſi cujuſque aulici favor provexerit: Inde tot clientes,& fortunam ſtruere meditantes. Laborabunt ſubſellia tot heroum, cum in curiam venerint inopes,& ſordidi, quos jejuna tantum virtutis & literarum commendatio conſcripſerit.

Contra venalitatem.

Hæc & ſimilia jactantur à non imperitis,quæ ſi non planè ſperni, refelli tamen poſſunt. Nam quod cenſum & opulentiã ad integritatem judiciorum magni facere æſtimant,quis neſcit ex Platone,& Ariſtotele,per mediocres opibus omnia melius in civitate conſtare? Longè enim moderatiores ſunt eorum cupiditates, nec immanis illa pecunioſiſſimorum hominum ambitio,qui quò plus habent, plus in dies concupiſcunt.irritatâ per materiæ ſtruem flammâ. *Multi quod ait Salvianus, ut divitus excellunt,ſic vitiis quibus pabula de pecunjis ſuggeruntur.* Qui ſemel mediocritatis trãſiliere fines,eunt in omnia ſumma nec ullum deſideriis modum ponunt, & fiunt tandem ſordidiſſimi qui omnium cupidiſſimi ſunt.

Qui juſtitiæ præfecturâ digni.

Nemo dixerit conquirendos undique egentes,& famelicos, quos juri dicendo Rex præficiat. In promptu ſunt tot honeſto loco viri,nec fortunâ inopes, nec inſanis opibus locupletes,probi,periti, induſtrii, longa rerum notitiâ limati,& integerrima virtutis fama noti. Quis iſtis anteponat juvenes ambiguos, imperitos rerum, quos certa honorum ſpes in deſperationem bonarum rerum adduxit? ſtupentes & marcidos,jocis & laſciviæ natos, quos fatalis opulentiæ luxus eliſit, & ſocordia proſtravit? Nemo medicorum filiis vitam & ſalutem credit, niſi ipſi patrum artem ſolerti curâ didicerint: Quis famam,quis fortunas civium,quis ſanguinem putet rectè in iis manibus collocari, quę ſæpe melius tractare teſſeras,quam judiciorum habenas didicere? Certè ſi qui naviter optimorum parentum veſtigiis inſiſtunt,& ſunt muneribus quibus deſtinantur pares,adeant intrepidè dignitates, non pecunia,ſed virtute,nemo negat, omnes favent. At ſi ipſi degeneres, & improbi,quantò meliùs & glorioſiùs, ſi non ab aulicis; ſed à pleno Senatorum conſeſſu Regi offeruntur, qui vacua Judicum ſubſellia repleant. Nihil hic ſors agitat, ſemper mobilis,ſemper incerta; Nihil hic caſus præcipitat ſua natura cæcus: Omnia conſiliis, omnia meritis cõmittuntur.

Senatorũ filii qui bonorum Parentũ veſtigiis inſiſtunt, omnino promovendi.

Ad eam quæ de fiſco objicitur rationẽ reſponſio.

Tota res jam in fiſco vertitur,qui rationes fere omnes cum pecuniis abſorbet. Sed ubi mens Patrum? ubi tot laureæ? ubi tot purpuræ? ſi omnia fiſco metimur, ſi Rempublicam opulentam volumus, honeſtam nolumus? An cæcus in rebus humanis Ariſtoteles, qui regno conſtituendo nihil anteponendum honeſtati cenſet? Pecunia commune omnium bonum eſt, quo ſæpius improbi gaudent,quæ imperia toties evertit,raro conſtituit,hanc ſi menti,quæ omnia videt, ſi conſcientiæ, quæ cuncta diſcernit, ſtatuimus præponere, quid aliud facerent quæ in aurifodinis formicæ habitant, & cuſtodes auri Scytharum gryphes ſi regnarent? Iraſcimur iis qui aërem,qui aquam vendunt, hos ſordidos,& deteſtabiles omnis hiſtoria omnis hominum memoria proſcribit. At illi de re vili,& brutis etiam communi quæſtum faciũt, nos cæleſtium civem,& Deam hominum

Megaſthenes.

Digitized by Google

minum juſtitiam fere præconis voce ſubjicimus dum judiciis, officiis, pretium imponitur, dum ſolvitur, dum pro iis certatur non majeſtate virtutum, ſed mole pecuniarum.

Peſſimi à venalitate mores & exitus. Inde ad ſummos honores aditus non ſolùm imperitis, ſed ſordidis, ſed pravis. Honorantur marſupia, & crimina conſecrantur. Inde purpura quam ajunt non niſi ſacris manibus tingi, flagitioſos humeros tegit. Inde avidi & rapaces in omnium patrimonia involant, & jus vocant quicquid præda eſt. Laborat ſub hoc iniquitatis faſce populus, boni omnes queruntur, virtutes lugent, ipſa denique mœrent lilia. Non eſt hoc rem augere ſed perdere, dum fiſci quæ putatur opulentia, fit omnium calamitas. Inde fœda officiorum & negotiantium multiplicitas, & jam tot circa unum litigantis caput circumvolantes harpiæ, & tot tumultuantes Dii? Juſtitiam qui vendit, docet ipſe vendere. Quis tam frugi ut eam emat non venditurus? Terreat bonos tam grandis pro levi purpura nummus, tot munera, tot onera. Quis pecuniam lubens dederit niſi ut cum fænore recipiat? Et unde niſi per cladem populi, & tot miſerorum indignas ſpoliationes recepturus? Inde multi ſollicitantur ad furta, & jam rapiunt, quaſi imperetur, quaſi liceat, quaſi oporteat, & qui non fecerit, detrimentum patiatur. Inde poſtea familiarum labes, & caſus & ruinæ, regno per hæc non leviter concuſſo. Inde tot ſcelera, tot mala; nil imputemus aſtris, ſacrilegiis anni exareſcunt, & perit omnibus quod juſtitiæ detrahitur.

Exorere tandem, ô tot & tantis petita votis, exorere cælo divina pax, & hæc quæ ſobrii damnamus, quæ inviti patimur, ſi auferre non potes, moderare. Ubi venales deſierint eſſe judices, fient optimi, jubente conſcientia, ſtimulante ad inclytas majorum laudes gloria.

Sed interim providendum eſt Principi, ut tot integerrimi viri, qui tanquam filii Dei reſtant inter pravos, cùm optime velint, plurimum etiam poſſint. Præficiendi primariis dignitatibus ſinceri, fortes, induſtrii, diſſipandæ factiones pecuniæ, & favoris, quæ fere omnia faciunt & poſſunt. *Corruptela à foro & judiciis eliminanda.* Multos ſordes inficiunt, plurimos favor trahit, tantus potentium undique obſidentium ambitus, tanta & tam pellax nobilium fœminarum prenſatio, tanta obtreſtantium importunitas amicorum, ut fere quaſi torrentis impetu fluvii, per hæc abripiantur omnia. Nemo ferme cauſsâ excidit, niſi qui minimùm poteſt, omnia amicis conſtant, & flexibilitate obſequentium: Jus quæritur, rapina eſt. Meminerint tamen Judices anteceſſores ſuos juxta antiquam Juſtiniani formulam juraſſe, ſe puram conſcientiam, germanumque ſervitium ſervaturos, nec adverſaturos Eccleſiæ Catholicæ, alioquin habituros partem cum Juda, & lepra Giezi & tremore Cain.

DISSERTATIO
Trigesima sexta.

De Pœnis & Præmiis.

In illa verba. *Propoſuerat enim David in illa die præmium, qui percuſſiſſet Jebuſæum.* 2. Reg 5. 8.

Duobus fere in cardinibus tota rerum adminiſtratio vertitur, & ſtat, in pœnis & præmiis. Sine his nihil induſtriæ relictum, ſine illis omnia ſceleribus licent. Et appertiſſimè quidem ſanctus Auguſtinus, *omnia profecto inſipiens natura confunderet, niſi mundum diſciplina ratio gubernaret. Quid adultero caſtum? Quid furi* *Auguſt. tract. de bono diſciplinæ.*

eſſet tutum? Quis nō expaveſceret concava littorum, ſecreta ſylvarum? Quid non præſumptio poſſideret niſi furorem animorum diſciplina compeſceret, niſi conſtitutus eſſet ordo vivendi, nunquam profectò finē poneret natura peccādi. Inde ferme tota à multis juſtitia æſtimatur, dum tollit & coercet improbos, inde magnitudo Dei penſatur. *Accipiet* (ait ſapiens) *armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionē inimicorum, induet pro thorace juſtitiam, & accipiet pro galea judicium certum, ſumet ſcutum inexpugnabile æquitatem, acuet duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos.*

Nō aliter ſtat mundus quā pœnis nocentium.

Sap 5.19. 20 21.

Tantam inde illi gloriam accedere Theologi teſtantur, ut non minus eum commendent ſupplicia conſceleratorum quàm coronæ beatorum. Mirum eſt quod ait ſanctus Thomas, *non eſt infernus pejor cœlo, dicente Iſidoro, quod ſicut cœlum ſideribus ſic infernus damnatis ornabitur, æqualiter enim commendat juſtitiam judicis iniquorum condemnatio, ſicut innocentium defenſio.* Tota ferme Apocalypſis nihil eſt aliud quam triumphus Chriſti jam ſuperbi (ut ait Tertullianus) jam exultantis in tot perſecutorum plagis & pœnis. Tam ſeverè voluit hanc juſtitiæ partem principibus eſſe commendatam, ut aliquos abdicarit Reges, quod in noxios molliori animo fuiſſent. Hæc prima Saülis labes, quod juſſus Amalechitas populi oppreſſores ſævos, ferro & igne penitus abolere, Regem illorum Agag cum ſpoliis ſelectioribus per prædæ aviditatem, & animi ſegnitiem reſervaſſet. Inde etiam per Prophetam denuntiatur Achabo infelix exitium, quod Regi Syriæ pepercisset. *Hæc dicit Dominus* (ait ille) *quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima illius, & populus tuus, pro populo ejus.*

S. Tho. opuſc. 63.

Eximiū S. Thom. dictum.

Tertull. de ſpectaculis.

Reges quidam à Deo abdicati quod nocentibus peper. ciſſent.

Reg. 1. 15.

3. Reg. 20. 42.

Timendum certè hoc Regibus etiam innocentiſſimis, ne adverſus peſtiferos homines dum clementes videri volunt, fiant nimis remiſſi, & alienorum peccatorum mole apud ſummum judicem obruantur.

Primum enim, nocet bonis omnibus quiſquis paret malis, & ſæpe noxiorum abſolutio, innocentium condemnatio eſt & calamitas. Quoties de indulgentia princeps cogitat erga reos infeſtis criminibus obnoxios, toties habere in conſilio debet bonum diſciplinæ, ſalutem reipublicæ, oppreſſorum gemitus, tranquillitatem bonorum, Dei juſſa, legum inſtituta. Nihil imbecillius, aut abjectius eſt illo imperio, in quo armata audacia eſt, jura fere ſemper exarmata. Nec temerè quis dixit, ſub Nerva principe miſerum eſſe illum reipublicæ ſtatum, in quo nihil liceret, deterrimum, ubi omnia licerent. Nulla hîc regni facies, nulla humani cœtus, ubi qui plurimūm ſcelere & vecordia poteſt, plurimum obtinet. Abit in immenſum iniquitas, quæ ſe putat & gaudet timeri. *Noli quærere fieri judex* (clamat ſcriptura,) *niſi valeas virtute irrumpere iniquitates. Ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.*

Nimia lenitas exitioſa.

Eccl. 7. 6.

Non ignoro quædam eſſe tempora quibus propter adultam improborum potētiam, diſſimulari multa oporteat, ſed ubi primum poteſt, tota in pœnam ſcelerum conſurgere virtus debet: Importuna res eſt imperiis, minus profuſa lenitas, quę ſæpe flagitio propior quam virtuti. Anilium eſt illud lachrymarum flere prædones, & ſicarios in omnium fortunas, vitamque graſſantes, quibus nullæ gratiores publicæ ſaluti victimæ. Per ſtrictam conſtantemq; juſtitiam raritas criminum, & ſuppliciorum eſt, laxam & inconſtantem facinora omnia

Diſſimulari aliquando aut diſferri pœnas malorum expedit,

Digitized by Google

omnia premunt, & judicia toties irrita ſemper exercent.

Plat. l. 2. de Rep. Plato Magiſtratum vult eſſe iracundum.

Non abs re Plato cupiebat magiſtratum habere aliquid iracundiæ, ut eſſet impatiens iniquitatis, & acri quodam animi vigore ad improbos coërcendos incumberet. Hac viri fortes iere in memoriam ſæculorum, dum ſontes indagant, dum premunt, dum puniunt. Hanc ſibi gloriam Jobus, nec immeritò tribuebat, de hac inter tot miſeriarum incendia ſolatium captabat. *Juſtitia indutus ſum, & veſtivi me ſicut veſtimento & diademate, judicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum; Et cauſam quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam. Conterebam malas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.*

Iob. 29. 14

Iobi juſtitia adverſus improbos.

Rhodani gratioſi pœna Zuingerus citat ex Suida.

Alii propter excellentem juſtitiæ amorem aulicos apud ſe gratioſiſſimos, cum in jus poſtularentur, de ſuo ſinu indefenſos dimiſere. Sic Rhodanus ſub Valentiniano à ſella Circenſium in qua juxta Imperatorem ſedebat abreptus, ad gementis viduæ quærimonias, in cavea theatri juſſu ipſius eſt exuſtus. Alii liberos ineluctabili necis ſententiâ percutere: Sic Torquatus victorem filium ſui ipſius triumphi ruina obruit. Alii ſupplicium cum iis diviſere, ut patris charitatem cum majeſtate magiſtratus retinerent. Sic effodi ſibi oculum paſſus eſt Zaleucus, ut nato alterum adulterii convicto intactum ſervaret. Alii denique nec ſibi ignoſci delinquentibus voluere, ſic Trajanus præfecto gladium tradidit pro ſe, ſi bene ageret, contra ſe, ſi male. Longe abeunt ab exemplis illorum imperatorum, qui magnitudinem fortunæ ſuæ peccandi licentia metiuntur, dictitantes, quicquid à Jove decretum, id jure factum.

Sed fortaſſe quis æſtimet nos Solem de hoc civili mundo tollere, qui tantum tribuamus juſtitiæ, clementiæ nihil. Abſit ut ego hanc virtutem excludam à Principe, ſine qua nec princeps, nec homo eſſe poteſt. De iis tantum delinquentibus loquor qui non modò ſani, ſed vix ſanabiles ſunt, qui in publicum detrimentum peccant, qui ſervari ſalvis pro dignitate legibus non poſſunt, qui alios turbant, alios inficiunt, nocendi libidine mali, exemplis peſſimi: At vero aliquis antea frugi fuit, laudatis fuit moribus, famæ non tantum integræ, ſed claræ, utilem ſe reipublicæ bonis artibus præbuit, multos erudivit, multos juvit ad decus, erravit ſemel, deliquit errore humano, fragilitate mortalitatis, commotus fecit, fecit inductus, veniam non modo poſtulat, ſed implorat. Pro eo & in eo laborant omnes boni, nihil deperit Legibus ſi ſervetur, ſi damnetur, multum decidit clementiæ. Quis huic indulgeri quis omnem humanitatem impendi nolit?

Principi non tantum de pœnis ſed de clementia cogitandum.

Qui clementiâ Principis digni.

Habet princeps ubi ſe manſuetum glorioſius oſtendat, in ſuis injuriis. *Non eſt magni animi* (inquit Seneca) *qui de alieno liberalis eſt, nec multum clemens qui in alieno dolore eſt facilis ſed cum ſuis ſtimulis exagitetur, non proſilit, & injurias in ſumma potentia patitur, is demum excelſo in loco virtutis eſt.*

Princeps ſit præcipuè in ſuis injuriis manſuetus.

Plerique ſe injurias publicas ulciſci fingunt, dum ſuas fera rabie perſequuntur ii clementiæ laudem amiſere, juſtitiæ nunquam aſſequentur. In ſuis longè exorabilior debet eſſe quiſquis imperat, quàm in alienis, ſi ſolatium in vindicando quærit, natura ferus eſt; Si ſecuritatem, infirmus. Habet hîc dum lubens in ſuis ignoſcit, perfectam lenitatis laudem: Habet dum in alienis ad publicam utilitatem punit, cumulatum juſtitiæ

decus.

Digitized by Google

decus. Sed plerique eo animo prædiri ſunt, ut totam juſtitiæ vim in coercendo ponant, de remunerando minus ſolliciti. Mutila virtus eſt quæ in uno tantum ſe exerit, reſtringit in alio. Maligna pene juſtitia eſt, quæ tantum eſt ad nocendum nata. Triſte illud quidem miniſterium, & excelſis animis inviſum. At largiri munera bene meritis hoc & per ſe jucundum & principali vita dignum.

Leonis X. magnificentia.

Leo decimus animo & dignitate princeps, nullum ſe ex Pontificatu majorem voluptatis fructum capere dicebat, quàm quod materiam beneficentiæ haberet, qui benefaciendi ſemper animum habuiſſet. Itaque aurum non tam dabat, ſed ſpargebat in obvios. Nullus qui alicujus eſſet famæ, aut meriti, ab eo diſcedebat qui nō aliquot eſſet beneficiis auctior. Qui illi ſucceſſit Hadrianus eruditione & moribus præclariſſimus, infelici vita, & dignitate fuit, quod artem dandi non didiciſſet, nec exercendi facultatem haberet.

Præmia ubique donis, virtutibus & artibus ſtatuenda.

Ingentis momenti res eſt in regno ponere ſua virtuti præmia, pietatem, militiam, literas, artes, mores, officia, nihil apud principem ignotum eſſe, nihil indotatum præterire. Alii beneficiis ornandi, alii officiis promovendi per gradus, alii etiam opibus juvandi, quibus mater ſæpe ſapientia aut fortitudo eſt, noverca fortuna. Alii ſola meritorum æſtimatione commendantur, aliis utilitas placet, Minervam imitantibus, quæ pulchras non putabat arbores niſi optimi fructus feraces haberentur; Ideo principi in manu ſunt tot ſacerdotia, ideo etiam aulæ & curiæ, & tot municipiorum officia ſervabantur intacta, ut ubique donādi regia fortuna haberet occaſionem nunc ſi venduntur, miſeria neceſſitas eſt, quæ ſordes aſpergit huic faſtigio, & aufert inſtrumenta glorię:

Non tantum gloria, ſed utilitate multa penſanda.

Quædam dari & retineri etiam honeſtè poſſunt: At quidquid meritis debetur ſi non redditur, non tantum ſordidi animi eſt, ſed injuſti.

Exitialis res eſt imperiis cum flagitiis, aut ridiculis opes honoreſque mandantur, & optimæ quæque artes per contemptum jacent. Quis totis pectoribus non æſtuet, cùm videat alta virtute præditos homines, militię laboribus contritos, plagis etiam pro patria acceptis toties decoratos, cano capite, jam fere ad mendicitatem abjectos, cum qui per laſciviam & riſum nati ſunt, ſpoliis antiquorum Heroū tument! Quis non exhorreſcat intuens tot exaggeratā ſapientiā ſenes, tot induſtrios viros, in clero, in foro, tot miniſteriis, tot annorum curriculo confectos, inopiæ & deriſui relictos, dum tot fuci inertes alvearia ubique circumſtantes, apum mel ceraſque diripiunt. His excandeſcit juſtitia, cælum iraſcitur, movetur terra, & omnia confunduntur.

DISSERTATIO
Trigesimaseptima.

De juſtitia erga exteros.

In illa verba. *Et facta eſt univerſa Idumæa ſerviens Davidi: faciebat quoque David Judicium. & Juſtitiam omni populo.* 2. Reg. 8 15.

A Subditis tranſit etiam in exteros juſtitia, maximè in vicinos, cum quibus non ſolùm ſervanda ſunt jura gentium, ſed etiam ipſa quæ Chriſtiana pietas ſuadet, optimis Regibus officioſè præſtanda.

Ardua res propter moroſitatem imperantium, qui fere omnes ſunt ingenii ſuſpicacis, atque etiam avidi. Hoc fert natura regni

Regnantiū moroſitas ſuſpicax & avida.

regni ſemper faſtu tumens, & accendit æmulatio miniſtrorum, qui res ſuas augeri in turbido putant. Pauci admodum Reges ſuis limitibus contenti, amant augere, amant extendere, magnum quiſque putat domitorem novi orbis fieri, novi orbis fundatorem. Dira ambitio, quæ niſi rationis, & æquitatis lege regatur, miſeris mortalibus funeſta, ipſis etiam machinatoribus exitioſa. Decora vocant quæ ſunt ſcelera, & fundari quicquid deſtruunt putant, optime de iis ſanctus Auguſtinus, *Remota iuſtitia, quid ſunt regna niſi magna latrocinia? quia & ipſa latrocinia quid ſunt niſi parva regna? Manus enim ipſa hominum cum imperio principis regitur, pacto ſocietatis aſtringitur, placiti lege præda dividitur. Hoc male ſi in tantum perditorum hominum ſucceſſibus creſcit, ut & loca teneat, ſedes conſtituat, civitates occupet, populos ſubiuget, evidentius regni nomen aſſumit, quod ei iam in manifeſto confert non adempta cupiditas, ſed addita impune.* Subjungit etiam illud multorum ſermone tritum. *Eleganter & veraciter Alexandro illi magno quidam comprehenſus pirata, cum Rex hominem interrogaſſet, quid ei videretur ut mare haberet infeſtum, reſpondit libera contumacia. Quid tibi, inquit, ut orbem terrarum; Sed quia ego id exiguo navigio facio, latro vocor, quia tu magna claſſe Imperator.*

Aug. de Civit. Dei. l. 4. c. 4.

Cauendū tamen illis à præda & alienorum vſurpatione.

Piratæ acutum Alexandro dictū.

Ingens olim hujuſmodi prædantium multitudo per reciprocantes fortunæ ludos, & omnia fere imperia quæ tum habebantur celeberrima ex rapto nata, nunc poſtquam Chriſtianis moribus ſceptra ſunt conſecrata, omnia tenentibus non modo æquiora, ſed etiam verecundiora eſſe debent. Hæc prima lex ut vicini Reges qui modò Chriſtum & legem Evangelii profitentur, ſe mutuo revereantur & ſinceris amicitiæ officiis colant. Abſit ut alter alteri inſidietur, ut ſemina civiliū diſcordiarum jaciat, ut ſervos tentet, & corrumpat, ut clandeſtinis machinationibus petat, ut ſpargat incendia belli, & cum per cuniculos cœperit, in apertum ſcelus, in vexationes, ſpoliationeſque prorumpat. Nemo ſibi plaudat dulcedine dominationis conquirendæ. *ſuavis eſt homini panis mendacii, & poſtea implebitur eius os calculo.*

Regum viciniorum optanda concordia.

Prov. 20. 17.

Aiunt quidam nulla ſæpè fæliciora quā quæ ab injuſtis tractantur arma, at ipſi qui hæc dicunt, non tantum iniuſti, ſed cæci ſunt. Nam neque apud Ethnicos qui bus omnia licere putabantur, ſemper fælix iniquitas. Iulium Cæſarem & Alexandrum prædicant, quorum ille in civili bello quod omnium iniuſtiſſimum geſſit contra patriam fortunatiſſimus fuit. Hic raptor orbis terrarum, cum regna aliena excinderet, tota ſe fortuna ad eius vexilla quacumque irent, convertebat.

Contra eos qui iniuſtorum Armorū proſperitate prædicant.

Sed viderint, quæſo, neminem à prudentibus fælicem dici, quem ſcorpii morſu infælicitas extrema parte percutit. Viderint utriuſque miſerandum exitium, & plangendas æterno theatrorum luctu mortes. Alterum viridem Deum, ut ait Curtius ereptum rebus, humanis, & in flore iuventæ ſcelere domeſtico oppreſſum, regnum ſtatim inter ſucceſſores feraliter diuulſum, omnia flagitiis & ſceleribus fæda, omnia horrendis calamitatibus mœſta, nec potientibus diuturna, cū ſumptum ſemel in barbaros ferrum toties cognato cruore ablueretur. Alterum quis non miſeratur poſt breviſſimi temporis laborioſam atque inviſam gloriam, à ſuis Senatoribus immaniter laceratum, primum curiam, deinde orbem cruore totum impleviſſe.

Iulius Cæſar & Alexander exitu infælicisſimi.

Tamerlanum deinde nobis & Othomanum decantare non ceſſant, ſed quis non videt hanc Tartarorum eruptionem de-

Tamerlanus & Othomanus ut Dei flagella deſtinata profecere.

deſtinato Dei conſilio & manu factam? Nulla vis, nulla in orbe terrarum fælicitas cum hac comparanda: Moſcovitas domuit, immanem Sinarum potentiam fregit, Rege capto in trecentorum millium exercitu, Baiazethem catenis vinctum per totam Aſiam circumduxit. Vicit Ægyptum, Perſidem ſubegit, permenſus orbem, non tam paſſibus quam victoriis. Sic viſum dominatori Regum Deo, cuius inſtinctu tantam molem rerum egit verſavitque, ingenti animo, fortuna pari. Vbi deſiit ex humanis, omnia retrorſum ferri, diſcordia & imbecilitate filiorum quos hic regnator ſpiritus deſeruit. Nō alia ratione Othomani de noſtris vitiis, de noſtra ſocordia crevere: viſum ſummo judici vltricem hanc virgam adverſus Chriſtianam petulantiam erigere, atque erectam tandiu ſuſtinere, quandiu cœleſtium ordini per ferociam obluctamur. Quæ inde veniunt adorare præſtat quam carpere.

At ſi quis princeps turbulenta vi ambitionis cæterorum vrbes & opes invadit grauiſſime in Deum & proximum peccat, manetque cælo & terris obnoxius Quod ſi ipſe non ſentiat præ fortunæ exundantis lætitia, inerit hic poſteris ſenſus, patrum rapinas ſua calamitate expiantibus.

Notabile ſub Hadriano Rei dictum. Narrant Hadrianum Imperatorem reum quæſtioni ſubjectum, & diu cruciatum, cùm adverſus omnia tormenta pervicacem vidiſſet, iuſſiſſe ob patris oculos torqueri filium, tenera adhuc ætate, nec conſtantia pari. Hic dum graviſſimis doloribus laceratus ingemiſceret, Pater amore, & miſeratione victus, omnia quæ tacuerat, prodidit. Miranti porro Regi cur ipſe inter ſævos cruciatus quos ipſe pertulerat, tantum linguæ imperaſſet, ad filii lachrymas continere ſe non potuiſſet, *tortum in ſe aiebat corpus patris, ſuum in filio.* Ita ſæpe evenit ut Reges patrum delicta ſuppliciis aliquot, expiantes, ſui doloris ſenſum non habeant. At ipſis etiam hac vita defunctis hærebit in cineribus, hærebit in animis nunquam morituris, plaga, qua filij & nepotes percutientur, ſpoliati, & vexati, patrum ſcelere atque iniuſtitia qui innoxios immerenteſque bonis & dominatu priuatos abdicarint.

Abſtineant igitur qui regnant ab alieno manus, ſi ſibi conſultum, ſi ſuis volunt Quiſquis de aliena fortuna deliberat, habere ſuam in conſilio debet, & ab altero expectare quod ipſe fecerit. Scriptum eſt, *væ qui prædaris, nonne & tu prædaberis* Cum *fatigatus deſieris contemnere, contemneris.* *Iſa. 33.* Atque ut majora vitentur delicta, habēda etiam in minimis ſumma cautio eſt, ne qui delicato ſunt animo iuſtis de cauſis irritentur. Si quæ inter Reges thalami vincula, & affinitates, ſancte & religiosè colendæ ſunt. Sæpe enim propter ſpretas Auguſtas, ſæpe ob raptas, & matrimonia parum reverenter habita, exitiales iræ, & bellum furiale. Inde Clodoværi filiorum in Hiſpanias irruptio ſorore, ſcilicet ab Amalarico Rege malè habita. Inde poſt longa ſecula Caroli quinti querimoniæ, interceptam progenitori ſuo Annam Britannicam incuſantis, & ſibi Claudiam Ludovici XII. filiam per vim ereptam: Si fœdera ſancita, ratis conditionibus ſtare, inconcuſſa ſinceritate præſtat, fœdifragos odijs ubique fatigantibus, & ſiniſtra ſorte, Si commercia inter nationes, iuſtè quoque obeunda, nec fraude aut contemptu abrumpenda, ſit fidum pectus in omnibus & amicitia ſocialis, quæ Chriſtum ſapiat, & cælum, ſit religio Sacramentorū, & tenax promiſſi fides: Sic nos aliena bona nō gravantes,

Summa cautio adhibenda in vitandis diſſidiis.

vant, cùm noſtris fecimus modum.

At quæret aliquis ſi quis Principum in partam majorum hæreditatem ingrediatur, rebus iamdiu conſtitutis, num reddere petentibus debeat, quæ fama fert à parentibus injuſtè occupata. Reſpondet Navarrus, excuſationem eſſe à reſtitutione, ſi probabilis ignorantia facti, vel juris obſcuri, ſi neceſſitas & impotentia, ſi libera condonatio, ſi compenſatio, ſi contractus irritans, ſi volente Domino, ſi cedente, res in alium tranſiit, & quæ ſunt hujuſmodi: Nihil opus eſt hic movere. Principes ne nimis credulas aures habeant. Rari enim ſunt qui per immaturam reſtitutionem ſe ſuaque præcipitent, ſed cavere multum debent ne quando reſtituendi conſilia agitant, mercenarios, aut adulatores conſulant, quos ſciunt omnia ad gratiam loqui: ſic enim deceptis labes hærent. At ſi rem cum viris eruditione claris & integerrima fide probatis contulerint, & hæreditatem quam adeunt jure optimo à ſe teneri audiant, tum regni rem ſervent, & nihil inconſultâ bonitate deperire patiantur. Quòd ſi manifeſtam fraudem atque iniuriam cuipiam illatam agnoverint, non habeant humana tanti, ut præ ijs amittere divina conſentiant. Quis enim lutum margaritis, quis terram cælo anteponat?

Navarrus Quæ à reſtitutione excuſent.

(* *)

DISSERTATIO Trigesimaoctaua.

De Bello an expediat?

In illa verba. *Et Iudicabit nos Rex noſter & egredietur ante nos. pugnabit bella noſtra pro nobis.* 1. Reg 8.20.

Restat ultima functio Principis belli gerendi cura, quæ in ſpeciem ſæua; ſed imperiis neceſſaria. Olim in hoc penè unum lecti reges erant. Qui armis, qui animis plurimum poterant, votis populorũ optabantur, vel ut novas, ac deſtitutas ſedes quærerent, vel ut quæſitas adverſus hoſtium irruptiones tuerentur.

Belli gerendi cura Imperiis neceſſaria.

Quæſitum ab antiquis an idem Chriſtianis liceret. Vetitum Tertullianus putat, rigore magis ingenij, quàm æquitate cauſſæ, *licebit*, inquit, *in gladio converſari Domino pronunciante gladio periturum qui gladio fuerit vſus? Et prælio operabitur filius pacis, cui nec litigare conveniet?* Idem error Manichæos, idem poſteriores hæreticos traxit, prohibentes quod ipſi poſtea immani furore perpetrarunt. Quanto melius Auguſtinus. *Bellum habeat neceſſitas, pacem voluntas*; quo ſatis indicat Principi arma quidem neceſſaria non eſſe detrectanda, ultro nunquam affectanda.

Bellum an licitũ. Tertull. de corona mil.

Aug ad Bonifacium.

In quo protecto ſe omnibus deridendos præpent nuperi quidam politici, terræ filij, homines imperitiâ & ſocordiâ pari, qui ignobili otio marcidi, res principum, ſtatumque Chriſtiani orbis verſant inconſultæ mentis vertigine. Quærunt quibus artibus amplificari regnum Gallorum poſſit, & ſtatuunt hanc illi unã ad decus & opes viam, ſi à bellis exteris nunquã quieſcat: Inſipidi, dum hæc fine ratio-

Nuperus author quidam de ea re librum edidit.

Contra eos qui bella inter Principes

Digitized by Google

Chriſtianos ſeminant,& cupiunt eſſe perpetua.

ratione effutiunt,crudeles dum inter gementis mundi ſuſpiria garriunt.

Bellare nos ſine intermiſſione par eſt, inquiunt,quia id Romani fecere. An & colendi nobis gentilium Dij, & per gallos gallinaceos adminiſtranda imperia, quia Romani fecere? Cœci, qui malè digeſta exempla pro rationibus obtendunt. Num & ſemper,& ſine cauſa, bellatum à Romanis? Crebra ſub Romulo bella ut fert imperiorum natura, quæ initio ambigua & turbida. Adde quòd gens prædæ nata,neceſſariò multos habuit reluctantes. At Romulus ob feritatem ingenij ſemper inquieti, à ſuis ipſe Senatoribus diſcerptus,ſubrogato Numa Pompilio, ſub quo per annos quadraginta lætis omnibus alta pax fuit.

In Romano Imperio nec ſemper, nec ſine neceſſitate bellatum.

Pacificatores grati.

Eius deinde nepos Ancus Martius vrbem regnaturam,ædificiis auxit, ac decoravit,gratus popularibus, extruendo ſua magis quàm ſubvertendo aliena. Servius quoque Tullius pacis artibus clarus cenſum inſtituit, populum ordinavit, Romæ dedit ut ſe ſuaſque vires noſſet, amplificata re,non per bellorum tumultus,ſed per longam amœnamque tranquillitatem.

Hæc expendere ſaltem debuerant, qui rerum ignari,ſpirant vaſta , & inania faciunt. A Regibus in Conſules tranſitum, ſub quibus mota crebro arma,ſed pro libertate,pro vita,ignem & furias minantibus Tarquiniis,quos Porſenna Cluſinorum Regulus,deinde latim ambitioſo conatu reddere ſuis penatibus moliebantur Traxere illi Volſcos,Æquos,& Hernicos Subiere Veientes , ſed omnium maximum ante Carthaginem,contra Samnites bellum, pro deditiorum jure ad annos ſeptuaginta extenſum , contumaciâ gentis ſuis funeribus obluctantis. Tandiu Romæ dimicandum intra viſcera fuit neceſſitate non libidine.

Carthaginenſes Samnitium bellis intervenientes occaſionem Punici dedere, quo nullum diuturnius,nec cladibus magis inſigne. Penè ſine modo & fine , non tamen ſine graviſſimis cauſſis fuit. Quippe ad exitium Romanæ gentis iuratus Hannibal,ferro & facibus vrgebat & dominandi libidine, & vindicandi ſævitia. Itum deinde in Reges Panorum adiutores: Multa pro gloria bella,nullum tamen laſcivia mentis geſtum. Poſt civilia, & triumviratum, pacificator Auguſtus ſubijt,Principum omnium ſapientiâ facilè princeps,qui pace,& otio nihil melius ratus,Iani templum clauſit. Metas imperij reſtrinxit,omnia civilibus diſcordiis feſſa recreavit,&,ut ait Tacitus, militem donis,populum annona,cunctos dulcedine otii pellexit.

Auguſtus omnium Imperatorum prudentiſſimus fuit pacis ſtudioſiſſimus.

Hic opinor artem regnandi tenuit longè melius quàm iſti nugatores,qui de præliis in otio philoſophantur. Nunquã verè magnus Alexander,qui maximus fuiſſet, ſi ceſſare à bellis maturè didiciſſet : Sed dum laceram vrget militiam,per tot maris portenta,pene vltra ſolem & diem, de vincendo potius orbe quàm de pacando cogitans à ſuis occiditur, acciſo pene dũ naſcitur,tanto gloriæ faſtigio : Bella per ambitionem ſuſcepta Xerxem æternis ludibriis obiecere: Vidit Oceanus piſcatoris ſcapha fugientem, qui tot navibus indignantem Helleſpontum preſſerat. Bella Athenienſes & Spartanos , omnes deinde Græciæ populos maligna vi & lenta tabe confecere; Dum imperare ſinguli cupiunt,omnes imperium perdidere.

Alexander ob nimiam cupiditatẽ Imperiũ ſuum euertit.

Sine ſocietate,ſine lare, ſine iure, eum eſſe oportet (ut cum Homero loquar) qui diſcordias inter cognatos & fratres prurientis animi libidine,ſine maximis & ſpectatiſſi-

Ἀφρήτωρ ἀθέμιστος ἀνέστιος. Ιλιαδ. Ι.

tiſſimis cauſſis inflammat. *Bella & victoria captis & euerſis vrbibus conſtant*, inquit Tertullianus, *id negotium ſine Dei iniuria non eſt cædes, & ſtrages mœnium, & templorum, partes cædes civium & ſacerdotum, nec diſſimiles rapinæ ſacrarum divitiarum & profanarum. Tot ſacrilegia; tot trophea.* Adde vagos ubique ignes, & caſtiſsima corpora hoſtium libidini objecta, confuſa iura, calcatas leges, triumphantem impudentiam, & mœſtam maximorum regnorum ſolitudinem: Quis hæc ſanus probet? Quis innocens concupiſcat?

Tertull. in Apolog.

Motus non eſt propter motum, nec propter ſe bellum.

At inde ſtant, aiunt, regna, unde primum ſurrexere. Gens noſtra bello crevit, bellis quoque conſervanda. O inſaniam! Quaſi moveri ſemper oporteat, quæ ſemel cœpere: Quaſi motus ſit propter motum, & propter ſe bellum? Quid motum quæritur niſi quies? Quid bello niſi pax? Qui nullam aliam bellandi cauſam habet quàm bellum, non tantum inſanus, ſed crudelis, ſed impius, cælo ac terris exoſus. Ideo ceſſandum à bellis, quia per bella cœpimus, nec ſcelus faciendum eſt, unde lex, unde pax, unde Deus. Hæc ſolida & perpetua ſunt, bellum ad tempus eſt, ut hæc poſſideantur quæ cum habentur, aut deſinit aut inſanit.

In pace non ſunt inutiles qui conſervationi rerum milites excubant.

At quid fiet tot bellicoſis populis niſi exerceantur per deſidiam diſſolvendis? Quaſi verò ſocordia nonniſi per ſcelus repelli, aut ſanari poſſit? Sint exercitus ſemper minantibus ſimiles, ſint arma, ſint militares robuſtæ iuuentuti exercitationes, ubi & quantum ad regni ſecuritatem vigoremque neceſſe eſt. Nunquam belli occaſiones deerunt, incurrent ſæpe fugientibus. An nulla cupiditas ſubveniendi pro fide & juſtitia laborantibus? An nulla gloria ſuccurrendi oppreſſis? Nulla mittendarum ars coloniarum? Num Mauri, num Turcæ omnes extincti, toties Chriſtiano cruore & tam fœde reſperſi? Illuc unanimi principum conſpiratione deſtinandi qui militares laureas ſitiunt non degeneri laude infuſcandas. Quid iuuat in excidia vicinorum & Chriſtianorum lacerationem rapi?

Occaſiones legitimorum bellorum rarò deſunt.

Ludouici XI. prudentiſſimum conſilium

Qui ſibi politicæ peritiſſimi videntur audiant Ludovicum XI. politicum illum quidem & regnandi facultatibus clarum. Is in eo libello quem de imperio regendo ad Carolum filium conſcripſit, iam maximarum rerum uſu limatus, ſuadet vt cum primum regni habenas ceperit, ſi pacifica omnia deprehenderit, hæc in eodem ſtatu quantum poterit, vigilantiſſimè contineat.

Quod ſi bellum aliqua ex parte exarſerit, omni conatu ſtatim, extinguat; inde enim, inquit, opum, virtutum, hominum & rerum omnium exitia. Plus valet apud prudentes iſtius authoritas quam mille inertium bellatorum volumina deriſui nata aut oblivioni: Totum ferme quod in bellis geritur, belluarum eſt, inde leges ſilent, jus dediſcitur, torpent artes, intercluditur commercium, mœrent ægri, omnis magnarum mentium vigor extinguitur, laxantur audaciæ fræna, ſcelera per impunitatem accenduntur, convellitur fides, innocentia calcatur, barbaris moribus coaleſcunt vrbes, ex cladibus ruinæ, ex victoriis etiam inopia eſt. Inde ſolitudo fit terrarum quæ victores æquat victis: omnia tunc poſſunt qui ſæpe omnium deterrimi ſunt, res & honor innocentibus perit. ipſum ſe regnum ſuas inter palmas vorat. Non aliter imperium Romanum corruit, quam per bella continua & inviſam militum ſupra Senatum & populum poteſtatem, quibus Imperatores occidere ludus fuit & præmium feciſſe.

Digitized by Google

DISSERTATIO TRIGESIMA NONA.

De Conditionibus Belli.

In illa verba *Domini eſt bellum.* 1. *Reg.* 17.47.

NVnc audire ex Theologis par eſt, quomodo bella ſuſcipi & geri à Chriſtianis poſſint. Tria ſunt, inquit S. Thomas quæ arma ab iniuſtitia vindicent, authoritas legitima, cauſſa iuſta, intentio recta. Magni momenti res eſt de vita & fortunis tot mortalium decernere, tot ad unius hominis vocem gladios ſtringi, tot furias legum antea catenis conſtrictas ſoluere, in alienos agros ferro & facibus armatas immittere, dare ius perdendi hominis. Et ſi unius vita apud Deum tanti eſt, quid fieri putamus, cùm per unum Regis edictum tot capita ſub gladio gemunt, tot vrbes ardent, tot exſcinduntur nationes? Non eſt hoc privati hominis, non eſt unius vrbis, non eſt vnius provinciæ negotium; Inde eſt unde & ſumma & principalis, nec ab altero pendens auctoritas, ab Imperatore, à Rege, à Principe, à Republica.

S. Tho. 2. 2. q. 40. Tria ad legitimū bellum neceſſaria

Quanti momenti bellum indicere.

Deus enim Regum omnium dominator & factor qui regna, qui reſpublicas inſtituit ad bonum univerſi, ea quoque cōceſſiſſe creditur, quibus ſtare & adverſus hoſtiles iniurias munire ſeſe ac tueri poſſint. Quis eſt autem tam imperitus rerum humanarum qui non videat in tam corrupto rerum ſtatu, in hac hominum audacia & ſcelere, Res ſartas tectaſque ſervari ſine armis non poſſe? Hinc rerū potientibus jus gladij datum eſt, quo non modò populares ſuos coërcere intra legum cancellos poſſent, ſed etiam exteros contumelioſos & nocentes ferro perſequi, niſi ſatisfacerent, liceret: At verò quia tanta authoritas tam delicata res eſt, ut corrumpi atque perverti per prauos uſus facillimè poſſit, conſultatione magna opus eſt ut lente & propter iuſtiſſimas cauſas maximè inter Chriſtianos principes exeratur. Quantum enim & quam horrendum ſcelus eſt, ſi propter imaginem iniuriæ, ſi per faſtum & arrogantiam, ſi per honoris libidinem, ſi per vindicandi rabiem, ſi per tumultuoſam & præcipitem iram bellum indicitur, & nodus concordiæ ſoluitur quo ſolo omnia placida & tranquilla intra ſuos continebantur fines. Vbi vero diſruptus eſt, ſtatim orbis convelli, & cuncta miſceri: Statim clades vrbium & totarum excidia gentium, & relucentes flammis hoſtilibus campi, & ſolitudines per multa millia ſine habitatione deſertæ; Statim virginum ac matronarum probra, plena omnia armorum, ſanguinis, ſuppliciorum. Quis hæc cum iniuſtè, libidinosè, præcipitanter fecerit, tremendo Dei iudicio faciat ſatis, etiam ſi innumera habeat capita, innumera corpora flammis ultricibus in æternitatem abſumenda?

Conſultatione magna in bello ſuſcipiendo opus, & cauſſa accuratiſſimè perveſtiganda.

Quid quod nec ſuis membris parcit, qui ſic furit? Tot Heroes, tot præclaros cives, tot animas innocentes ſuæ immolaturus libidini? Incendiarios imitatur montes, qui dum nocent, dum cremant & perdunt, ſua ipſorum viſcera depaſcuntur. Num putamus verti inde regna, & regnantes exſcindi, & in poſteris vri, & ſecari. Quamobrem ſincero animo, & acri ſtudio perveſtiganda imprimis cauſſa bellorum eſt, ne ſit iniuſta, aut per ſpeciem iuſtitiæ deceptis mentibus irrepat: Atque in eo Theologi omnes viri prudentes conſentiunt non ſufficere Principi bel-

Bellum non tantum hoſtibus, ſed civibus, ſæpe exitioſum.

Digitized by Google

Non ex ſolo ſuo ſenſu Princeps bellum iuſte aggreditur.

bellum moventi; ſi tantum ipſe arbitretur ſe iſtud ex iure ſuo facere: ſic enim Turcarum arma, ſic Maurorum adverſus nos irruptiones juſtitiæ colorem obtinerent. Sed cum res aliqua ex parte dubia eſſe poteſt præ rei pondere ac difficultate habenda eſt diligens perquiſitio, adhibitis primariorum regni capitum conſiliis, quorum intereſt, & qui defecato pravis affectibus animo veritatem diſcernere, & maturè conſulere poſſint.

Cauſſæ bellorum legitimæ.

Iuſtiſſima omnibus bellandi cauſa eſt naturæ lex & ſui tutela, omnia penes defenſorem liquidiora, oppugnatorem faciliùs iniquitas premit. Omnibus qui alios aggrediuntur ſtimulus iniuria, ſeu vera ſit ſeu per ſpeciem illudat. Et Auguſtinus ait, *iuſta bella definiri quæ vlciſcuntur iniurias ſi qua gens vel civitas quæ bello petenda eſt vel vindicare neglexerit quod à ſuis improbe factum eſt, vel reddere quod per iniurias ablatum eſt* Hoc in genere ſunt rebellio, denegatio juris gentium, violatio fœderis, contumelia notabilis, defenſio innoxiorum, ſubſidium fœderatorum in bello juſto & ſi quæ hujuſmodi. Hoc ſe quod æquum eſt velle omnes qui provocant, hoc agitare dicunt, & qui ad iniurias inferendas ſupra modum contumelioſi de illatis aut fictis prolixè queruntur. In proclivi eſt, adulari ſibi, ſua præoculis habere, aliena damna parvi pendere. Nihil in hac re ſapiens ſibi credet, ſed adhibebit bonæ mentis arbitros qui iuſta ſuadeant, & in juſtis etiam moderata. Nam & ſi cauſa ſit bellandi, nulla eſt ſæviendi. Iniuſtam cauſam facit ex juſta qui plus exigit quam debetur, nec ut debet exigit. Crudele eſt pro modicis ſine modo furere, & parva detrimenta per ruinas reſarcire. Ad cauſam juſtam intentio recta accedat neceſſe eſt. Neque enim ſatis eſt, ſi auctoritatem Princeps habeat belli indicendi & gerendi, & id jure faciat. Si non tam de iuſtitia & jure quàm de re cogitat, ſi gaudet occaſionem belli natam. ſi avide amplectitur, ſi per odia & exitialem vindictam gerit, iam ex bona cauſſa rem malam facit & in apertam iniuſtitiam deſinit quia iure cœpit. Rectè S. Ambroſius *affectus tuus nomen imponit operi tuo, quomodo à te proficiſcitur, ſic æſtimatur.* Et S. Auguſtinus nocendi cupiditas, vlciſcendi crudelitas implacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi quæ ſimilia, hæc ſunt quæ in bellis iure culpantur.

Auguſtinus cõtra Fauſtum.

Cavendi prætextus qui facillimè ſurrepunt.

Ambr. 1. off. cap. 30

Aug. contra Fauſt.

DISSERTATIO

QVADRAGESIMA.

De modo Belli Gerendi

In illa verba. *Confortamini & bellate.* 1. *Reg.* 4. 9.

NVnc de belli gerendi modo putridum eſſet à me dici, quod militaribus potius conſiliis & factis, quàm præceptionibus diſcitur. Hoc tantum monere præſtiterit, nihil præcipitanter aggrediendum. Iuuet armari, iuuet omnia ſagaciſſimæ mentis curâ comparari. Armatum tamen & paratum pacifico animo eſſe ad decet; præire denuntiationibus, moram dare reſipiſcendi, quantum ſat eſt quantum recta ratio præſcribit. *Omnia ferme bella (ut ait Saluſtius) facile ſumuntur ægerrimè deſinunt, nec in eiuſdem poteſtate eſt initium & finis.*

Saluſt. [illegible]

Ad providum Principem attinet in hoc rerum ſtatu perplexo, ſemper & turbido maximam Reipublicæ curam capeſſere ne

ne quid detrimenti huius incuriâ patiatur: habere duces, milites, commeatus, arma pecuniam, quæ fere omnia conficit & ea quidem maturè providenda eſt, ne ſi per bellum exactiones fiant, non modo odioſæ ſint, ſed etiam periculoſæ. Vrbes arceſque maximè quæ hoſtilibus patent inſidiis, diligenter muniendæ. Laborat enim in hoc conſcientia regnantis ſi neglecti cives pereant, quos tueri obſtrictus ſacramento debet.

Diſciplina militaris maximũ rerum gerendarũ in bello inſtrumentum.

Præcipuum decus imperij militaris eſt diſciplina, tenaciſſimum rerum bene gerendarum vinculum, quæ non modò ſit in exercitio, & ordine, ſed in coercitione & exemplo. Hæc Romanorum, hæc Turcarum arma promovit in immenſum, ſi quidem à bene domitis militibus facilè, domantur omnia. Fortes ſunt dum abſtinentes fiunt, ſolutos ignavia, imperitia, rapinæ, flagitia, & ſcelera omnia obruunt Indignum eſt ab ijs bella geri, qui bellorum hanc primam, & utiliſſimam omnium ſcientiam aut per ſtuporem ignorãt, aut per ſocordiam atque imbecillitatem negligunt.

Quid differt civis ab hoſte, ſi uterque rapit, vorat, incendit, probrum caſtis, vim exarmatis, iniuriam infert omnibus? At verò quam iniquum eſt iſtud, ſi poſtea quam pecuniæ vis ingens exacta eſt à ruſticanis, ad militares ſumptus, ipſi denuò cogantur alere, quos ut alerent iam pene ſe totos exhauſerunt. Inde multa exercitibus funeſta, furta & ſacrilegia Deo non ſegniter vlciſcente. Apparari militem pugnæ non ſcelere, ſed virtutibus præſtat.

Regis præſentia in bello quantum poſſit.

Omnis in eo cura Principis vertitur, ut vincat hoſtem, Patriam ſervet. In quo magnum momentum habet eius in exercitu præſentia Diceres unam mentem in ſingula corpora diffuſam, quæ robur fortibus, timidis audaciam, celeritatem tardis, omnibus fiduciam impertitur. Nõ aliter Rhodum Solymannus obtinuit cũ antea per vicarios infelicius pugnaſſet. Ad eius conſpectum mirus omnium ardor efferbuit, & æquata Gigantum opera. Bellare manu principes nondum ſtructa illa ſuæ fortunæ mole, & in primo iuuentæ flore famam aucupantibus, extra rem fortaſſe non fuerit. Hoc Alexander. Hoc Iulius Cæſar fecit. At conſtituto iam regno gregariorum miſceri turbis & in unius anima periclitari omnia non eſt ſanum. Ioannem ſcimus, & Franciſcum lugemus. Tutius eſt ſi ſe ſummæ rerum & imperiis reſervet, niſi ſuprema neceſſitas cogat. Omnia in bello providis conſiliis magis quàm impetu conſtant, & boni quique duces non tam aperto marte, ubi commune periculum eſt, quàm ex occulto tentant. Stratagemata multa ſunt eximia laude digna, quibus prudentia imperatorum commendari poſſit. At ſubornare ſeruos in caput Domini, graſſari per veneficos, & ſicarios, incendiis, ſtupris, ſacrilegiis diris & abominandis vaſtitatibus operari, non tantum fœdum, ſed ipſis etiam qui ſolo naturæ lumine ducuntur, horribile.

Prudentes plura conſilio, quam impetu in bellis faciunt.

Stratagemata laudantur ſed non perfidia.

Parſimonia ſanguinis laudanda

Parſimonia ſanguinis laudatur in ducibus, & per raro quidem ut [illegible]ebat Paulus Æmilius, bonus imperator collatis ſignis decertarit, niſi ſumma neceſſitas aut ſumma occaſio iuſſerit. Multum ad victoriam referet, ſi commodè & tempeſtiuè cuncta fiant, ſi vigili & intentâ in omnes eventus curâ, ſi tegantur noſtra conſiliis perarcanis, ſi penetrentur aliena: Cũ abſentibus ferme pugnat, qui imparatis ſupervenit, & deprehendit incautos.

Arcana ſcite tecta plurimum proſunt.

In principiis validiſſima fama.

In principiis fere omnibus validiſſima eſt fama, & fiduciam aut metũ primi taci-

faciunt eventus Nihil in adverſario ſpernendum. Nocuit multis nimia ſecuritas, nec ullus faciliùs opprimitur quàm qui nihil timet Elatos & feroces ſæpiſſime Nemeſis caſtigat, & in primordiis inſultantes ſiniſtri caſus deprimunt. Nihil tam anguſtum, aut puerile; quàm nimis citò & intemperanter geſtire propter leves pugnas antequam de re ſummâ conſtiterit.

Nimia ſecuritas perniciosa

Poſt prælium, ferme aut victoria eſt aut clades. Illa non tantum cautè habenda, ſed leniter & modeſtè, vix unquam hoſti fugienti nimis inſtandum, aut omnis ſpes præcidenda, quia graviſſimi morſus irritatæ neceſſitatis. Hæc fortiter ferenda atque etiam prudenter. Infirmi enim animi eſt ſummæ rei diffidere, cum exiguis momentis ſubito inclinentur omnia, quæ in bello fiunt. Captus ad Ticinum Franciſcus capientes comiter excepit, cœnavit, diſſeruit, riſit, omnem fortunæ injuriam altiſſimo animo reverberavit & lachrymas hoſtibus excuſſit, qui ſuas tenuit. Carolus quintus cum in Africano bello laceram claſſem videret, atrociſſima omnium tempeſtate, alios mergi, alios trucidari, conjuratis in unum caput cælo, terra, mari, barbaris, tot ſpes acciſas tranquillo animo ſpectavit, & inconcuſſus vidit omnia circa ſe concuti. Sic ingentis eſt pectoris ſuæ inſultare fortunæ, rerum humanarum aleam noſſe, ſperare pauca, ferre omnia, pati naturam, & Deum, quacunque duxerit ſine murmure comitari.

Moderatio victoria, & in ſiniſtris caſibus laudanda conſtantia.

***

TRACTATUS III.

De Regni Adminiculis.

DISSERTATIO QUADRAGESIMAPRIMA.

De viris fortibus parandis & de educatione juventutis.

In illa verba. *Infirmi accincti ſunt robore, Deus ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes.* 1. Reg. 2. 4.

REGNA faciunt non muri & urbes, non opes & cenſus, ſed viri & virtutes, ubi deſunt hominum ingenia, nihil excelſum in rebus humanis, nihil in vita tutum. Quid eſt aliud ager & domus? Quid immenſa vis argenti, quàm onus & præda, iis aut quibus utendi nulla induſtria, aut prædantium rapinis imbecillitas ſemper obnoxia? Ditiſſimi hominũ. Inde omniũ miſerrimi ſunt, inter immanes auri & gemmarum officinas ubique laceri, ubiq; nudi. Spolium alienis patria eſt, ipſis noverca. Tanti eſt inter aſtutos ac feros ad mitiorum pecudum vitam abjici.

Ditiſſimi hominũ miſerrimi.

Nihil vetat eſſe in regno Dei homines induſtrios, acres, nec ſtolidè probos, qui ſua non tantum tueri, ſed propugnare etiam poſſint.

Regna incipiunt (quod ait Ariſtoteles) unde domus, hęc virum habet & uxorem, liberos, & ſervos. Illa Reges, magiſtratus, ſacerdotes, judices, milites, agricolas, mercatores, opifices. Inde enim ſicut in divinis (quod ait Apoſtolus) *omne corpus compactum & connexum per omnem juncturã ſubminiſtrationis.* Nihil in hac hominum communitate parvum *Domini ſunt humiles terræ, & poſuit ſuper eos orbem.*

Ariſt. l. 7. polit. c. 7.

Epheſ. 4. 16.

1 Reg. 28.

Q Operoſa

Vbi nos cardines, Hebræi humiles. Operoſa illa imperiorum moles quæ ſæpe ſuo faſtigio nutat, ex parvis crevit, in parvis ſtat & viget: Tam celius ignis fragili terrarum materia lucet, & quicquid eſt in rebus hominum ſummum, opem expectat ab infimis: *Regna in parvis ſtant.* Surgunt regna ſubditorum numeroſitate & viribus Numeroſitatem dico, quia (ut ait ſapiens) *in multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia principis.* *Prov. 4. 28.* Addo vires quæ virtute, induſtria, opibus, & ſua cujuſque ad propria munia habilitate conſtant. Contemptiſſima quippe res eſt imbecilliũ copia, aut fatuorum, qui vorare bona magis norunt quàm inſtruere. Cives nullos potius quàm pravos optimus quiſque deſiderabit: in hoc Princeps, in hoc leges incumbant, primum ut minimè mali ſint, deinde etiam fortes & boni.

Spes regnorum ab educatione & matrimoniis. Tota ſpes Regnorum à juventutis educatione pendet, & ipſa educatio à matrimoniis inchoanda, quorum ubi corrupta ſunt ſemina, fruſtra in poſteros laboratur. Mirũ quàm ſcrupuloſè hæc attigit Philoſophus, qui etiã tempora generandi præſcripſit hyeme & quidem aquilone flante, *Ariſt. l. 7. c. 16 polit.* non auſtro, ne plumbei aut enerves, artus infantum, ne corporis ſit moles ignava, *Educatio qualis ex Ariſtotele.* prægnantes ipſas non permittit deſidere, ſed deambulare quotidie, nec tenuiter veſci, agi, exerceri & placida mente vivere. Pueros ali copia lactis, vino non imbui, aſſueſcere frigori, numquam illiberaliter aut nimis laborioſe ludere, ſed iis exercitationibus occupari quę mulceant, & proſint. A clamoribus prohiberi non vult ut enixi creſcant, nec ante quinquennium ullis artibus erudiri.

Prudenter iſtud quidem, ſed majori conatu providendum eſt ut caſti naſcantur de caſtis, ut vagi arceantur concubitus, & petulantia libidinis frænetur acri legum cuſtodia. Inde enim corruptelarum omnium ſentina, & prima fax ſcelerum. Corpori quidem puerorum indulgendũ, ut vires colligat, ut firmetur, ſed mollis præcipuè animus totius honeſti ſpecie implendus eſt à teneris. Procul omnis laſcivia, & protervæ faſtus mentis: Procul ganeæ ludique ſerviles, & quicquid eſt aut molle aut ferox. Incipiant qui Chriſto victuri ſunt *ſobriè piè, & juſtè*, quod monet Apoſtolus *vivere*. *Tit. 2. 12.* Hoſtes ſunt regnorum & capitales urbium peſtes parentes illi, qui liberos voluptatibus ſaginatos per omnem licentiam laxant. Non alunt Reipublicæ cives, ſed monſtra, ſi reprimere adultos nequeant, vim legum & magiſtratus manum implorent, nec ſuum nimis indulgenter putent, quicquid eſt communi bono natum.

Nihil patria poteſtas adverſus patrias leges audere, nec poſſe quidem debet. Nec abs repub! cam inſtitutionem juventutis veteres politici probant. Inde tanta in alendis pueris apud Spartanos moroſitas, quos patribus ereptos in jus commune *An educatio publica eſſe debeat?* tranſcripſerunt; Sed tamen reverenda potius quàm vexanda natura eſt, & ſi intra honeſtatis limites contineatur, non eſt temere & indiſcriminatim ſuo ſpolianda cenſu. *Patrum authoritas.* Patrum ſi quidem authoritas de maximo jure venit, quod ſuprema mens ſuis manibus non tam libris quàm pectoribus exaravit.

Summum jus, quod ſæpe ſumma injuria eſt, hoc olim orbis domitoribus Babyloniis & Perſis dedit, ut devictarum nationum liberis ad arbitrium uterentur. Id ipſum nunc Turcæ faciunt, & vectigales Græcorum filios de matrum amplexibus avulſos in commune pædotrophium cogunt, alunt, educant ritu ſuo, ſuperſtitione ſua imbuunt, gemente natura, religione oppreſſa.

Agit ſuas in hoc partes tyrannis omnibus

bus ſæva, nec ulli niſi per vim toleranda. Longe diſpar eſt apud Chriſtianos mores ratio, ubi ſalus populi, non libido dominantis prima omnium lex eſt: permittuntur ſua parentibus pignora, quæ patriæ & ſibi ſerv ent, quæ pro ſua quiſque conditione in res profuturas, & civilia deſtinet officia. Si bene morati Patres, in puerorum animos faciliùs bonas artes inſtillant. Beati quoque adoleſcentes ſunt, qui eos potiſſimùm imitandos habent quibus natura ſimillimos ipſos eſſe voluit.

Seſoſtris edictũ grave. Timuit olim Seſoſtris Rex Ægyptiorum ne deeſſent regno qui viliora munia capeſſerent, cœco fere ambitu, omnes ſupra ſe vireſque ſuas rapiente, edixit ut quam quiſque pater artem exercuiſſet, hanc filii profiterentur. Forminandum ſane edictũ, quod optimis ingenis iter ad libertatem & gloriam præcluſit, adverſus virtutem & naturam ipſam contumacia pari. Aſſumpſit ſibi has quas deſideramus partes providentia, omnibus intereſt omnia regit, ſua cuique oſtendit fata, & pueros in cognatas res & artes non rapit, ſed blandiſſimis manibus ducit: Nullum eſt tam contemptum, tam ſordidum vitæ genus, quod ſuos non habeat profeſſores. Facit hoc ſpes lucri, facit egeſtatis metus, ſed ſupra egeſtatem & lucrum, magna mens iſta occultè diſpenſat.

Et tamen politicorum frequens iſta querela eſt, per literarum ſtudia rei militaris ſuccidi nervos, unde apud pleraſque gentes ſtudere niſi annuẽte principatu nõ licet Exiguarum eſt, aut etiam nimis vaſta ambitione nationum, timere ne publica in munia ſubditi deſint: Hęc ratio impulit etiam imperatores nonnullos, ut monaſteriorum quietem anhelantes edictis arcerent: quod Mauritio luctuoſum fuiſſe Eccleſiaſticę prodũt hiſtoriæ. Nullus huic apud nos timori locus, ubi numeroſiſſima *Grego. Epiſt. l. 2. 62. & 6. 5. Baro. ad ann. 592.* gens ſtudet, nec tamẽ poſt frequentiſſima bella terrâ marique geſta, unquam deſunt qui ſex aſſibus vitam quotidie vẽdant, qui duros militiæ labores ferant, qui periculis caput objiciant, parati omnia audere & pati. Iſti qui ignobili ſæpe otio torpentes Romanorum tempora & laureas agitant, toti ſunt in præliis inani cerebro digerendis, & Marti ſacra fere omnia habent ſomnia, nullos volunt in Republica niſi milites naſci, qui profectò non eſſent, ſi cæca ſtarent vota, ita ignati & imbelles deſident. *An armis juventus omnis addicenda.*

Equidem ſic exiſtimo gentem quæ cæteris dominari appetat, avidam ferri & militiæ gnaram eſſe oportere: Sed tamen peſſimè (quod etiam notavit Ariſtoteles) cõſtituuntur Reſpublicæ quæ ad bellicas artes tantùm ſunt conformatæ. Inde enim feroces populi, & in ſua ſępe luctantes viſcera; molas piſtrinorum imitãntur, quæ ignem concipiunt, ubi frumentum defecit, ſed ego iſta plenius: Nunc quod caput eſt, expedit in uno quoq; regno eſſe gymnaſia, academiaſque militares, in quibus acri ſtudio, & pervigili curâ inſtituantur adoleſcentes, maxime qui Eccleſiaſticis muneribus, qui Reipublicæ gerendæ, qui militiæ obeundæ atque etiam adminiſtrandæ deſtinantur. Hi ſunt fontes qui in publica commoda jugiter effluunt, hæc ſunt ſeminaria unde magni viri prodeunt, ubi indoles læta expoliri optimis artibus cœpit, in ſolem & pulverem educta, ſtimulatur gloria, præmiis alitur, ambiguis exercetur rebus, & tandem ad ſuum exſurgit decus. *Ariſt. l. 7. c. 13. Pol. Caſarius magnus in dialogis græcis.* *Gymnaſia & Academia.*

Rariſſime autem maxima oriuntur ingenia, nec fortè expedit eſſe, aut ſæpe, aut multa, dubias in utramque partem inclinationes habent, & ſi in pejorem inciderint, gravia ſunt omnibus & formidoloſa. Optanda eſt Regno bene moderato

felix

Digitized by Google

felix mediocritas, ut cives non abjecti, turpes aut ignavi ſint, ſed generoſi, probi, induſtrii, Deum timeant, Principem revereantur patriam ament, magiſtratus audiant, leges ſervent, modeſtiam colant, animo ſint à novitate & turbis alieno, in obſequio fidi, & conſtantes. Hoc efficiet optimus princeps, ſi culturæ animorũ ſtudeat, ſi ſpectatos quoſque prælucere exem lis iubeat, ſi præmiis incendat, ſi pravos & deſides pœnis coërceat, ſi ambitus, ſi luxum, ſi odia & rixas ſi languores & pigritiam à civitatibus ableget, ſi artes belli & pacis, ſi commercium foveat, ſi in ſua quoque conditione peritos evadere curet, ſi prudentes, & pervigiles moderatores præcipuis urbibus præficiat, unde omnium actionum ordo & vigor in cæteros emanet.

Ut formandi.

Infelicium exitia populorum minatur inopia virorum præſtantium, quod acutiſſimè Iſaias vidit imminente Iſraelitarum ruina. *Ecce enim* (ait) *dominator Dominus exercituum auferet à Jeruſalem & Juda validum, & fortem, & virum bellatorem, judicem & Prophetam, & ariolum, & ſenem, & principem ſuper quinquaginta, & honorabilem vultu, & conſiliarium, & ſapientem de architectis, & prudentem eloquii myſtici.* Theodoretus incantatorem legit, & Hieronymus intelligit eum qui divinarum literarum ſcientiſſimus, & mulcenti eloquentia populos in recta quæque ſuavitate inclinet.

Iſa 32.

Ex iis videre licet totum Reipublicę robur conſtitui in nobilibus animoſis, & armorum gloria præſtantibus, in Ducibus, Judicibus & conſiliariis, in Sacerdotibus, in ſacris vatibus, ſeu prudentiſſimis futurarum rerum conjectoribus; denique in eruditis & facundis, etiam architecturæ aliarumque artium præſtantia notis. Ex iis autem optimos, diligere qui arcanis Regum conſiliis interſint, Donum Dei præcipuum eſt & maximum.

DISSERTATIO
Quadrageſima ſecunda.

An rebus Civilibus & Imperiis tractandis bene Clerici præficiantur.

In illa verba de Ozia. *Et exquiſivit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis & videntis Deum, cumque requireret Dominum, direxit eum in omnibus.* 2. Paral. 26. 5

Ubi primum oſtenditur Eccleſiaſticos bene moratos miniſteriis Regum perutiles eſſe & glorioſos. Mox cenſorum aliquot qui contra ſentiant rationes proferuntur, quibus poſtremo reſpondetur.

Controverſum & anceps, reciprocantibus (ut ſæpe fit) bonorum & malorum exemplis: Ut præficiantur facit ipſa veneratio dignitatis, facit iſtud cum cæleſtibus commercium, & qui populos efficaciſſimè regit inſtinctus religionis. Deinde vita melioribus diſciplinis exculta, tranquilla mens, eliſis, aut remiſſis affectibus, conſuetudine molliori, benignitas paterna, manſuetudo conſiliorum, quibus mitigari poteſt quicquid in armis ferox, & pacari quicquid in negotiis turbidum. Adde propiores aris ac ſacerdotibus Divos, ac beneficum ex deſtinato colentibus numen.

Quod Clerici bene gubernationi præficiantur rationes multa & denſa.

Jam ipſe qui terrenis fertur expeditus curis animus, nec divitiis niſi multùm inſanit inhians, nec immodici luxus appetens. Ceſſat hîc in filios opes honoreſque digerens avara ſedulitas, quæ minus ſumptuoſa facere debet ipſorum miniſteria,

nec

Digitized by Google

nec fiſco publiciſve commodis formidanda.

Authoritas Sacerdotum apud Antiquos. Denique ſi vacat antiqua reſpicere tempora, idem ferme apud populos ſacerdotes qui reges erant. *Rex Anius, rex idem hominum Phœbique ſacerdos,* (ait maximus vates) quod imitati Imperatores Romani, adhuc gentiles, ſummi Pontifices & dici, & haberi voluerũt. Stetit etiam apud Chriſtianos aliquot principes umbra nominis ſuperſtitione licet irriſa. Sed nihil ferme ubique terrarum ſine Augurum, & Sacrificorum conſilio, domi militiæq; geſtum. Mitiſſima populo Dei ſub imperio Samuelis ſors fuit, quæ poſtea ſub multis regibus atrox & ſæva. Poſtquam deſiere, placuit reditus ad Pontifices, non ſine miſeræ captivitatis ſolatio.

Sed de iis non loquor quibus jus Principatus cum ſacerdotio eſt: Cœteris temporibus, intexti ubique Principum conſiliis ſacerdotes aut Prophetæ, & ferè ſemper præcipui. Elias Samaritanis regibus multa optima, atque ſalutaria ſuggeſſit, licet deſertoribus minax & infeſtus. Eliſæus varia ſub Syriæ & Iſraëlis dominatoribus geſſit. Oziæ lux, & oculus fuit *Zacharias videns.* Ezechiam ſaluberrimis conſiliis Iſaias imbuit, Joſiam Hieremias. Daniel in extero licet regno adminiſter negotiorum fuit Jojadas Athaliam in regiæ ſtirpis ſanguine crudeliter debacchatam de rerum faſtigio depulit, legitimo hærede ſervato, & in patrum ſedem per animoſas artes aſſerto. *4. Regum 11.*

Eadem apud Chriſtianos. Manavit in Chriſtianos mores exemplum Nam Euſebio Nicomedienſi Conſtantinus magnus familiariter uſus eſt, Cõſtantius presbytero, à quo paterni teſtamenti codicillos accepit; Miniſtrarũt ſanctus Remigius Clodovæo, Germanus Childeberto, Dagoberto Audœnus, Arnulphus Merenſis Epiſcopus Pipino, Turpinus Carolo magno, Guido Craſſus qui poſtea Clemens quartus, Ludovico ſancto. Ludovico duodecimo Cardinalis Ambroſius, Ximenes Ferdinando.

Omnes planè à Regum conſiliis & adminiſtratione rerum ſacerdotes arcere, ingenii eſt ſtolidi & malignè contumacis. Is ubique & ſemper ſchiſmaticorum ſenſus fuit, omnem Eccleſiaſticorum vim frangere, omnem debilitare authoritatẽ, quò faciliùs Eccleſiam convellerent. Primi quidem Hæretici ſanctiſſimæ Triadis myſterium diſcerpere conati: Secundi, Chriſti divinitatem cœco impetu & vaſtis viribus impugnarunt. Tertii, ſacramenta & ſacramentorum miniſtros ſacerdotes adorti fœda rabie lacerarunt. *Hæretici principatũ Eccleſiaſticorũ impugnantes.*

Diſplicuit illis anarchiam omni conatu foventibus eſſe in Eccleſia ſummum Pontificem, eſſe Cardinales, Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & ſi qui eſſent, voluere inermes, & nudos, audacium petulantiæ, & facinoroſorum injuriis expoſitos; ſed hæc inſania omnibus færè ſeculis ab eruditiſſimis atque optimis authoribus luculentiſſimè eſt confutata, nec hujus eſt temporis, aut tractatus, perſequi latiùs, aut verboſiùs inculcare. Experiuntur quotidie qui ſub dominatu etiam civili ſupremi Sacerdotis, aut aliquot Principum Eccleſiaſticorum vivunt, jugũ molle, nec acerba tempora, Religionem, juſtitiam, tranquillitatem, pacem quibus commodiſſimè tranſigi res ſolent. Sed (ut dixi) mihi de Principatu Clericorum ſermo nõ eſt, ſed de miniſterio regali, aut civili, cui pleroſque idoneos eſſe judico; cùm tot hiſtoriarum monumentis conſtet eos reipubl. beneficos & ſalutares fuiſſe.

Qui ſacerdotes gubernacula præficiendi. Sed immenſum diſcrimen eſt an aliqui vitæ ſanctimoniâ verendi, & miraculis etiam illuſtres, in aulas quaſi de cælo miſſi veniant peculiari juſſu numinis; an à Regibus

gibus juſſi, aut à populis crebris precibus exciti, & neceſſitate compulſi, ad hæc onera deſcendant, Eccleſiæ piis operibus, & ſolatio miſerorum conſulturi: an prophanis moribus, & nulla virtutis laude commendati, per vim aut ambitum, & callidas artes adrepant, omnia violenter & turpi libidine geſturi. Illi enim reipublicæ graves & regnis omnibus exitiales multas ob cauſas futuri ſunt.

Itaque ſicut in Aula ſancta cœpi nobiliſſimos adoleſcẽtes qui ad ampla meritò aſpirant ſacerdotia ſemel hortari: & forte nonnulli ſunt qui regale iſtud in politicis miniſterium tanquam apicem gloriæ ſpectant, non deſiſtam divinis pro illorum ſalute inſtinctus curis, ſcopulos & ſyrtes, & ingentia animæ pericula quæ illa circumſtant, honoris faſtigia demonſtrare: ut ſi quando ad ſimilia vocentur munia, ablegatis quæ indicabo vitiis, adminiſtrationẽ virtutibus conſecrent. Dicam priùs quæ partim ab inimicis, partim à cenſoribus objici Eccleſiaſticis ſolent, & deinde qua potero breviter æquitate reſpondebo.

Rationes quibus aliqui contendunt excludere ſacerdotes à Miniſterio Regali proponũtur, quibus deinde reſpondetur.

Ajunt imprimis quod S. Auguſtinus de religioſis dixit, de omnibus quoq; Eccleſiaſticis non incongruè dicendũ. Nulli aut meliores, aut commodiores ſunt quamdiu inter ſtatuta, & deſcriptos vitæ limites cõtinentur: at ubi diſſilire & evagari cœpere, nulli deteriores, nocentiores nulli; aberrãt enim à fine, & ordine, *quaſi hoſpites teſtamentorum* (ut ait Apoſtolus) & extorres à vita Dei, *ſpiritus verè inſinceri & vagi, qui poſteaquam terrenis vitiis immerſi ſunt & à vigore cœleſti & terreno contagio receſſerunt, non deſinunt perditi perdere.* De iis exclamat Deus per Prophetam, *Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum? numquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus, ecce igni datum eſt in eſcam.* Ubi fructum facere vitis deſiit, ſoli debetur igni, & ubi Deo dicati homines à ſanctuario receſſere, in ſpiritu & virtutibus aridi, quid aliud expectatur, quàm ultrix divini furoris flamma.

Cypria-nus lib de idolorum vanitate

Ezech 15. 2.

Adde quòd longè perinicioſiores fiunt falſæ pietatis ludibrio, nec immeritò dixit Livius, *nihil in ſpeciem fallacius quam prava religio, ubi Deorum numen prætenditur ſceleribus: plus ſub religionis titulo:* (teſtãte Salviano) *Deum ludimus atrocius ſub ſancti nominis profeſſione peccamus.*

Specimen pietatis facit deteriores.

Livius l. 39.

Salvia. libro 4.

Inde miſeranda abdicatio à numine hominis projecti & deſtituti, *de cœlo cadit* (ait Chryſologus) *in cœleſtibus qui delinquit, & excuſatione caret qui facinus ipſo judice teſte committit.* Ubiq; à cælo & Deo exilium, ubique mens attonita facinoribus, & ſurdo verbere ſæviens conſcientia.

Chryſol. ſerm. 26.

Jam quæ in cæteris hominibus humanos habet limites ambitio, in ſacerdotibus (ut ajunt) qui ſemel à Deo, & à proprio vitæ inſtituto defecere, vaſta eſt, & furioſa. Inſidet quippe iis animis quos Gigantæos appellat ſcriptura, & qui multum de Lucifero referant: ut enim libido in brutis communis & intra naturam eſt: in hominibus obſcænis rabioſa, & novorum ſemper flagitiorum ferax: ſic honorum aviditas quę in civilibus ingeniis deprehenditur, per tritos ſe calles explicat, & ad optatum currit decus. At quæ in Eccleſiaſticis viris, ſive per ingenii verſipellis flexus ludens, ſive prophanæ mentis proſtitutione pudorem abdicans, tendit in immenſum, & eo igne accenditur quo primus ille Angelorum Apoſtata deflagravit; nec impar illis avaritia eſt: ſiquidem (ut objiciunt) ſi qui gubernaculis admoti ſunt ex obſcura aut ſane egente veniant familia, majori conatu incumbunt, ut ſordes domus per grandes divitias abſtergant, & ſuam gentem honore & opulentia ſupra ſidera efficiant cælo licet, & terra

Ambitio vaſtiſſima.

Eccli. 13.

γιγαντώδης ψυχή.

& terra indignantibus. Non ſummas hîc tiaras tango, quibus multa per dignitatem licent, & quas etiam cogitando revereri par eſt. De modicis quoque ſacerdotibus loquor, quibus hic faſtus aliquando tenacius adhæreſcit. *Aſperius nil eſt humili cū ſurgit in altum*, ait venuſtiſſimus Poëta Itaque ad novam & inſolitam dignitatis paventes lucem, non tantum effuſi, ſed (ut queruntur) plerumque etiam ſævi, dum antiqua odere illuſtrium familiarum decora, & neminem ſupereſſe cupiunt, qui ambiguum illis genus exprobret. Atque ut in radice tota vis unde ſe rami, folia, & fructus produnt; ita in iſtis qui ſe novæ nobilitatis capita conſtituunt, omnem dominandi libidinem eſſe oportet, quæ tanta luxurie fæcunditatis poſtea ſpargitur in poſteros.

Sæpè ignari rerum civilium.

Præterea rerum civilium non adeo ſcientes ſunt, & ſæpe mediocribus ingeniis peritiæ figmentis illudunt. Tranſit in ſcientiam audacia, & cum multa ſemper audeant, multa quoque facere videntur. Sed ſi ad hæc munia (ut crebro nobis objectant) nati ſunt, cur ſe aris devovere? ſi minime nati, quid tractant, naturæ injuſſu? ſi ſponte Deo & mammonæ ſervire decernunt, deceptores ſunt, ſi per rationes humanas pauperis familiæ commodis conſulturi, puſilli animi apparent.

Læva mens ſæpè iis qui à clero ad ſæcularem vitam tranſeunt.

Neſcio quæ læva mens eos agere, & comitari ſolet qui à puero functionibus Eccleſiaſticis deſtinati, blanda deinde honorum ſpecie illecti, in res aulicas, bellicaſq; cæco abripiuntur impetu. Quî poteſt aſpirare cæleſtium favor deſultoriis ingeniis agentibus extra ſortem extra vitam viventibus? Et ſi qui ſucceſſus initio læti, vix unquam optato deſinunt exitu. Nec temerè notavit ſcriptura, *In die illo ceciderunt ſacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum ſine conſilio exeunt in prælium: non audierunt Judam & fratres ejus, exiſtimantes ſe fortiter facturos, ipſi autem non erant de ſemine virorum illorum per quos ſalus facta eſt in Iſraël.*

1. Maccab. 5. 6.

Harmenopulus notat, tit. 19.

Toties conſiliorum decreta fulminant, toties patrum clamant oracula cōtra illos, qui ſe negotiis ſæcularibus immiſcent: ſynodus Antiochena eos aperte damnavit, Ambroſius ad Irenæum vehementer exagitavit, *nihil* (inquit) *in ſacerdotibus plebejum requiri, nihil populare, nihil commune, cum ſtudio atque uſu, & moribus multitudinis; ſobriam à turbis gravitatem, ſeriam vitam, ſingulare pondus dignitas vendicat ſacerdotis.* Inde fremunt & indignantur populi, cum litigioſis cernunt implicari negotiis quos à ſæculo Dei providentia diſcrevit.

Quid igitur fieri exiſtimamus cùm non (unam) aut alteram familiam litibus, ſed provincias diſcordiis ac tumultibus miſcent, cùm cædem ſpirant ac flammas, & arſuras trahunt ſuis conſiliis civitates? Sagittarius Ebrodunenſis & Salonius Epiſcopi in Synodo Lugdunenſi dignitate privati, quòd bellare magis quàm orare didiciſſent: Vix iſtud olim contra Infideles toleratum, quamquam poſtea neceſſitas invexit, zelus conſecravit. Sed ſi qui per ambitum & libidinem cruenta movent bella, Deo & hominibus exoſi, regna in ſummum diſcrimen adducunt.

Concil. Lugd.

Invidioſa Clericorum in civilibus poteſtas.

Addunt quòd invidioſa ſit hujuſmodi miniſtrorum potentia, & acerba nobilitati imperia, quæ ſe de hac gloriæ ſede, quam ubique majores tenuere, per irreptitios homines deturbari videt, & agi in præcipitia ac funera, per cœca & violenta conſilia, quibus & ſine honore vita, & mors abſque ſolatio eſt.

Dulciùs Regibus ſerviunt populi, quia illos naſcendi conditio, & divina vis offert: Hos ambitio fere ſemper, & callidi-

tas intrudunt, rempublicam velut alienam gubernant, & tanquam propriam dilapidant. Sæpè etiam (ut notant) ſupra cæteros imperioſi, & crudeles ſunt, quia timidi, & quem habere metum nolunt, omnibus faciunt. Ut in divinis tanquam Dii à Deo rigidè imperare ſoliti, in humanis facilè humanitatem dediſcunt. Stare ſe in alieno ſciunt, quod per amorem teneri poſſe non putant, per ſævitiam occupant. Pigrior eſt etiam in vita cælibe communis ſenſus humanitatis, intentæ læſis in vindictam curę, & hominum rata parſimonia. Tandem, qui cæteros ſollicitat pœnarum timor ſupera inferis miſcente rerum humanarum rotâ in illis excluditur veneratione Religionis, & impunitatis fiduciâ peccant licentiùs. Deinde nullos habēt liberos, nullos Regno relinquunt obſides, in quibus puniri ſe, ſi rem male geſſerint, timeant, in quibus amari ſe & coli ſi ſe navos præſtiterint, lætentur.

Fiduciâ impunitatis fiũt atrociores.

Hęc vulgò jactantur ab æmulis aut non ſemper æquis rerum arbitris: nam quæ hîc objiciuntur, non ſunt vitia profeſſionis, ſed corrupti animi labes & quædam ebullitio cupiditatum. Etenim ſi profeſſionem individuè comitaretur, omnibus ineſſent, nec ullus ab his intactus inveniretur. At quot & quantos licet oſtendere ab Eccleſia graves viros, conſummatæ in rebus politicis peritiæ, vitæque integerrimæ, qui regimen in aula cum illuſtriſſima gloria tenuere: Videre omnibus licet quibus illi gradibus ad hoc decus conſcendêre, ut omnibus grati, nulli eſſent inviſi.

Reſpondetur objectionibus quæ ſupra à cenſoribus Eccleſiaſticorum ſunt propoſita. Quales fuere ſacerdotes qui laudabiliter clavum in aula tenuere.

Certè eos omnes qui præcipua in iſtis muneribus laude ſunt commendati, reperiemus rarâ vitæ ſanctimoniâ præditos, antiquâ probitate, inſigni modeſtiâ, expertes avaritiæ, alienos à faſtu & arrogantiâ, qui cùm magna facerent, vivebāt modicis contenti. Appoſitè hîc memorabo Remigios, Germanos, Audœnos, Arnulphos, proh ſuperi! quales & quantos viros! omnes verendos, omnes ſanctos, qui cum adhuc laici eſſent, æmulabantur gloriam ſacerdotum; poſtquàm ſacerdotes ſunt conſecrati, tranſiêre in decus Angelorum. Erant illi tum regibus in iis quæ ad Deum, *vitæ ſpecula. ſanctitatis exempla oculi cæco. pedes claudo. deliciæ plebis. columnæ cleri, Dii Pharaonum, miniſtri altiſſimi, vicarii Chriſti Domini*, ut loquitur Petrus Bleſenſis. Si qui ſint hujuſmodi, numne votis omnibus optandum ut conſulant, ut regant; ſed nec iſtud unquam niſi intra Deum, atque in Deo & Chriſto facturi.

Reſponſio ad prædicta.

At forte nimis altas premimus virtutes; in viciniora nobis eundum ſecula, & dilutior lux aſpicienda eſt. Ambroſius & Ximenes ſtatim occurrunt, quorum ille Ludovico duodecimo ab intimis conſiliis fuit. Non obtuſus quidem illi ad gloriam ſenſus, ſed cupiditas Chriſtiana pietate tēperata, inter modeſtos continebatur fines. Erant ſine avaritia mores, victus facilis, comitatus ſine ulla prægrandi pompa, ſincera mens, nec multiforme ingenium; Conſiliarium agebat non principem, erga Eccleſiam bene affectus, & toto conatu ſublevandis populorum miſeriis ſemper affixus, ut ejus conſiliis, veriſſimus pater patriæ Rex & audiret, & eſſet.

Alter auſterâ vitâ totam quam à teneris uſurparat religioſitatem, in aulam intulit, ab omni luxu & ſuperbia remotiſſimus, omnium rerum potienti placebat nihil eſſe, ſummos honores, quantum poterat, declinare ſolitus; cum per vim ingererentur lachrymis excipiebat, & rorantes fletu infulas ipſe conſecrabat. Cum eſſet ſummus rerum omnium adminiſter, aut pedes ambulare, aut aſello vehi cupidus, niſi alia ſuperiores imperaſſent. Omnes quos ex opulentiſſimo Archiepiſcopatu Toletano redi-

Digitized by Google

reditus accipiebat, in alendis pauperibus, in gymnaſiis erigendis, in bibliis excudendis, in debellandis denique Sarracenis impendebat. Incertum an vir melior, an ſapientior miniſtr eſſet, qui omnia imperia nec ſibi, nec ſuis, ſed patriæ & principi geſſit.

Vidit quoq; parentum noſtrorum ætas Cardinales Borbonios, Lotharingos, in aula Regum potentiſſimos, non triſti quidem ingenio, & à natalium fulgore alieno; ſed acri, & honeſtarum etiam laudum avido: Excelſa viris mens & lucis ſuæ capax quæ nec appeteret immodica, nec pateretur inſana, & conceſſos civiliter honores ſic haberet, ut ornamentum non tam accipere, quàm dare dignitati videretur. Fuit illis cum hæreticis bellum implacabile, quos volucri vigore ingenii, eruditione magna, pari facundia, & totius authoritatis pondere preſſere, de Chriſti dominio magis quàm de ſuo ſolliciti, ſibi parci, largiſſimi aliis, doctorum omnium Mœcenates, oppreſſorum præſidia, cuncta quæ erant à naturâ & indole amplitudinis jacta fundamenta virtute ſubſtruxêre, & ingenti gloria cumularunt. Quid loquar quem adhuc fere habemus in oculis ſpectatiſſimum innocentiæ, & virtutum omnium exemplar Cardinalem *Rupeſucaldum*? Quid *Gondium* prudentiſſimo pectore, modeſtiſſima mente, cui magnitudo nunquam illuſit, probitas ſemper illuxit. Fœlices omnino ſunt talibus adminiſtris reſpublicæ, regna fœlicia, & ſecula cuivis optanda. At ſi qui ad aulam aſpirant, ſint religione ancipiti, conſcientia aut prava, aut nulla, artibus aulicis nimis inſtructi, ambitione vani ingenio tumidi, inexplebili pecuniarum ſiti, ſuæ amatores rei, perditores alienæ, tunc fœda ſunt tempora, & innocentiſſimis quibuſque formidanda. Ecquid enim mali eſt quod iſti non concipiant, aut conceptum pariant, omnia per temeritatem aggreſſuri, & quæ aggreſſi fuerint vitium fiduciâ perfecturi, niſi conatibus impiis divina ſe providentia interponat. *3. Reg. 1.*

Abiathar ſacerdos res Judæorum placidè fluentes ſub Davide miſcuit, contra Salomonem movit, ſuſcitavit Adoniam quem throno aſſereret, obluctatus divinæ voluntati, & demortui Regis teſtamento. Sedecias Pſeudopropheta admotis ſibi cornibus ferreis immane bellum ventilavit contra Regem Syriæ, ſiniſtris avibus, atque Iſraëlitarum Principis nece, ac cladibus infame. Michæam inſuper ſalutaria pacis conſilia ſuggerentem, contumeliis & verberibus vexatum, habuit in vinculis. Alcimus in Machabæorum libris primus omnium deteſtabili facinore impios atque infideles adverſus fratres & gentem Dei concitavit. Ille qui ſupra memoratus eſt Euſebius Nicomedienſis, vafro vir ingenio, Arianam peſtem in aulam Conſtãtini intulit, Imperatoris ſorore per ſubdola lenocinia ſeductâ. Presbyter ille qui Conſtantino magno per ſimulachra pietatis ſeſe inſinuavit, Conſtantium peſſumdedit, & hæreticorum lue infectum per omnes furias egit.

Quanti mali à pravo ſacerdotum Regimine inventum.

3. Regum 22.

2 Machab. 7.

Photius Pſeudopatriarcha Conſtantinopolitanus imperium dirè perturbavit, ſub Michaële, impio, diſſoluto, atq; ignavo principe: Nam cum ipſe acerrimo eſſet ingenio, & per omnia dedecora corrupto, ſimulatione pietatis in aulam Orientalem irrepſit, Bardæ qui tum omnia poterat, per infimam adulationem cõciliatus. Improvidum poſtea Regem blanditiis & falſis oraculis cepit, à Theodora matre diſiunxit, & Ignatium legitimum Pontificem, Curopalatæ Imperatoris filium vitæ ſanctimoniâ clarum, de ſede detruſum, per omnes contumelias traduxit: donec mu-

De hoc fusè Baronius in Annalibus.

tato rerum ſtatu ipſe urgente Nicolao primo, & agente Baſilio Macedone Imperatore, de rerum culmine deturbaretur. Ecqui annales ſufficerent memorando quæ ab adminiſtris ſacerdotibus impiè atque audacter cogitata ſunt & patrata, dũ rerum potirentur. Quæ res ſuadet nullos admitti niſi pietate integra, ingenio modeſto, continenti vitâ, qui miniſtrare cum cæteris poſſint, & nolint ſupra cæteros imperare.

Hæc ego ingenua libertate diſſerui, quod apta huic inſtituto, & nobiliſſimę juventuti, quæ ad aulas aſpirat, non inutilia eſſe exiſtimarem: Nec tamen vetera carpens decora, nec obſtans novis, nec ullius gloriæ obicem ſtructurus. Nunc enim aulicarum expers curarum, & ſenex, & Deo vicinior, parùm curo in qua manu ſit mũdus, modò totus in gloriam Dei, & Regis populique ſalutẽ cedat. E re tamen Chriſtiana eſſe arbitror propter rationes initio allatas, in intimis Regum conſiliis eſſe Eccleſiaſticos bene moratos, ſcientes rerum, pietatis & juſtitiæ cultores, qui Regi fideliſſimi ſint, & populos eximia charitate complectantur.

Addam etiam illud quod ad Monarchiam iſtam ſub qua vivimus, & ad tertiam hanc proſapiam quam dominantem veneramur, propiùs ſpectat, ſæpiſſime illi miniſtros rerum fuiſſe, ex clero allectos, aut qui planè religioſos ſenſus haberent.

Aurelius. Sub Eudone qui Regnandi Capetis principium fuit. Anscherius Pariſienſis Epiſcopus, Cancellarii Franciæ partes egit. Hunc in eodem munere, & ſub eodem Principe conſecutus eſt Eblon Pictavienſis, Abbas S Dionyſii, & Pariſinæ Decanus Eccleſiæ. Sub Roberto primo & Raulpho, Seulphus Archiepiſcopus Rhemenſis clavum non impigrè tenuit. Sub Hugone Capeto Buchardus adminiſtravit, religioſis plane moribus, ut qui poſtea in Monaſterio S. Mauri Abbatis Cœnobitam eſt profeſſus. Sub Henrico primo Godefridus regimen obtinuit, qui Monachum in Cœnobio S. Nicolai Andegavenſis egit. Sub Ludovico VI Stephanus Gurlandus Archidiaconus Pariſienſis, Aurelianenſis Decanus, & Epiſcopus Bellouacenſis deſignatus, ad gubernaculum ſedit. Sub Ludovico Septimo Suggerus Abbas S. Dionyſii non modicè civilia tractavit, ſed abſente Rege totius Regni moderator ac Regens, ut vocant, eſt effectus. Sub Philippo Secundo Gulielmus Bleſensis Archiepiſcopus Rhemenſis, & Cardinalis legatus plenam regni adminiſtrationem habuit in manibus. Sub Ludovico Octavo Guerinus Eques Sancti Joannis Hieroſolymitani poſtea Sylvanectenſis Epiſcopus miniſterium occupavit. Sub Philippo Audace Matthæus Vindocinensis S. Dionyſii Abbas Regens totius Regni Franciæ à Rege eſt conſtitutus.

Quid loquar ſub Carolo VIII. Cardinalem Brissonetum, Ambrosium ſub Ludovico XII. Ossatum ſub Henrico IV. De poſtremis nihil dico, nec in aſſentationem pronus, nec ad convicium dicax. Quis poſt tantam teſtium nubem viros Eccleſiaſticos à regiis, & quidem civilibus miniſteriis ſubmovendos exiſtimet? ſi modo moribus integris, peritiâ rerum inſtructi, & erga regni populorumque utilitatem ſinceris animis affecti fuerint.

DIS-

Digitized by Google

Diſſertatio Quadrageſimatertia.

Quòd multitudo ſapientium juxta Salomonem ſanitas ſit orbis terrarum, nec uni gratioſo omnia ſemper bene committantur.

In hæc verba. *Erat autem Salomon regnans ſuper omnem Iſraël. & hi Principes quos habebat, Azarias, Eliboreth, Abiat*, *Joſaphat*, *&c.* 3. Reg. 4. 1. & ſeq.

Salomon regũ ſapientiſſimus non unum è miniſtris rebus omnibus præficit; ſed miniſteria in multos diſpenſat. Prima ars Tiberii ad unum referri omnia.

DIVISIT curas & authoritatem in plures, Regum ſapientiſſimus. Non placet hoc per nova & avia Philoſophantibus qui in unum omnia volunt refundi Non hîc de Imperio loquor in ſtatu Monarchico, cùm res liquidiſſima ſit penes unum Regem illic omnia eſſe oportere; de miniſterio mihi ſermo eſt, quod partitione in plures temperari politicorum prudentiſſimis placet.

Non ignoro quidem alia fuiſſe Saluſtii ſub Tiberio documẽta, quem poſt Agrippæ cædem adhuc nutantem, & Auguſti veneratione territum, monuit: *Ne principatus vim reſolveret ad ſenatum vocando, eam conditionem eſſe imperandi, ut non aliter ratio conſtet, quã ſi uni reddatur.* Nec mirum ſi hæc tam præpoſtero dominatori ſuaſerit, ſed dolendum quòd habeat ſectatores qui omnia uni committi ab uno Rege, è re omnium eſſe exiſtimant.

Reclamat auguſta mens Ludovici Regis qui magnis eruditus experimentis. jam veritati, jam cælo propior, moriendo aliter cenſuit. Reclamat qui nunc eſt, apud nos, dum hæc ſcribo, rerum ſtatus, ubi Regis, & Reginæ, Principum, Miniſtrorumque omnium concordes curæ ſubveniunt rebus feſsis.

Rationes quibus unus & ſummus miniſter aſſeritur.

Sed objiciunt rariſsimas dotes eſſe oportere in iis qui maximi, & potentiſsimi Regni clávum tenẽr, acerrimam vim ingenii, rerum penè univerſarum notitiam, prudentiam quæ Prophetiæ vires agat, curas perpetuo motu vigiles, celeritatem quæ fines ſtatim principiis annectat, fidem quam nullæ machinæ concutiant, denique ſolertiam, dexteritatem, eruditionem, facundiam; præſtantem etiam corporis ſpeciem, & ſupra omnia authoritatem. Et ubi hæc omnia deprehendas, niſi in viro ingenti, quem tanquam Phœnicem vix annus quingenteſimus æſtimarit? Adde quòd inter multos ardens æmulatio, & diſcordes animi, conſilia diſtrahunt, & optima quæque negotia córrumpunt. Deinde arcana quæ vulgantur pluribus, eſſe deſinunt quod fuere, & perit robur imperii fatali linguæ laſciviâ quæ in tot conſultantibus vires ad nocendum auget, minuit ad cavendum.

Contra ſentit Ariſtoteles.

Ariſt. l. 5. Polit.

Κοινὴ φυλακὴ πάσης μοναρχίας τὸ μηδὲν ποιεῖν ἕνα μεγαν.

An valde ſubtilia ingenia & acria ſint imperiis apta.

Sed quibuſcumque hęc opinio ſtruatur artibus, inimica menti eſt, & ſaluti. Vidit Ariſtotelis perſpicaciſsima mens cum dixit Politicorum quinto, *cavendũ eſſe principi, ne unum quempiam ſupra cæteros hominũ magnitudine efferat, & totã illi regni curã cõmittat. Sed in plures imperia, dignitateq; dividat, ut alii alios obſervẽt.* Quod verò de illius capaciſsimæ mentis quam quinq; vix edant, ſæcula præſtantiâ dicũt; hoc ipſum Philoſophorum ſapientiſsimo repugnat, qui ubi de regno firmando diſſerit, ſi præfici quemquam (ait) imperiis oportet, eum eſſe deligendum, qui non audaci ſed miti ſit ingenio. At manſuetudo, Platone teſte, nullum habet cum celerrimis iſtis animis commercium. Omnes enim opinione peritiæ tument, & *ſtare appetunt* quòd dixit Seneca *ubi ſit trepidat*. Nec immeritò Thucydides acri vir judicio, Rempublicam à mediocribus inge-

Pla. in Theatteto. Thucid lib 3. ingeniis longè perfectiùs adminiſtrari cēſet, quàm ab iſtis excellentibus ambiguorum hominum qui cùm capere omnia velint, ſeipſos nunquam capiunt. Diſcrimen autem opinionum diſcordia non eſt, quā ipſi fingunt, ſed decor & ſalus. Sic enim Deus mundum (ut loquitur ſanctus Auguſtinus) etiam ex antithetis honeſtat.

Pugnantia loquuntur adverſarii

Aug. apud Proſp. in ſentent.

Adde quòd pugnantia loquuntur illius immenſæ poteſtatis aſſertores: Nam ſi tot dotes imperiis gubernādis neceſſariæ, melius in congeſta plurium luce quàm in una face nitent. Quaſi verò in ampliſſimo regno inveniri non poſſint tres aut quatuor viri, fide, prudentiā, moderatione præditi, arcanorum etiam tenaces, cum quibus Princeps maxima quæque negotia conferat, & cogatur in unum omnia refundere, ut ſeipſum exhauriat. Diviſit curas Alexander inter Parmenionem, Craterum, Epheſtionem. Auguſtus inter Agrippam & Mecænatem. Tamerlanes domitor orbis, inter Odmarum & Axallam: nemini magno placuit facere maximum.

Rationes quæ unius gratioſi ſummam poteſtatem diſſuadeant.

Multa ſunt autem quæ iſtud ſuadeant, quorum longe primum eſt ordo divinus, qui principibus ſive naſcendi conditione, ſive delectu, poteſtatem tribuit, non ut eam omnem in Vicarium transferant; ſed ut ipſi negotium ſuum agant, partitis in plures officiis, & curis, de quibus poſtea rationem exigant, nunquam vacui, ſed in omnes intenti.

Authoritas divina. *Exod. 18. 21.*

Sic enim Deus cum cerneret Moyſem gravi negotiorum pondere æſtuantē, hûc ut recrearet non in unum aliquem ſuas transferri vices ſoceri conſiliis juſſit, ſed in multos. *Provide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam.* Non ſolus inter conſiliarios Davidis Achitophel, quanquam de illo dictum, *conſilium autem Achitophel quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum.* Cum talis & tantus eſſet, temperabatur florentiſſimi æmuli virtute, Chuſai inquam illius, qui nimiam ejus potentiam in rebus adminiſtrandis prudentia & æquitate mitigaret. Tandem is qui Deus inter homines habebatur, perfidioſiſſimè dominum prodidit & perduellem filium per dira & horrenda conſilia excivit in patrem, dignus qui laqueo tam feralem abrumperet vitā. Salomon quoque non uno Nathane cōtentus, licet Propheta & politicarum rerum ſcientiſſimo, ſed Sadochum, & Bananiam, ad maxima quæque imperii negotia frequens adhibuit.

2. Reg. 16. 23. *Reg. 3. 1.*

Ratio à tam magnis imperiorum momentis quæ unius conſilio verti non niſi periculoſe poſſunt.

Tam magni momenti res eſt tractare rem, ſalutemq; mortalium, ut nō uni permittenda ſit capiti, in hac imbecillitate & inconſtantia humanæ naturæ, ſuo ſemper pondere in deteriora fatiſcentis.

Rex qui nihil de regno alienare poteſt, nō debet ſe ſuo populo ſubripere.

Regna ſunt decora principum, ſed principes columnæ populorum. Si illis incumbit regi, his regere; nullam alienare regni partem poſſunt, non provinciam, non urbem, non pagum, quanto minus ſeipſos populis ſubtrahere, bonum inæſtimabile, ſi boni ſint? Plerique negotiorum ſtudio & amore ſolitudinis abdicarunt, nunquam tamen licuit illis extraneos ſufficere, ſed fratres, aut cognatos, qui proxime ſequerentur. Nullus ſalvis conſcientiæ legibus. & propitiato numine, tam ſacram hæreditatem alteri diripiendam tradet, cùm ipſe gubernandam ſuſceperit; ſi facit, reſolvit cœli jura, nec quæ ſunt terræ cuſtodit. Sic enim perit ſimilitudo Dei, mundum per ſe primò, & non per ullum vicarium ſine ſua ipſius cura, & providentia gubernātis Perit illa ſublimis, & tanto ambitu laudata monarchia, dum pro uno, duo conſurgunt in Regno capita, & penes unum umbra, & nomen, penes alterum honor & res. Ipſe qui à Deo commiſſus eſt populus

lus deſpicitur & violatur, dum præter divina fata in alterius dominium tráſfertur, qui charitatem non habet regendi, cùm tamen conſumendi perverſam habeat poteſtatem.

Aptiſſimè ſanctus Ferrandus diaconus adReginum *Quid miſeros juvat ſi Rex habeat continentiam, & alius ſibi de poteſtate illius occaſionem faciat avaritiæ ſatiandæ.* Durum onus ſubditis, cùm authoritatem illam regiam, pretioſiſſimum cæli munus, inter inquinatas vident ſpargi manus, quæ injurias juſtitiam vocant. Quis ferat hâc authoritate veluti ancipiti gladio ſævientem, cùm vix ferant ſic etiam beneficia largientem?

Perit charitas erga dominos, cum dominari quòd facillimum putatur in rebus humanis, ipſi faſtidiunt, & domitis cervicibus imponunt eos qui amare neſciunt niſi quos vorare poſſunt. Nõ eſt fas marito uxorem amico proſtituere, nec principi deſponſatam auguſto fœdere gentem alienis manibus violandam per gubernandi ſpeciem, ſi ſapit, objicere.

De publico decidit quicquid uni prolixius impenditur.

In omni ferè hominum communitate nocet, ſuperiorum in unum quempiam profuſa & vehemens inclinatio, quia de publico decidit, quicquid uni prolixiùs impenditur. At hoc in regnis longè pernicioſius eſt; ubi unius ſæpè dignitas omnium contumelia eſt.

Inde murmur, & querelæ, & fremens indignatio nobilium fermè omnium, quãdo deſpectis conſultis prudentium, & fortium vulneribus, Unius fortunæ generis humani ſanguine litatur: Nec reverentia magiſtratibus conſtat, nec fida erga regnãtes obſequia, cùm per alienos regnatur, eoſque inviſos. Igne & ferro extorquendum quod jubetur, cæde magnanimorum, oppreſſione miſerorum, & regni vaſtitate.

Regiæ perſonæ iſtud exitioſum ob multa.

Jam quod caput eſt, Rex ipſe maximam veneni partem bibit. Omnem enim famam pretioſiſſimum dominantis ornamentum decoquit. Si prudens, ſi ingenioſus, ſi induſtrius, omnia in abdito ſunt. Premitur ſervi gloria Dominus infœlix & ſi quid bene geſtum eſt, primam & ferè ſemper totam ille occupat laudem: Si quid male, patitur hic detrimenta, & ruinas, per ſuorum capita, per ſua petitus membra. Exuitur paulatim imperantis authoritate, & neſcio quid per dies ſingulos de corona decerpitur.

Miſeranda conditio Regis qui multorum ſapientiſ conſilia refugit.

Sic enim ſe habet aulicorum ars & prudentia, ut undecumq; radii poteſtatis fulſerint, in eam transferantur. Abjectum patiuntur qui ſe abjecit, & veſtiri ab alio malunt, quam cum eo exui. Emũtur à gratioſo innumerabiles ſervi heri pecuniâ, heri opibus ſurgit fortuna, quam qui fecit miratur, & pavet deſtruere quod ſtruxit.

Nec tuta jam ſpoliato libertas, undique emiſſariis atque etiam emiſſitis cingitur oculis, qui ſpectent quid loquatur, quid agat, cui compatiatur, cui arrideat. Non tã vigili draconum cuſtodia ſeptum olim vellus aureũ, quàm ſtipatur hic obſervantium inſidiis. Omnes oculorum nictus, omnes frontis numerantur rugæ, omnia deferuntur verba.

Ille vero qui ſemel cœpit inſanire, nullum vecordiæ facit modum, arces, navigia, pecunias, imperia, viros, arma, omnia tenet, omnia poſſidet, hiantes ubique ſuorum ſatiat cupiditates, ornat præfecturis, cumulat honoribus. Nihil ſine illo obtinetur, nihil niſi ab illo petitur. Quicquid terræ quicquid maria habent, aut conſpicuum aut munitum, hoc illi ab iis quos regiis gazis emit, vigilantiſſimè ſervatur.

Grande diſcrimẽ.

Ubi aſcendi jam non poteſt, omnia in faſtidio ſunt, & facile contemnitur à quo nihil

nihil jam poteſt ſperari. Æs debitorem leve, grave inimicum facit. Quædam beneficia cùm accipiuntur, placent; cùm tenentur, benefactorem odere ipſi quibus adorare ars fuit. Nemini vult debere quiſquis plurimum poteſt, non tam cogitat de gratia referenda, quam de fortuna ſibi firmanda. A quo timere quid par eſt, ut nihil timeat providet. Securitatem ſuam præfert venerationi principum, & ſi quæ ſuſpicio alienati ab eo animi, prævenire mavult inſidias, quam expectare. Per omnia fertur horrenda quiſquis impos ſui, na turam dedidiſcit ſortis indulgentiâ. Nihil tam auguſtum quod non calcet, nihil tam ſactum quod non violet, ſtat cuncta perimere ne occumbat. Cum te illi & tua tradideris, in ejus arbitrio eſt non tantum ut imperes, ſed ut vivas.

Quàm rara probitas eſt cum ingenti fortuna, & quis par eſſe poſſit tot ſollicitantibus ſtimulis, ſive metum incutiant, ſive irritent gloriæ libidinem, dum optat; dum cavet, ex amico ſæpe fit inſidiator.

Quàm multi gratioſi Regibus ſuis formidabiles.

Quàm multi tandem ſuiſmet Regibus evalere formidandi. Sejanum horruit Tiberii cauta ſenectus; & tot cædibus exercitata, ac nonniſi trepidando diruit, qui mole magnitudinis omnes oppreſſerat. Ille ipſe Stilico Honorii deliciæ, quem patriæ quem Imperii patrē appellabant, cujus ora deoſculabatur in ceris Roma, cujus trophæa erigebat, cujus vix numerabat thriumphos, poſtquam in domum Auguſtam per conjugium irrepſit ſocer habitus principis, de imperio invadendo cogitavit, & omnia illi in ſuo faſtigio proclivia fuere, niſi pupilli fælicitas magis quàm virtus ferrum occupaſſet.

Tac. Annal. 3.

Zozim. Marcel. Iornādus

Eodem tempore orientem iiſdem artibus agitabant Eutropius, & Rufinus, ambo inerti juventæ Arcadii ſubrepentes, cum eos æmulorum factio proſtravit. Ante iſtos innotuit Plautianus potentiſſimus ſub Severo, jam Romano orbe compoſito Plautillam filiam Antonio Caracallæ deſponſavit, ipſius Imperatoris filio, & tantum annumeravit dotis, quantum quinquaginta reginis ſatis eſſet: Nec ſtetit hîc ambitio, dum ſceptrum, dum coronas agitat, interficitur à genero. Petrus de vinea ſub Friderico II. de mendico notarius, de notario Judex, de Judice Miniſter Imperii, ſuſque deque movens omnia, authoritate grandi, cenſu inæſtimabili, jam Domino formidandus, ejus juſſu poſt tantam lucem privatus oculis. Mox impar animo, fortunæ ſævienti, alliſo ad ſaxum capite ſpiritum magis expuit, quàm emiſit.

Spartianus.

Fac nihil ab iſtis timeri, quos timendos omnibus poteſtas fecit. Inde tamen à ſubditis rebellionum ſemina, & ſæpè quem in unum præter fas propenſiorem vident, omnes deſtituunt. Si qui in officio retinētur, facit hoc metus, non amor; occaſionem expectant, & vim prævalidam conſpirantium: poſt hæc motus, & bella civilia, omni ævo deteſtanda Dum unus petitur, dum retinetur, dum pulſatur. dum defenditur, itur per calcata civium corpora, per fœdam regni lacerationem, exitiumque regnantis. Totam Ægyptum ſuſq; deque miſcuit dilectus à Philopatore Agathocles, cum ſorore Pſaltria, nec repreſſus furor, antequam hæc cruci cum matre ſuffixa, ille gladio confoſſus occumberet. Haganonem noſtræ ſatis loquūtur hiſtoriæ, quem mediæ ſortis hominem cum interioribus conſiliis Carolus ſimplex adhiberet, conſecuta principum defectio, & audaci facinore exuto, Rex ſuffectus, quē ſola vis cæleſtium de occupata per tyrannidem ſede dejecit.

Polyb. & Iuſtin.

Nullus numerandi finis, ſi omnia nobis exempla percenſenda. Tam clara res eſt, ut

Digitized by Google

ut pene ſolis radio ſcripta videatur; nihil æque peſtiferum regnantibus quam ſibi pares facere, quos poſtea ſuperiores habeant; ſi tamen imperitiâ fecerint, monet iſtud Ariſtoteles diffui magis quam abrumpi, & paulatim minui viribus prævalidos. At verò ea ſæpe incidunt tempora, quibus niſi repente occurras improvidis, periculoſæ plenum opus aleæ ſit, id paulatim tentare, quod niſi raptim poſſis efficere.

Quid facere debeant Principes qui jam uni omnia credidere juxta Ariſtotelem.

Duram fortaſſe quis dicet legem Principibus ſcribi, ſi nullum debeant extra cæteros diligere, & cum omnia habeant, ſolâ careant amicitia, ſuaviſſimo totius vitæ condimento. Imò triſtes & miſeros judico ſi non ament, miſeriores ſi perditè. & ſi ſine remedio, miſerrimos. Amor fere omnis qui intra ſenſum & naturam eſt, voluntaria quædam à ſe peregrinatio, quo ſi regnantes impediti teneantur, neceſſe eſt eos à ſe extorres vivere. At quis exilium ferat in eo quem non tantum intereſſe, ſed præeſſe oportet tali regno, tot populis, tot cauſis. Si amare præſtat, amet, non ut bruti homines, ſed ut Semi-Dei. Regat affectum ratio, & caſtis facibus accendat, ſi hoc præſtare non poteſt, & cæco ſe abripi ſentit impetu, hoc ſaltem obſervet, ut nullam negotiorum partem attingat quem ſenſerit à ſe præter modum amari.

Quomodo amare illis conveniat.

Hæc ego juxta Antiquorum placita de theſi dixi, ad hypotheſin autem, & tempora noſtra devenire, non eſt inſtituti mei.

* * *

DISSERTATIO QUADRAGESIMA QUARTA.

De Conſiliariis.

In hæc verba. *Infatua quæſo, Domine, Conſilium Achitophel.* 2. Reg. 15. 31.

UNius igitur ablegato Gratioſi dominatu, reſtat in plures onera partiri: Nõ temerè majores noſtri, curias, ſenatus. & ſecretiora primariorum hominum conſilia eſſe voluerunt Audiri quidem ea præſtat à Rege, quantum lex & res, & tempora expetunt; quamquam nihil vetat è principalibus miniſtris, tres aut quatuor ſeligere, cum quibus ea quæ diverſè fuerint agitata, definiat.

Tres aut quatuor miniſtri.

Quales autem eſſe debeant operoſum dicere, & operoſius quod dixeris, invenire. Videat Princeps unde veniant, à quibus, & qua mente proponantur, aut commendentur. Primum fugiat quaſi rerum & conſiliorum peſtes, eos omnes, qui nimis affectant regere, qui ambiunt, qui adrepunt, qui ſe callidis artibus inſinuant. Ex hoc enim liquet eos vaniſſimæ mentis afflatu impelli & publico quaſi turbines imminere: Nec minus vitandi qui ſpecie recuſantium, flagrantiſſimè cupiunt, prædicari ſe callidiſſimis inventis ab aliis curãt, deinde compoſitâ in modeſtiam fronte detrectant quod vehementiſſime ſitiunt, ut quaſi obluctantibus videatur ingeri. Sic enim per regreſſum involant in prædam. Ii ſunt de quibus veritas dixit: *veniunt in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.*

Qui cavendi.

Matth. 7. 15.

Lethiferi omnes illi ſunt qui tument, qui magna promittunt, aliorum contemptores, ſui admiratores perpetui: Qui no-

Qui pernicioſi.

Digitized by Google

va ſidera, novas artes ſe deprehendiſſe jactant, quibus Rempublicam tractent, augeant, fœcundent. Et tū magis formidandi ſi ad exilem quandam eruditionē mentiens oris honeſtas, & lenocinia verborum acceſſere. Tunc enim mediocribus hominum ingeniis velut per magorum ludibria periculoſius inhiant, & capiunt incautos. Hæc mortalium rerum imbecillitas ut ficta plus ſæpe placeant, & improvidas mētes feriant ictu validiori quàm quæ ſincera ſunt. Auro ficto, fictis floribus, illudens oculis pulchritudo ſupra naturam luxuriat. Et ſimulata permultis arridet ſapientia, cum magno faſtu atque ambitu ſe explicat, aut celeri fertur curſu, obvia quæque tranſvolans.

Qui omnium deterrimi.

At verò pernicioſiſſimi ſunt omnium, quibus religio in ſpeciem, conſcientia impura, cavernoſa mens, & per inextricabiles intorta labyrinthos; & qui ſuperbia, ambitione, avaritia, quaſi ſuis elementis coaluere. Omnibus enim propria utilitas numen eſt, vile publicum decus: Etſi gloriam regnantis, populorum commoda, fidem, & ſinceritatem millies ubique perſonent: tum minus audiendi, cùm magis ſpecioſa pollicentur. Chriſtiani hoc munus eſt (ait Cyprianus) non magna loqui, ſed vivere. Et quidem docere factis, tota eſt norma diſciplinæ.

Quomodo dignoſcātur veri Conſiliarii.

Ubi ſe quidam Principis ſtudioſiſſimos, & publicæ felicitatis amantiſſimos prædicant, videndū quid domi, quid ruri, poſſideant, quæ oppida, quas arces, quas præfecturas, quas terras, quæ maria teneant, quantum arent, quantùm ædificent, quam familiam, quas clientelas, quantam auri atque argenti vim, quantam margaritarum, veſtium, tabularum copiam obtineant, quos honores gerant. Et tunc ſi ſe amatores Principis profiteantur, non eſt mirum; Nemo eſt enim qui hoc pretio non amet.

At ſi modicis contenti rebus, graviſſimos ſuſtineant labores, & ſe ſuaſque fortunas pro ſalute dominantis, & regni incolumitate devoveant, tum votis omnibus amplectendi, & quaſi lapſi de cælo homines ſuſpiciendi ſunt.

Prima lex conſultantium probitas & fides.

Hæc igitur prima conditio eſt virtuſq; miniſtrantium, ut ſint pii, & fidi, & probi, non cæremoniarum ambitione, ſed ſinceritate conſcientiæ. Si peritia ſine probitate fuerit, imitatur opera dæmonum, qui facere videntur admiranda, ſed iis ipſis quibus placent funeſta. Nihil extra Deum bene geritur. Et ſi quæ prima ſpecie fulgent oculis, ignes fatui ſunt, qui trahunt in ruinas & præcipitia.

Quæ ad probitatem debeant accedere.

Ad mores bene compoſitos cætera feliciùs accedent. Nec abs re fuerit rationem habere natalium, quia multum apud omnes gratiæ conciliat prima quæ in hominibus eſt naſcendi felicitas. Emergunt citius majorum virtute commendati, cæteros alta nox premit, quam non niſi magnarum virtutum fulgore diſſipent. Juverit etiam patriam, amicitias, conſuetudinem, anteactam vitam, ſtudia, res geſtas, famam, animi conditionem, & corporis ſpeciem intueri. Nimis elati & arrogantes, ſæpe inutiles & ſumptuoſi, nimis tenues & abjecti oneri ſunt & contemptui.

An eruditi.

Multùm commendationis habet eruditio, ſed niſi acri judicio temperetur, ſpecioſa inſania eſt. Quàm ſæpe ſuis ipſorum cogitationibus & inventis obruuntur illi muſicii, omnia norunt, omnia loquuntur, præter id quod agitur. Oſtentare ſe cupiunt, cùm quid proſit non poſſint oſtendere. Certè debent qui conſulunt, eſſe multarum rerum notitiâ clari, & exquiſitæ in ſuo munere experientiæ; Sed caveant ne extra chorum ſaltent & extra rem dicant. Ubi ſe probitati, atque generoſiſſimæ origini habilitas, magnæq; capa-

Digitized by Google

capacitas mentis intexuit, plurimum afferent authoritatis penes quàm miniſterii totius robur eſt atque victoria.

Quales in officio exercendo

Iam cum in actum venerint, ſint vigilantes, laborioſi, infatigabiles, in conjiciendo ſagaces, in deliberando moderati, in exſequendo expediti, facundi magis quam verboſi, & prudentiores quàm acuti: Nam quod ſapienter dixit eruditiſſim' Lipſius ſubtilia quæque & ignea ingenia in aſſiduo motu ſunt, novandis magis quã gerendis rebus aptiora. Vnam habeant avaritiam in parſimonia temporis, unam ambitionem pro gloria Principis. Nec tamen eius benevolentiam quiſpiam præter cæteros inſidioſus aucupetur, & ſecreta per ambitum tentet colloquia, iam altam & prægrandem ſui menſuram concipiens. Omnes qui Regibus famulantur imitari debent ſtellas circa ſolem de novo deprehenſas, ſolidæ ſunt, ut eius lumen excipiant, fideles ut transfundant, amantiores Solis quàm ſui, videri nolunt, ut per eas ſol videatur.

Ars divina conſulere.

Τὸ βουλεύεσθαι τῶν περὶ τῶν ἀνθρώπων θειότατον. Ariſt. in Rhet. ad Alex.

Ars autem maxima, & ut Ariſtoteli placet diviniſſima conſulere: nec immeritò etiam qui luce fidei caruerunt, ſuſpicati mentem quandam ſolutam, & liberam ab omni concretione mortali, omnia ſentientem, & moventem quæ eſſet optimorum conſiliorum parens. Et certè nemo in iis ſuggerendis eximius ſine quodam afflatu numinis. Iacent enim hominũ ingenia torpore quodam obſtricta, niſi benefici ſpiritus radiis illuſtrentur *Cogitationes mortalium timidæ* (ait ſapiens) *& incerta providentia voſtra. Corpus quod corrumpitur aggravat animam, & terrena habitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Vnde præclarè ſanctus Thomas humanorum actuum duplicem ſtatuit regulam, unam proximam quam rationem appellat, alteram primam, & excedentem, quæ ipſemet Deus. Mirandum planè quod habet Ptolomeus in Centiloquio, *cum is qui conſultat numen, melius ſcrutabitur, inter id, & eius formam nulla differentia erit*, quo planè indicat, de arduis rebus deliberantes Deo applicari oportere per intimam ſimilitudinem.

A prima mente. conſilia haurienda. Sap. 9. 14. S. Th. 1. 2. q. 18.

Ptol. in centil.

Periculoſè mala etiã malis Principibus ſuadentur.

Prima igitur lex conſulentium ſit, ad primæ mentis conformari legem, nihil impium, nihil iniuſtum, nihil crudele, aut laſcivum ſuadere, velificando cupiditati, aut libidini Principum: Nam quos habuerunt criminum impulſores, ubi ad bonam mentem rediere, deteſtantur & peſſimè habent, nec inultos divina Nemeſis patitur. Ingreſſus Phalaridis Taurum ipſe qui ſuaſerat Perillus, Cramerum incentorem adulteriorum Henrici octavi Anglorum Regis vindices flammæ abſumpſere. Broſſam infimæ ſortis hominem, quem Philippus audax interioribus conſiliis adhibitum, perfidioſum ſuaſorem habuit, infamis laqueus abſtulit.

Obſcura tempora & ancipites caſus. Quid in iis faciendum.

In ancipiti laboratur, cùm is qui dominatur, conſultat de rebus peſſimis, quas probari, & ſtatui à conſiliariis cupit. Si reſiſtitur, periculum eſt, ſi tacetur, infamia. Delicatiſſimi ſunt imperantium ſenſus, & tum maxime cùm ira, odio, aut pravis moribus accenduntur. Non obluctandum quidem illis ferociter & protervè, ne acriùs excandeſcant. Sed neque turpiter aut etiam molliter cedendum, ne graviora morte dedecora contrahantur. Ingens negotium cùm Neroni matris cædem quam iuſſerat, opperienti, nuntiatur euaſiſſe. Ille pauore exanimis, & iam iamque affore obteſtans, vindictæ properam, Senecam & Burrhum acceſit de patrando ſcelere deliberaturus. Longum hic (ait Tacitus) utriuſque ſilentium: Seneca hactenus promptior reſpicere

Conſultatio Neronis.

 Bur-

Burrhum,ac ſi ſciſcitaretur an militi imperanda cædes eſſet.Ille prætorianos toti Cæſarum domui obſtrictos, & memores Germanici nihil adverſus progeniem ejus atrox auſuros reſpondit. Vterque vir bonus,uterque divertendo, immane nefas abrumpere cupiebat,ſed concuſſi vultum Principis expauere,mollioribus adorti atrocia meditantem.Ignoſcendum humanæ miſeriæ: Nempe illæ ſunt mortis portæ de quibus loquitur Propheta, quas vix ulli vident impavidi, nulli ſane *Pſal.9.15* niſi Deo freti ſuperant.Quanto illuſtrius Thomas Morus,& Ficherus rugienti ſe leoni oppoſuere,afflicta fortuna,ſed virtute invicta:Indigniſſimi hominum ſunt illi palpones,qui leges divinas,atque humanas flexibiles trahunt ad potentium nutus,& dum conſuluntur,ſuſpenſa reſpondent, & quo ducantur expectant, in omnem infamiam pro ſuis utilitatibus ituri.

An à rectis conſiliis deſiſtere oporteat,ſi irrita putentur futura.

Vnum illis & commune perfugium, quod ſi vera dixerint, ſint irrita ſuaſuri. Non quærit hic Deus an irrita dicamus, ſed an recta.Nobis noſtra conſcientia liberanda eſt,illi ſucceſſus rerum curæ. Sæpe tempora incidunt,ubi nulla extat alia gloriæ materia,quàm perire. An ubique incolumes,vbique fœlices ſunt qui ſceleribus ſerviunt?Nunquid Burrus, nunquid Seneca,immanitatem Neronis evaſere?Felicius tum occubuiſſent, cùm de materna deliberaretur cæde.Stabit ad tribunal ſummi iudicis contra tot infidos

Papiniani conſtantia.

Chriſtianos Papinianus:Ille furentes Caracallæ vultus ſubiit,toto ſe corpore tyrannidi oppoſuit,extrema omnium pati maluit,quam excuſare facinus,& veritati per ambigua reſponſa,aut molles affa- *Herod.l.4* tus illudere. At quam multi Themidis, quam multi ſacrarum ſcientiarum antiſtites ſe rerum potientibus proſtituunt, & ut ad gratiam loquantur,gratiæ renuntiant. Miſeri qui nodia implicant,& illuſtria confundunt , ut poſſint ſolatium conſcientiæ de Sophiſtarum cavillationibus meditari,quaſi quis poſſit cum ſapientia inſanire:

Poſt turpia conſilia periculoſa fugienda.

Poſt turpia nihil æque fugiendum, quàm quæ audacia,&in temeritatem itura.Conſilia nempe callida(ut ait Titus Livius) primâ ſpecie læta ſunt, ſed tractatu dura,& ſæpe etiam eventu triſtia. *Sero mo lunt Deorum molæ* (ut eſt in græca parœmia,& quo altiores ſtellæ eo motu tardiores ſunt.Nihil poteſtas tranquilla præcipitat *rata ſcelera impetu,bona conſilia mora invaleſcere.* Diu ſaltem deliberandum eſt quod faciendum eſt ſemel.Varonis temeritasCannas fecit.Eadem nobis Ioannem eripuit,& Philippum proſtigavit. Nihil per pericula faciundum iis qui non ſunt in periculo. Alia cauſa eſt quorum res in arcto ſunt,ſæpe enim in ijs neceſſitas prudentiam rapit, & ſpei deſperatio cauſſa eſt.

Ὀψὲ θεῶν ἀλέθουσι μύλαι.

Tacitus hiſt.1.

Honeſta & utilia ſuadenda.

In rebus civilibus ubi placidius fluunt omnia, honeſta ſemper ſuadenda ſunt, quæ pietatem,& juſtitiam, quæ bonos mores ſpectant,nec ſpernēda utilitas quæ per licitas artes venit. Infrugiferis arboribus proxima eſt inanis ſpecies honeſtatis,quam nulla emolumenta commendant,& quæ ſine virtute lucra proueniunt, ſordida ac ſeruilibus ingeniis nata.

Venena Conſultantium.

Venena conſultantiū ſunt effectus, averſio,amor,odiumq;(inquit Ptolomæus)ne vera eueniāt iudicia prohibēt,ſi qui dē minuūt maxima,augent minima.Plurimum autem nocent comite doctrina,& facundia;quia quicquid volunt ingenioſi probant,& placent quia per ornamenta mentiuntur; ſed privata cuique utilitas maximam partem conſultationis facit,ſimula-

Ptol. cent.

mulatis rationibus adrepens: Dij ſunt inter homines, quos iſta aut nunquam cepere, aut captos tandem remiſere.

Amor ſui ſenſus & pertinacia conſiliorum ſcopulus. Plerisque iam omni labe defæcatis pervicacia reſtat, & ſui ſenſus amor acerrimus qui cæteris affectibus decreſcentibus ſæpe creſcit in immenſum. Hoc in aliis præſumptio efficit, qui contendere potius auent, quàm conſulere, *conſilii quamuis egregii quod ipſi non afferunt* (ait Tacitus) inimici. Aliis ſpecies virtutis & nimia authoritas imponit, & quia ſapere ſe, nec inique exiſtimant, omnes ſapere ex ſuo corde cupiunt. Neſcio an inde plus nocuerint victori populo Catilinæ vitia, quàm Catonis virtutes. Omnia fregit, qui flecti non potuit, & dum rigidam voluit Rempublicam, nullam fecit. Licentiùs in Republica peccatur: In aulis Regum omnia magis circumſpecta, magis timida ſunt. Bene monet ſapiens, *ne glorioſus appareas coram Rege* Odere ferme Principes quos vident elatos, & perſonantes, nimis timidos ex adverſo deſpiciunt. *Prov. 25 6.*

Ambigua reſponſa. Errant qui monent omnia per dubium ſuadenda, ne funeſti exitus in nos refundantur, quaſi oporteat Regem cum Miniſtris, ſicut cum Sibylla loqui Omne ambiguum pro ſuſpecto eſt Clara nos, & reſoluta magis delectant: Sæpe nimis tardos & meticuloſe conſulentes occaſio tranſuolat, & quæ *infelicium conſiliorum conditio eſt placent quorum tempus præteriit.*

* *
*

DISSERTATIO
Quadrageſima Quinta.
De Adminiſtris.

In hæc verba. *Ioſaphat filius Abilada à commentariis, Banaias ſuper exercitum, Azarias ſuper eos qui aſſiſtebant Regi, &c. 3. Reg. 4. 3.*

Magnum ineſt conſiliis pondus, ſed ipſum inutile, niſi expedita vis adminiſtrantium quæ fuerint optimè conſulta, paribus animis exequatur. Tam multa ſubtiliter agitata, & maturè prouiſa, mera ſunt concharum phyſemata quæ pro vnionum pellucido nitore ſpeciem inanem oſtentant, in vagum puluerem abituram, niſi acerrima quædam virtus rebus gerendis admoueat manum. *Tacitus hiſtor. lib. 5.* *Conſilia ſine effectu Concharum phyſemata.*

Ridicula plerumque res eſt in conſultationibus Principum, videre graves viros maxime ſollicitos ut doctè & ornatè dicant, quaſi ad declamandum veniant, non ad deliberandum. Trahitur in conſultando tempus, fiunt commiſſiones ingeniorum, & magnificæ orationum concertationes, quæ ubi abſolutæ fuerint, multa in ſpeciem dicta, nulla in rem efficaciter proviſa. Diſceditur ex conſiliis, & comitiis quaſi ex declamatorum ludo, ubi veritas falſis ſæpius coloribus adumbratur, nunquam in ſolidum exprimitur.

Non immeritò celeberrimus ille Aaron qui ut os Dei habebatur apud Hebræos, duplici balthero accinctus nobis proponitur in ſacris, ita enim (ut ait Georg. Venetus) ſignificari Deus voluit, Rectores populorum non tantum verbo, ſed opere in- *Aronis Baltheus duplex verbum & opus.*

Digitized by Google

inſtructos eſſe oportere. *Odi homines ignaua opera, philoſopha ſententia*, qui quod facta opus ſit, ſuperbe dicunt, & quæ dixerint nec facere, nec fieri etiam curant. Paralytica omnis prudentia eſt, quam operum perfectio non ſequitur.

Adminiſtrorum diſtinctio.

Inde tot Regibus oculi, tot manus, tot adminiſtri, tot negotiantes & famuli, ad perficienda quæque expediti: Alij ſuperiores, alij inferiores, alii medii, alii aulam & palatia quotidianis miniſteriis frequẽtant, alii caſtris & militiæ inſeruiunt, alii iudiciis præſunt, alii res fiſci tractant, alii legati ſunt apud exteros & oratores, alii vbique negotiantes ſæpius in ſuis quàm in publicis. Mille nomina, mille artes, nulli ferme homines ſine titulo; ſed multi tituli ſine homine.

Magna & inordita officialium congeries regnis peſtifera.

Expedit quidem ad regalem manificentiam multos eſſe & varios in tam variis rebus miniſtros, nec tamen nimis numeroſos. Nihil æquè turbat regna quàm vaſta illa & incondita officialium congeries, maximè in iis quæ adminiſtrationem juſtitiæ aut fiſcum ſpectant. Non eſt hoc commúne malum, & communibus remediis arcendum, ſed plaga quædam Ægyptia in omnes & per omnia ſæuiens, quam niſi diuinæ manus auertant, extrema rebus pernicies incumbit.

Quam indigni Principe famelici, & rapaces.

Quid tam indignum beneficentia Principis quàm creare ſpiritus maleficos & vexatores, quos tanquam culices famelicos in omnium patrimonia immittant? Quid tam illiberale quam ab iis exitiales pecunias accipere, quas fœnore toties duplicato per lacerationes mortalium recuperent? Quid tam alienum à ſumma bonitate quam tot minutis furiis jus prędandi vendere, & ſupremæ authoritatis radios ſpargere per tot funces & tot ſanguinolentas manus?

Adde quod ipſi per vagam multitudinem omnibus & ſibi demum oneroſi, nõ tam geruut, officia, quàm turbant. Atq; ut corpora malè affecta per imperitorum turbam medicorum necantur, ita res ciuiles per tot infames malè negotiantium prædas exhauriuntur. Hæc igitur prima in hoc munere Principis optimi cura ſit ut neceſſarios habeat miniſtros amplitudini fortunæ, & rebus commodè gerendis pares; ſuperfluos autem & plebi oneroſos ſedulò reſcindat, nec ullã ſibi prætendi à conſiliariis neceſſitatem patiatur, quam per ſæuas artes, & dedecora, velit repellere.

Quanti ſint officialibus momenti.

Bene omnino Lampridius tantam in adminiſtris vim eſſe dixit ut meliorẽ eſſe Rempublicam & tutiorem ſapientes iudicent, in qua Princeps malus ſit, eã in qua mali Principis miniſtri. Nam licet ille deterrimis ſit moribus unus tamẽ homo eſt, cujus iracundia, & libido, & cætera vitia intra breves mortalitatis noſtræ terminos coercentur. At cùm multos habet in famulitio, & ſtipendiis, flagitioſos, rapaces, crudeles, tot ſunt harpyæ, tot furiæ in genus humanũ immiſſæ, quæ ipſum per juris ſpeciem vexant & opprimunt.

Si pudicus princeps, ſi ſobrius in regia, nihil inde emolumenti latè patet oculis ſubditorum: At ſi perverſos habeat adminiſtros, in iis videtur, in iis ſentitur, non fulgidus & ſalutaris, ſed teter & infeſtus. Quid profuere Galbæ ſtricti ſeveriore diſciplina mores, ſi (quod ait Tacitus) *invalidum ſenem Titus Vinius, & Cornelius Laco, alter deterrimus mortalium, alter ignaviſſimus odio flagitiorum onerabant, contemptu inertia deſtruebant*; Itaque ſanctus Ferrandus in nobili inſtitutione ad Reginum, valde monet ut totam familiam ſuis exemplis ad morum continentiam ordinet, atque componat, tum vigili cura

Tac. Hiſt. 1.

S. Ferrandus de administris monitum.

pro-

proſpiciat, quomodo ſecum popularibus gerant, & an ab auaritia, contumelia, laſciuia ſint alieni, ne quam penatibus Principis infamiam allinant.

Sint ita probi vt non viles.

Sint igitur imprimis innocentes & probi, ne tamen viles & illaudati, quia in exequendis imperatis parum apud populos haberent authoritatis. At qui magnopere timendum ne contempti & irriſi labefactent majeſtatem dominorum. Summi judicij & raræ etiam fælicitatis, idoneos ad quæque munia nanciſci: nam cum flexuoſa ſint hominum ingenia, & tanta varietate diffita, alia aliis rebus nata, & ſuus cuique character, ſua expreſſio eſt. Si præter vim & naturam miniſteriis deſtinantur, coguntur ſæpe tota vita luctari, & à ſcopo ſemper aberrare.

Sint periti & apti.

Itaque videndum an earum rerum quibus præficiuntur ſint periti, & agant ex genio: An abruptè, contra vim torrentis nitantur. Eſſet quidem illud operoſum explorare in omnibus, & illis etiam minutis. At ſummopere nitendũ eſt ut qui primas in adminiſtranda iuſtitia tenent, ſint ſupra omnem aleam poſiti, tam probitate, quàm peritia inſignes. Ipſi enim ſunt magnorũ negotiorũ velut cardines, ſupra quos omnia voluuntur. Optandum eſt ut ſint pares rebus, nec tamen ſupra res; ſæpe enim multi ſunt curioſi, loquaces, audaculi, qui abundantia potius quã maturitate ingenii non tam aptant ſe rebus, quàm ingerunt.

Adminiſtri Iuſtitiæ ſupra cæteros ſpectandi.

Obſequioſi ſint magis quam arguti.

Obſequioſos habere oportet magis quam argutos, & alienæ potius obſeruatores ſapientiæ, quam miratores ſuæ. Vanos & verboſos vis & efficacia rarò conſequitur. Tum demum placent, cum prudentiæ dexteritatem, dexteritati actuoſam vigilantiam coniunxere, quæ rerum momenta conſideret, & nunquam occaſioni deſit.

Patientes in negotiis.

At verò quamvis multas habeant ingenii dotes, vix erunt vtiles, niſi patientes ſint hominum & rerum, qui non facilè irritentur, neque offenſæ cuiuſdam opinione commoti haſtas abiiciant, ſic enim magna plerumque negotia corrumpi non rarò euenit, dum malumus iraſci, quam ingeniis negotiantium attemperari.

Quid in iis præcipuum.

Denique hoc eſt in omnibus miniſtris præcipuum, ut finem ſuum coniunctiſſime teneant cum fine Principis, & ſi rationem ſui habere debeant, non tamen habeant tanquam diverſam, ſed arctiſſimis obſequii nodis cohærentem. Sic enim fiet ut quod in eorum miniſteriis eſt maximum & primum, fidem illibatam atque inconcuſſam ſervent, cùm ſe, ſuaſque fortunas, honores, & divitias in principe voluí, & per principem cumulari viderint. Caveant tamen ne dum amatores ſui, dominorum authoritatem è qua ſua emolumenta pendere norunt, nimis impotenter aut ſuperbè etiam extollant, ſic enim magna depereunt, dum ſupra modum maxima eſſe contendunt.

DISSERTATIO
Quadrageſima Sexta.
De Cenſu & Tributis.

In illa verba. *Salomon autem erat in ditione ſua habens omnia Regna à flumine terræ Philiſtiim vſque ad terminum Ægypti offerentium ſibi munera.*

3. Reg. 4. 21.

Opulentiæ gloriam infuſcavit hominum cupiditas; vix habent in bonis ſapientes divitias, vix vtiles regno putant, quas cæteri ſuſpi-

ſuſpiciunt. Non hic commemoro quibus contemnere profeſſio eſt, & calcare gloria. Evangeliſtas taceo; Peripateticos loquor Certè Ariſtoteles vbique perſpicaciſſimus ſcribit in politicis, poſt perfectiſſimam & omnibus numeris abſolutam Rempublicam quam in tanta hominum perverſitate potius optare quàm ſperare licet, optimam eſſe in qua cives nec divitiis abundant, nec inopia premuntur. *Nam diuites ſolent eſſe ſuperbi & contumelioſi, pauperes verò fraudulenti & rapaces: Illi publica munera ſubire nolunt, hi non poſſunt. Illi heriliter norunt imperare, hi ſequi nec ſciunt, nec poſſunt. Hi nec imperiis apti, nec obſequiis niſi planè ſervilibus nati; quæ degeneres animos & civibus indignos arguunt.* Adde quod *illos faſtus inflat, hos vris invidentia, & crebris inter ſe rixis exercentur, Omnia mediocribus pacatiora quos nec opulentia aliorum inſidiis obnoxios facit nec egeſtas ſtimulat in prædam. Sic paucorum ſic etiam populi dominatus ex luditur, quorum alter imperioſus alter effrænatus.*

An dives imperium qui expedıat.

Ariſtoteles non putat.

Sic ille propius ad Chriſtianos mores philoſophatus, nec immeritò quotidianis propè experimentis rationi faventibus. Iam ut cætera taceam quæ à ſanctis patribus prolixè dici ſolent, in liquido eſt luxuriare populorum animos nimia opulentia ſaginatos & in ſolutos mores defluere; unde & ſuo ſæculo Saluianus ad Eccleſiam. *Quantum tibi copia, inquit, acceſſit, tantum tibi diſciplina deceſſit & facta es turpis opulentia fide pauper:* Inde etiam degeneres timor facit detrectantes audere; & neſcientes pati. Segnitiam ſuam amant & patent ludibriis impugnantium. Sic tot populi decoxere, antea feroces, poſtea effeminati, poſtquam functos armis domitor luxus ſubegit.

Divitiis adiuncta luxuries & fidei inopia.

Salvi l. 1. ad Eccl.

Si in paucis diuitiæ ſunt. Tyrannos creant, ſi in multis, perduelles. Inde hæc diu ſtetit apud generoſas mentes diſciplina, divitias nec quærere, nec pati. Scythis toties orbis domitoribus circumlata plauſtris vita: Auri & argenti longum apud Spartanos exilium. Nabathei non ſerunt, neque metunt, ne quid habeant quod alienam libidinem invitet.

In paucis & multis æquè formidandæ.

Domitores orbis pauperes.

Sed tamen quis *furor eſt ne moriaris mori?* & abiicere ſe ultro ad pecudum vitam, ne ſint qui hominum invideant? Sic omnis mortalium perit induſtria, ſic ingenia marcent, ſic corpora deſiduoſus torpor occupat. Mare denique mortuũ eſt quæ caret deſideriis vita, non omnes Evangelicæ paupertati nati; induſtrios eſſe oportet quos agit & verſat vita civilis. His labor, & curæ, & ſibi ſuiſque ſedulitas intenta extundit vim ingenii, & rebus magnis apparat.

Divitiæ moderatæ regnis omnino neceſſariæ.

Induſtrios cives faciunt.

Nihil ab iis publico ſperandum, quos omnis etiam licitæ cupiditatis vacuitas ad ſocordiam abiecit. Optandum quidem ut privatorum modeſtæ ſint opes, modeſtiores etiam animi, ſed nihil vetat quemque pro ſua conditione præſtare divitiis, quas in optimos uſus impendat. Inde regni vis & ſplendor, inde apud exteras nationes fama. Regem invalidum & pauperem omnes difficultates premunt. Nec verenda ſubditis inops fortuna, nec hoſtibus formidanda. Inſtrumenta rerum adminiſtrandarum pecuniæ ſunt, his bella gerere, moderari pacem, tueri fines, arcere hoſtes, officia digerere, fovere commercia datum eſt. Quid loquar? Pietas & literæ in earum tutela ſunt, & præmia benemeritorum, impiorumque ſupplicia inde pendent: Sine fiſco paralytica omnis in regno voluntas boni eſt, *pecunia obediunt omnia, & ſicut protegit ſapientia, ſic & pecunia.*

Contemptares eſt Rex pauper.

Divitiæ omnium gerendorum inſtrumenta

Eccl. 10. 19.

Eccl. 7.

Hoc igitur ſumma curâ Principibus ordinandum, ut habeant unde ſe, ſuoſq; popu-

populos tueantur, tum etiam ut afflictæ amicorum fortunæ ſubveniant. Nunquam pauperes erunt ſi ſcire quid ſint divitiæ velint, ſua noſſe, & ex æqua ratione diſpenſare. Faciunt opes regna arvis læta, tot paſcua, tot ſylvæ, tot artes, tot induſtriæ, tot fluvij, tot aperta vehendis mercibus maria: Auri etiam argentique venæ, quas tam ſæpe nocentes fecit fœda mortalium avaritia. Habent Reges bona patrimonialia, tot theſauros, quos ſæpe majorum provida ſedulitas aggeſſit, tot veteres gazas, tot hæreditates, tot agros & domos, tot jura, tot dominia, tot caducas facultates, tot terræ mariſque imperia. Ecquis cum iſtis pauper eſſe niſi ignarus poſſit?

Reges nunquam pauperes erunt, ſi ſcire velint quid ſint divitiæ.

Regnare eos gratis Eraſmus optat in principe, quia illiberale eſt tam auguſtam dignitatem æſtimari lucris. Optime ſi Fabriciorum ſæculo regnaretur. Nunc alia ſunt tempora, nec ullæ Regum opes impenſis ſufficiunt, niſi creſcant de publico. Inde tributa & vectigalia nata ſunt, iuſta quidem ſi iuſtè & moderate à populis exigantur.

Rex num gratis regnare debeat;

Tributorum ius & neceſſitas.

De Zelotarum factione natum eſt, hæc iura denegare regnantibus, & hi olim uni verſam Iudæam adverſus Imperium Romanum pro aſſerenda immunitate concitavere. Nefas putabant filios Dei gentibus immundis aliquid pendere: Inde ſequuta rebellio cladeſque horribilis ſub Tito, quam poſt hac expauerunt ſæcula, nulla diſcuſſere. Qui ſe patriæ ſervatores prædicabant, illam funditùs perdidere. Quanto melius iubebat tum Dominus, *reddi ea quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*. Hæc omnium vox Chriſtianorum fuit, hæc conſtitutio ſanctorum, perſonante Apoſtolo in ipſis Eccleſiæ cunabulis. *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Ideo *enim & tributa præſtatis.* Miniſtri enim *Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.* Monuerat & de hoc antea Hieremias, ſuaſeratque Sedeciæ Regi, ut Nabuchodonoſorem iam Solymæ portis infeſto exercitu imminentem, per tributa, & fœdera pacaret. Dum præpoſtero libertatis amore diſſuadent minus conſulti, & hic eorum monitis obſequitur, extremam urbi cladem, omnia dira, & horrenda ſibi ſuiſque liberis intulit.

Zelotæ propter negationē tributi omnia perdidere.

Lex divina tributa praeſcribit.

Luc. 20. 22.

Rom. 13. 5

Antiquiſſimum hoc ſubiugatis onus, etiam Deo non tantum permittente, ſed iubente. *Si quando acceſſeris ad expugnandam civitatem offeres ei primum pacem: ſi receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea eſt ſaluabitur, & ſervit tibi ſub tributo.* Sed hæc gentibus bello domitis, non de fratribus intelligenda. Alia ratio eſt populorum qui Reges ultrò fecere, ſuamque in eos transfudere poteſtatem: hi ſunt filii regni humano ritu habendi, non mancipiorum loco. Nec tamen ab oneribus immunes eſſe debent, cùm ſit æquiſſimum omnes in communem utilitatem de privatis bonis conferre, ſive ut arceantur hoſtes, ſive ut conſeruentur cives, ſive etiam ut decus & majeſtas regni aut reipublicæ ſtare poſſint inconcuſſa, & neceſſariis defungi muneribus.

Qui populum tributo ſubdit?

Deut. 20. 10.

Diverſa populorum conditio.

Nemo in hac cauſſa Theologorum reluctatur, ſed illi uno conſenſu in vectigalibus ordinandis, quatuor requirunt: Vt ſint juſta à parte agentis, finis, formæ, & materiæ. A parte agentis, ut habeat plenam authoritatem: A parte finis, ut ſint propter bonum commune: A parte formæ, ut iuxtà cuiuſque facultates: A parte denique materiæ, ut non imponantur niſi perſonis, rebuſque convenientibus. Caietanus in cibo, & p[...] [...]

Theologi quatuor in vectigalibus ſervanda ſentiunt.

Greg. de Valentia

tam neceſſariis non probat, ſed in negotiationibus. Rectiſſimè etiã Bodinus lib. 6. de Republ. c. 2. Vectigal Deo gratiſſimum, Regi honeſtiſſimũ, ſubditis utiliſſimum quod iis rebus imponitur, quæ ad mores corrumpendos faciunt. Has ubi conditiones quis ſervaverit, omnia Regibus opulenta, omnia tuta, nulli etiam niſi à bona mente averſio iniucunda.

Tributorum immoderata ratio capitaliſſima regni peſtis. At ubi ſine ratione & modo, ad libidinem dominantis exiguntur, nulla capitalior peſtis Regi, nulla ſors populis acerbior. Et ſi quis rempublicam exſcindere, regna convellere decreuiſſet, non aliis conſiliis, non aliis validioribus machinis impellere ad perniciem poſſet. *Summa iniuſtitia qua regna diruuntur.* Primum enim quis non videt ſine iuſtitia ſtare vrbes, & imperia non poſſe, ſed quæ munitiſſima etiam putantur, occultam per tabem exedi, & cæleſti manu quati, ubi omnia turbidè & violenter adminiſtrantur fœda populorum oppreſſione? Formidanda vox tonantis ſapientiæ, *regnum à gente in gentem transfertur, propter iniuſtitiam, & iniurias, & contumelias, & diverſos dolos.* *Eccl. 10. 8*

Quid verò tam iniquum atque iniuſtum, quàm domino iubente Reges materno velut affectu fouere populos, ſi ipſi pro matribus, experiantur dominos truces, atque acerbos, qui rapiant, qui devorent, qui miſeris ſudorem, ſanguinem, & vitam quotidie per ſtillicidia eripiant? Cui fulmina toties ore divino vibrata niſi pauperum oppreſſoribus? *Acerbè à Prophetis exagitatur.* *Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitiam ſcripſerunt, ut opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cauſſæ humilium populi mei, ut eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent.* *Iſa. 10. 1. & ſeq.* Illi clamores, illi fletus, qui ex ore, ex oculis tot vulneratorum egrediuntur, ad ultorem tranſeunt Deum & omnibus ſæculis cauſſam dicunt. *Nonne,* inquit ſapiens, *lachrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt & lachrymatio eius ſuper deducentem eas? A maxilla enim aſcendunt uſque ad cælum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis.* *Eccl. 35. 18.* Quis abſoluet quem tot ora, tot vulnera condemnaverint?

Periculoſa regnãtibus etiamſi aliàs de pis videantur. Ignoſcat Deus Principibus qui ſæpe optimâ indole præditi, per miniſtros depravantur, & iubent, quæ ſi peruiderent, mallent in paſtoritiâ vitâ duros labores pati, quàm huiuſmodi regni divitiis abũdare. Si pij, ſi caſti, ſi privatim innocentes fuerint; omnes hoc nævo infuſcantur virtutes; omnis apud Deum ſpes ſalutis, niſi reſipiſcant extinguitur. Non æquatæ cælo templorum moles, non baſilicarum laquearia auro nitentia, non ieiunia, non preces liberabunt, quem miſerorum fames, quem innumerabiles gemitus populi ſunt accuſaturi.

Exactio grauis populum & contemptum principem prodit. Adde iam quòd Regis magnificentiam quam per tot iniuſtas opes cumulari putant, omnem decoquant. Maximorum enim Deoque perſimilium naturâ ſolet eſſe benefica, exiguos egeſtas & rapinæ comitantur. Quorſum apud Iſaiam inveniuntur qui detrectent imperia, niſi quia ſatis ſe divites non putant, vnde paupercula plebi ſubveniant? *Regum fuit olim populos alere.* *Non ſum medicus, & in domo mea non panis, neque veſtimentum, nolite me conſtituere Principem populi.* *Iſa. 3. 7.* Quorſum inciſas Hebræorum Regum *Toſtatus,* effigies in menſa panum propoſitionis accepimus, niſi ut terrarum domini ſub cæleſti præceptore diſcerent, impendere ſibi curam providendi tot inopum vitæ toties abiectæ & toties deſtitutæ? Quid igitur fieri exiſtimamus, ſi quos dare cõvenit, ipſi rapiant, non tantùm ab opulentis, ſed ab inopibus & miſeris, & in eas ærumnas detrudant, ut iam nec ſe, nec liberos alere poſſint, dein furiis acti meditentur extrema, aut in alienas migrẽt terras intolerabili iugo preſſi?

Qua-

Digitized by Google

Non decet Reges qui Patres ſunt populi, fieri ejuſdem homicidas.

Quale hoc decus,& quę regnantis magnificentia eſt? Qualis ars, & ſapientia ? ſi peremptores tot mortalium faciat, quos Deus parentes eſſe voluit? Nunquid fruſtra ſcriptum eſt? *Panis egētium,vita pauperum eſt , qui defraudat illum,homo ſanguinis eſt.* Ille qui ſuo ſæculo vir optimus & ſanctiſſimus habebatur Franciſcus de Paula, cùm Regem Ludovicum XI. deprehendiſſet inter auri atque argenti acervos quos è tributis collegerat, arrepto uno ex nummis,atque diſtracto, ſtillantes ſanguinis ei guttas oſtendit,monēs, ne ultra populi cruore reſperſus aris ſe ſiſteret. Ampliſſima quæque & generoſiſſima regna longè in exigendis vectigalibus leniora ſunt:minutorum eſt Principum inſtare privatorum opibus,& omnia querelis miſcere. Antonius Pius Procuratores ſuos modeſtè ſuſcipere tributa juſſit: Excedentes modum, rationem reddere factorum ſuorum præcepit , nec unquam lætatus eſt lucro,quo Provincialis oppreſſus eſt. Tiberius licet naturâ ſævus, & ærarii conditor providentiſſimus,non ultra centeſimū exegit.leve onus & tot bellis, tot ſumptibus ſuffecturum.Quid agi tum cenſemus, ſi nunc oneribus ferendis pares non ſunt, qui omnia ut ferrent exhauſere? Num hęc virtus dominantis & optimorum conſiliorum fructus?

Eccleſ.34 25.

Nummi cruore ſtillantes. Vita S. Franciſci

Tiberius etiam naturâ ſævus in tributo modicus

Neceſſitas tributorum expendēda an vera ſit.

Unus contra omnia omnium tela clypeus neceſſitas prætenditur ab iis,qui hæc tam immaniter exigunt. Sed ſi neceſſitati nihil negari poteſt, videndum tamen unde illa ſit,& quæ ſit , ſi laceratur per vim externam regio,ſi hoſtes incubant , ſi urbes,ſi mœrentes agros vaſtant, ſi cædibus operantur,& flammis,ſi regno inhiāt implacabiles Ammomitæ qui nulla velint jungere,niſi erutis luminibus fædera, perdenda ſunt tūc omnia,ne perdantur. Neceſſitas fuit cùm Marcus Antoninus exterorum populorum bellis & cladibus oppreſſus,ne gravaret ſubditos,ſuam& uxoris ſupellectilem præconis voci ſubjecit atque diſtraxit. Neceſſitas fuit cùm poſt Canas, incubante jam Capitolio Hannibale , omnes matronæ muliebrem mundum in ærarium congeſſere.

Quid in neceſſitate pii Principes fecere.

At ſi qui neceſſitatis vim ineluctabilem queruntur,non ſpoliati,& jejuni,ſed culti, & pingues, ſi menſas prodigioſis ſumptibus inſtruant, ſi palatiorum exædificatione omnia occupent, ſi luxu ſuppellectilis cum Regibus certent,ſi puellis ſuis dotes adſcribant quæ Reginis ſufficerent : Num hoc eſt egentium fami, & deſperatorum lachrymis inſultare, ſi regni inopiam omnium vaſtitate ſupplendam prædicant?

Baſilius Imperator(ut ait Cedrenus) magnâ olim Dominicâ templum ingreſſus,ubi ſqualentes veſte populos vidit,ecquid rei eſſet ſciſcitanti,reſponſum eſt. Tibi, Domine,& iis qui te circumſtant ſplēdide veſtiri , & gaudiis omnibus affluere cōvenit,nobis mœrere,qui duos frumenti modios nummo aureo emamus. Ille cōtinuò rediens in regiam, graviter adminiſtros increpat,quod de hac ſquallentis populi miſeria reticuiſſent, frumentum ipſe ſuum diſtrahi,& duodecim modios aureo uno dari juſsit , neceſsitatem ipſe populi ſolatiis mulcens , cum nulla ſuis ſuorumq; familiis ineſſet. Habent quod imitentur exemplum qui de neceſsitate fiſci queruntur inter quotidianas prædas & immenſas hominum calamitates. Neceſsitas nempe ſpoliatis incumbit,illis nulla , niſi neceſſarium ſibi putant abſorbere omnia.

Baſilii Imperatoris egregium facinus.

Et ubi gentium tam violenta , tam te tra rapinis conſilia lætos exitus habuere? Unde ſeditioſorum furiæ? Unde furentiū rebelliones? Unde convulſiones Regnorum,niſi ex hoc fonte ſunt ? Stant amore ſubditorum regna , qui ſi ſemel excuſſus fuit

Tributa nimia regnantibus ubique funeſta.

Digitized by Google

fuit de pectore, quid ſunt divitiæ, quid arces, quid ipſi honores ſummi, niſi vana ſomnianti in ludibria?

Nihil Roboamo profuit Davidis veneratio, nihil Salomonis gazæ ingentes, quæ omnia prodigia vicerunt, poſtquam juvenum conſultis imprudentibus acerbiori jugo premere populares cœpit. decem ſtatim regni partes ex duodenario numero defecere Jeroboamo rebellante, & quod horrendum Regibus, Deo ipſam defectionem per Ahiam Prophetam ſucceſſu rerum & cõſtantia fœlicitatis approbante. Poterat exigua tributorum moderatione conciliari populus, poterat ab incœpto revocari; ſed dum inſtant, dum premunt peſſimi conſultores, tam repente ſciderunt quæ nullis poſtea ſæculis coaluere. Tot bella per ducentos ferme annos geſta, tot fratrum carnificinæ, tot ſciſſa religione ſacrilegia, unius diei conſilia, unius juvenis ſtolidam tenacitatem ſunt conſecuta.

3. Reg. 12

Quid agunt, quid moliuntur Principes dum hæc faciunt, niſi in ſua graſſantur viſcera? Sæva deſperatio verſat trahitque gementes ſub faſce populos: non jam lex movet, non retinet magiſtratus, omnia vilia, omnia peſſundata per cœcam furoris amentiam: Cui uxores ſervent, cui liberos, cui ſe neſciunt, malunt ſemel perdi quam in quotidianas victimas deſtinari.

Rebellionum cauſſa fere omnes ab exactionibus.

Quærebat Tiberius à Dalmatis cur rebellaſſent, cum Balus reſpondit, in cauſſa vos eſtis, Quirites, qui ad paſcendas oves non paſtores, ſed lanios, ſed lupos, mittitis, feroces ſævitiâ, & rapinarum inſatiabiles. Quid curant an Scythæ, an Sarraceni ſint, quos exitiales furiæ ad extremorum contemptum adduxere? Timendi ſunt illi etiam iis qui omnibus timorem incutiunt, cum facilè mori poſſunt & nunquam niſi ægre domantur. Si perimuntur, quid aliud eſt quàm in ſua ſævire membra? Si reſtant indomiti, in proximo ſeceſſio eſt, authoritate calcata.

Quoties (ne ſemper vetera loquamur) has tempeſtates, hos fluctus poſteriora ſæcula viderunt? Obrutus eſt lapidibus Parthenius, Richardus Londini obſeſſus urbe direptâ Infimæ plebis muliercula ſub Carolo ſexto urbem cæde & flammis miſcuit. Attrocia ſub Henrico ſecundo Aquitanici vectigalibus ſalinarum efferati patrarunt. Si quos Principes fœlicitas ad pacandas ſeditiones adjuvit, non eſt eadem omnibus expectanda, quanquam infœlicitatis genus eſt, in hoc eſſe fœlicem.

Inde Reges miſerrimi.

Ad ſummum quid habent Reges emolumenti, poſtquam hiantem palatinorum avaritiam adipe populorum explevere? Ipſi pauperes inter quotidianas rapinas vivunt, minimam partem eorum quæ exiguntur, fiſcus capit, odia ſubeunt omnium dum paucorum cupiditates alunt. Inde triſtiſſima multis vita, & ſterilis thorus, & exoſa populis faſtigia. Henricus tertius Rex Caſtellæ, oppignerato pallio cœnabat, dum viginti in ejus regno Reguli, per rapinas, de ſanguine & lachrymis oppreſſorum luxuriarent. Evigilavit tandem longa ſocordia marcidus, peſteſque publicas ſubmovit, multorum plauſu, omnium fructu. Sic facere navos Principes addecet, niſi digna indigna perpeti malint. Denique in ipſo vitæ & mortis confinio, jam ad formidandum tribunal profecturi uruntur ſuis ipſi cogitationibus, & æſtuant tot pauperum, tot vulneratorum ſimulachris quietem obſidentibus. Senſit hæc Chilpericus, ſenſit Ludovicus undecimus, ſenſere omnes, qui ullum conſcientiæ ſenſum habuere: Nec ſtatim finis, manent enim aſperos dominos graves extra

Mariana hiſt. lib. 3. c. 7.

Inde Deô judicio graviter obnoxii.

tra

tra hunc mundum pœnæ, ardent inde tam multi apud inferos manes, & quos Nemeſis hic prætetit, cruciantur in filiis, quos ſæpe dura omnia atque horrenda in terris exercent.

Quomodo Principes opulentiam aſſequātur & ſervent.

Quamobrem nulla in re ſibi & regno conſulere melius Reges poſſunt, quàm ſi fiſcum bene ordinent, exigant neceſſaria, à ſuperfluis & ſævis abſtineant, avaras miniſtrantium manus omni ſeveritate coërceant, & regni ſumptus ſumma prudentia ac moderatione digerant. Non omnia unquam omnibus tributa remittenda ſunt. Hoc Imperator Nicephorus voluit, tyrannidis potius affectator quàm amator æquitatis. Hoc Carolus ſextus populorum amantiſſimus fecit, ſed nec tempus iſtud quodvis patitur, & quæ deſueta fuere dum renovantur, acrius movent, aguntque luxuriantes otio, & faſtu etiam tumētes Nunquam pauperes erunt regnantes, ſi nullos pauperes fecerint. Non acerbæ & ſordidæ exactiones, non immanes auri argentique cervi, non terræ & maris rapinæ divites faciunt, ſed vigil circa ærariū ſagacitas, compoſiti mores, innocentes miniſtri, impenſæ ex æquo bonoque ordinatæ, creant & ſervant opulentos. Tributa omnia moderata durant, ſi adjiciantur, inſolita, & jam conſueta ceſſabunt.

DISSERTATIO
QUADRAGESIMASEPTIMA.
De Potentia.

In hæc verba. *Magnificans Salutes Regis ſui.* 2. Reg. 22. 51.

POTESTATEM faciunt vires, & ubique aut creant aut firmant imperia. Nihil eſt in rebus humanis quod tanto ſonitu, tanto feratur impetu: Omnia more fluvii torrentis invadunt, atque ubi regnant in improborum manu, pavent leges, gemit virtus, mœret innocentia, & longum eloquentiæ ſilentium. Parantur armis, armis ſervantur regna, & quicquid habet opulentum fortuna, aut magnificentia conſpicuum, aut pax etiam tranquillum, in eorum tutela eſt. *Cùm fortis armatus* (ait) *Dominus, cuſtodit atriū ſuū, in pace ſunt ea quæ poſſidet. Si autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma auferet in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtribuet.* Idem ipſe annuit in prætorio, regna mundi ſtare viribus cum dixit. *Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei utiq; decertarent, ut non traderer Judæis.* Non aliter ferme reſiſtitur improbis quos in omne facinus agunt furiæ: Non aliter juſtitia ſuum imperium exercet, cui ſi gladium eripueris, reſtat inutile pondus libra, fruſtra decernens innocentibus quæ nocentes rapiant.

Vires imperii rerū potiſſima.

Luc c. 11. 21.

Ioan. 18. 36.

Exemplo eſt Deus exercituum.

Atque ut ex æterno patre exercituum Deo ſumantur exempla regnādi, habet ille ſuos milites, ſua armamentaria, ſua tela *Nunquid ingreſſus es* (ait) *theſauros nivis, aut theſauros grandinis aſpexiſti quæ præparavi in tempus hoſtis, in diem pugnæ & belli?* Quo verò apparatu deſcribitur in libro ſapientiæ? *Accipiet armaturam zelus illius & armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace juſtitiam & accipiet pro galea judicium certum; ſumet ſcutum inexpugnabile æquitatē, acuet autem duram iram in lanceā, & pugnabit cū illo orbis terrarum contra inſenſatos. Ibunt directè emiſſiones fulminū, & tanquam à bene curvato arcu nubiū exterminabūtur, & ad certum locū inſilient. Et à petroſa ira plena mittētur grandines; excandeſcet in illos aqua maris, & flumina cōcurrent duriter.* Non tantum regni ſed conſcientiæ lex eſt,

Iob. 38. 22.

Sap. 5. 18.

Digitized by Google

eſt, ut regnantes vires habeant & neceſſaria quæque præſidia quibus ſe ſuaque tueri, & ab hoſtium injuriis ſartos tectoſque præſtare poſſint, aut etiam populares ſuos rebelles domare, nocentes compeſcere, ſceleratos denique punire valeant, ut iis ſublatis, cæteri quietiores vivant.

Prima circa perſonam Principis cura quā ſatellitio ſtipari par eſt.

Prima circa perſonam Principis cura, quem juſto ſatellitio ſtipari par eſt, & ſolerti cuſtodia muniri, ne facinoroſorum pateat inſidiis. Etſi nulla tutela major eſt, quàm innocentia, & bonitas, cui favor cœleſtium aſpirat, & cui caſtrametatur amor ſubditorum: Nihil tamen in tanta hominum perverſitate, nihil in tot dementium furore negligendum. Plena ſunt ſceleribus regna, quia invidioſa fortuna eſt, & præalta faſtigia, quæ alii timent, alii etiam ambiunt. Orbis aut ſterilibus Principum plus periculi eſt, ſpes iniquas agitantibus, qui exſpectant triſtes & novitatis avidi. Sæpe etiam multos imago contumeliæ percitos agit in vindictam, ſæpe fanaticos incertus furor inſtigat. Quàm multos nihil ſuſpicantes, & ſolutos, acerbæ manus oppreſſere! Præſtat ſanè eum qui rerum potitur, benefacere omnibus & nulli nocere, neminem offendere, fama etiam optima ſe decuſque ſuum ſuſtinere.

Non tamen pavide vivere Imperatorē decet.

Nemo ſuaſerit ut vivat corde pavido & mœſto, omnia etiam tutiſsima quæq; formidans, & ſuſpicaci torquēs ingenio, quos innocentia omnis immunes culpæ fecit. Hæc Tyrannorum vita, illæ ſunt artes, qui ſe in latebras abdunt, & miſerrimè vivunt, quos expedit omnibus perire. Non ita Reges optimi quibus parent terræ, & cælum excubat. Sed cùm ipſi nihil timeant, timere illos omnes debent, & optare ut diu & ſecuriſsime vivant. Ut ſuſpicandi levitas non eſt probanda, ſic nec cavendi dimittenda occaſio eſt.

Adminiſtris in hoc maxime vigilandū.

Pro Rege ſemper vigiles, ſemper ſolliciti ſint præcipuorum miniſtrorum oculi, ſubodorentur quid agatur in aula, quid quiſque amet aut oderit, quo ingenio, qua vita, qua fama ſit. Si quid ſiniſtrum paratur, maturè detegant. Indices conjurationum, ſecuritate & præmiis mulceant, authores acribus pœnis afficiant, ut unius aut paucorum interitu terror incutiatur omnibus, pervigilent ut ſciant qua mente ſint, & quàm rectè fungantur officio prætoriani duces, qua fide inferiores quique miniſtri, quibus in curando corpore Princeps utitur.

Quæ ad tutelam regni neceſſaria.

Jam quę ad tutelam regni faciunt, nota ſunt politicis noſtris, nec à nobis inculcanda fuſius; arces, præſidia, munitiſsimæ urbes, naves, armamentaria, currus, equi, commeatus, & ſuprà omnia, viri. Magni res momenti eſt habere firma oppidorum propugnacula, quibus incurſantium vis hoſtium retardari frangique poſsit. Laudatur Rex Oſias in ſacris quod ex conſilio Zachariæ videntis, munivit Jeruſalem multis turribus, atque in iis collocavit machinas diverſi generis, quæ ſagittas & ſaxa jacerent. Comparavit omnia armorum genera, clypeos, haſtas, galeas, loricas, arcus, fundas, & his ſimilia. Denique Ælam in finibus Idumæorum ædificavit, ut acres atque infeſtos ſibi æmulos refrenaret. Repentina ſæpe & miſeranda vaſtitas his incubuit qui iſta neglexere, celeri hoſtium incurſu florentiſsimas urbes infeſtante.

2. Par. 26. Rex Ozias laudatur in ſacris ob muniendarum urbium curam.

Alibon Arabs in ejus vita.

Tamerlanis dictum providum.

Tamerlanes ille non barbaro ut fingitur ingenio, ſed militiæ ſcientiſsimus, cùm ingreſſus Sinarum fines, Regem ſibi obviā prodire cum exercitu inaudiviſſet, & paratum quidem eſſe ut ſtatim acie congrederetur; aleam belli experturus, vehementer his animatus nunciis dixit: Actum eſt de Sinæ fortuna: nam ſi iſtud conſilii adverſarius cepiſſet, ut variis urbium obſidionibus noſtras copias attereret, timendum

Digitized by Google

dum nobis fuit, ne hyeme & tædio vitæ fatiſcerent. At verò quia cum integris validiſque viribus placet illi conflictari, noſter eſt. Nec vanus augur: nam illum inter trecenta hominum millia pugnantem cum duobus aliis Regibus cepit numeroſiſsimâ gente debellatâ, ut quæ phaleratâ potius pompâ, quàm peritiâ & robore pugnaret.

Vrbes nihil ſine viris.

Nec tamen ex ullis urbibus, nimiâ concipi fiduciam præſtat, niſi acerrimos habeant propugnatores, quibus ſi vacuę fuerint in avidas incidunt hoſtium manus, & ſæpe tenentur, nunquam ad dominos redituræ. Ex quo plus illis detrimenti pariunt quaſi eas hoſtibus non ſibi paraverint.

Cæci & claudi arcu Sionis qui.

Argumento ſunt Jebuzęi qui cùm validiſſimam Sionis arcem tenerent, in hoc ſecuritatis devenerunt, ut eam à cæcis claudiſve defendi poſſe crederent, unde vulgatū proverbium. *Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos & claudos.* Hanc tamen David ſumma virtute expugnavit, atque inde documentum dedit non ferrum, & lapides, non terrarum aggeres iis prodeſſe quibus animus & peritia deeſt.

2. Reg. 5. 6

Navium cura utiliſſima.

Navium ubi hoſpitum mare, & portuū navaliumque commoditas, ingens eſt uſus, & dominos olim terrarum cenſuere qui maris eſſent. Itaque Auguſtus Cæſar cùm propè Siciliam contra Pompejanos infeliciter pugnaſſet, non antea recepit animum quàm piſcis ultro è mari ſaliens ad pedes ejus accidiſſet, & reſponſum eſſet à vatibus præſagio fretis, Siciliam in ejus poteſtate fore, cum ſubjecti jam piſces, freti dominatum promitterent.

Auguſto Imperiū à mari Xiphilinus in Auguſto.

Eadem Athenienſis vaticinia ſpem totius Græciæ armis occupandæ dederant, & feciſſent, niſi Niciæ ſors infelix & Alcibiadis ultrices iræ, res tot concionum fluctibus laceratas profligaſſent Poſtquàm ab Arato & Lyſandro ducibus victi ad Ægospotamō, non acrior hoſtibus cura, quàm eorum navalia ſubruere, & ita reparandi belli ſpem omnem accidere.

Athenæ perdita navali deſtructo. Senius l. 6 Deliadis. Corn. nep. & Plut.

Romani ante tentatū mare ignobiles.

Quandiu ſine navibus Romani fuere, intra ſua viſcera duris potius quàm illuſtribus bellis luctati. Tum in orbis imperiū cœpere accendi, cùm primùm mari ſub Duillio Cornelioque conſulibus ingredi auſi ſunt. Stetit in anchoris centum ſexaginta navium claſſis intra ſexageſimum diem quàm cæſa ſylva fuerat, ut non ante factæ, ſed converſæ in naves arbores ipſæ viderentur. Victor tandem ad Liparas cōſul, merſa fugataque hoſtium claſſe, primum illum maritimum egit triumphum, quem lætitia geſtiens per totam vitam circumduxit, cùm redeuntia cæna ſemper lucerent funalia & tibiæ præirent.

Florus lib. 2.

Actiaca pugna navalis Cæſarem fecit.

Non alia res magis quàm Actiaca pugna fortunam Octavii Cæſaris antea dubiam, in apice totius gloriæ conſtituit. Nec Chriſtianæ acies Turcis magis infeſtæ quàm ad Naupactum, ubi Othomanorum faſtus incomparabili victoria depreſſus. Multos ad navales curas poſthac impulit libido dominādi; ſed dum majora ſuis viribus tentant, ſub ducibus imperitis, exhauſere terras ſumptibus immenſis, nec juverunt maria, quos animi tempeſtas alliſit. Nihil in hac re immodicè inſaniendum eſt, tam ſæpe vertentibus ventis mortalium deſideria, & fata, quæ ipſi facere, nec à Deo volunt expectare.

Naupactū terribiles Sultanis Chriſtianos prodidit

Arma & tormenta. His Conſtantinopolis à Mahomete II. expugnata.

Armorum promptiora ubique & certa auxilia, ut quæ maris non agitant incerta, ſed præcipuè tormentorum horribiles furiæ: Hæc ſunt ora quibus irati Principes loquuntur, & fulminum jactus imitantur. Cùm recens eſſet iſtorum inventum, & quidem apud Chriſtianos natum, & per aliquot Chriſtianos hominum deterrimos cum Turcis earum rerum imperitis communicatum, Mahometes ſecundus tam

vaſti orbis domitor, his machinis Conſtantinopolim aggreſſus: Ingens attonitorum formido, & ſumma deſperatio, quaſi cælo adverſus mortales pugnante.

Equi. Equorum ubi non in montuoſis, ſed in plano pugnatur, alacritas multum facit, & operoſas illas Elephantorum ſubſtructiones quæ Indis Regibus placuere, facilè ſuperat. Sæpe enim tam vaſtę belluarum moles, dum ſe ęgrè trahunt, concuſſi exercitus ruinas & funera traxere. Optime Cyrus Crœſi Elephantis camelos oppoſuit, & hi illos nova & deformi ſpecie territos in fugam egere turbatis primum, deinde diſſipatis militum ordinibus.

Commeatus. Sed nullum tam ſagacis potentiæ argumentum quàm cõmeatus opportunè ſub miniſtrati, cùm tam ſæpe valentiſſimos milites rerum inopia potius quàm ferrum domuerit. Quid opus eſt ire per ſingula? Viri & ingenia, aſſuetæ ferro manus, corpora laboribus durata victorias occupant.

Magni motus in Regnu à nobilibus & militiâ. Itaque poſt religionem, nobilium qui tractant arma, & legiones ducunt primâ ſors, quia eorum robore & virtute ſociis viciniſque admiratio, terror hoſtibus, fiducia civibus datur. Magnos ſemper motus in Regnis, nec in breve tempus duraturos nobilitas fecit. Quocumque inclinant quos originis decus ornat, comitatur authoritas, facilè militem trahunt, & cum milite rerum converſio eſt.

An expedit Regibus exercitum ſemper in procinctu habere? Dubitatum an expediret Regibus habere ſemper exercitus in procinctu, qui ad ſubita rerum parati eſſent. Quæſtionem in liquido poſuere maximorum imperiorum exempla: Sic Auguſto, ſic Tiberio compoſitus orbis, cum in ſumma tranquillitate turmæ & cohortes in caſtris atque præſidiis eſſent, ipſa quiete terribiles, & ſemper propiores minantibus. Inde Othomanorum potentia crevit, quòd numeroſas copias habent ſemper ad manum, inde aggrediuntur magna & perficiunt vi indomita, mirabili celeritate, nuſquam rem aut tempus terentes in minutis aut vanis.

Cùm à ſeptuaginta Hebræorum ſapientibus artem regnandi quæreret Ptolomæus Philadelphus Ægyptiorum Rex, idipſum inter cętera ſuaſere ut militares manus quàm paratiſſimas teneret, quibus tot exteris inteſtiniſque bellis, tot regnantium periculis poſſet occurrere. Nec dubium quin plurimum ſit in hac re momenti: Non expectant opulentæ & bene moratæ civitates; ut per catervas morbi nos adeant ad medicos conquirendos; ſed proviſa omnia habent jam ſani quibus utantur ægroti. Habent litigii futura, præſentes Juriſconſultos, ſuos Profeſſores, omnes ſibi artes, etiam dum nulla inſtat neceſſitas, vindicant. Quid fieri cenſemus, ſi regna reſque publicas quæ per militiam cœpere, ſine militia ſocordes & otioſæ jaceant. Inde popularium contemptus, & exterorum faſtidia.

Regem inermem omnes adverſarii premunt. Regem invalidum atque inermem omnium inſidiæ, omnium impetus premunt. Dum vitæ deſidia proſtratus inter delicias vivit, invigilat æmulorum virtus, & quæ ſæpe per blanditias inſerpunt vicinorum artes, per indefenſi latus occultas machinas agunt. Nihil timenti cuncta ſunt infeſta, nec pietas, nec jura retinent, quos perdendi facilitas invitat. Quàm pauci pares ſunt ſtimulis in imperia aliena ſollicitantibus, ubi ſcelera dominatu penſantur! Quid ſi repente inſultent etiam qui amiciſſimi putabantur, quid aget tum princeps pavidus & ſtupens? Tyronem & collectitium militem objiciet robuſtis legionibus, aucturus infamiam & diſpendia, nõ vim repreſſurus? At ſi veterani tum de pellibus exiliant, ambiguarum periti rerum,

& per

Digitized by Google

& per omnia ituri diſcrimina; Si conſummatæ peritiæ duces in promptu ſint, petit hoſtibus aut invadendi fiducia, aut quæ invaſerint, ſpes detinendi. Fingamus nihil eſſe ab exteris periculi: Quàm ſæpe nobilium factiones per cuniculos nutantem principatum adoriuntur, quem ſi viderint exutum viribus, faciunt ſuam de aliena imbecillitate audaciam, & ſibi licere putant quicquid poſſunt. Non deſunt qui moventibus omnia oſtentent tanquam ſua, quieſcentibus etiam quæ habent, exprobrent tanquam aliena Quis ſe eorum conatibus opponat niſi ferro cinctus & aſſiduo milite?

Quàm ſæpe ſi iſti cunctentur, diſcors & ſeditioſum vulgus ultro it in furias centiceps monſtrum, & intra primos irarũ impetus dominantibus formidoloſum. Quis reprimat niſi fortiſſima ducum virtus, & toties bellis exercitatæ manus? Sine armis omnes regni opes, omnia decora in prædam abeunt, dominos mutatura quoties latrones invenerint. Sine armis perit ille majeſtatis fulgor, qui regnantes irradiat, omnia audere jubent, qui omnia cogũtur pati: Michael Parapinacius Græcorũ Imperator, dum totus eſt in condendis libris, abjecta per ſegnitiem militia; Turcis incremento fuit, qui Ponticam oram quàm Turcomaniam vocant, armis ſubegere. Eodem tempore Nicephori duo Boniates & Bryonius, ille in oriente, hic in occidente imperium uſurpant. Conſternatus hoc nuncio Princeps & expers præſidii in Studienſe monaſterium transfertur, & lacerna pulla purpuram mutat. Calepharum dum fluxam coaleſcere authoritatem credit. emotæ ſeditio plebis opprimit regno & luminibus orbatum. Ecquis percẽſenti finis tot Imperatorum exitia, dum ſe ſuaque perenni atque firmata militia cuſtodire negligunt.

Miſera ſors imbellium Principũ

Glycas & Manaſſes

Zonar.

Temperari tamen has curas oportet maximâ prudentiâ, ne quæ ad defenſionem parta ſunt, in perniciem vergant. Primùm ne copiæ ſint ingentes & nimiæ: ne populo graves & oneroſæ ſed ſtatis ſtipendiis contentæ, in præſidia locoſque commodos apte diſtribuantur. Deinde ut Rex apprime norit, quos præficiat duces, ut ſint famâ optimâ, fide conſtanti, nec novarum rerum cupidi. Ut milites intra diſciplinam contineantur, ne protervi, aut contumaces, aut laſcivi, aut furaces, & ſævi, ventre pigro, linguâ immoderatâ, audaces, & creduli qui Principis & patriæ fata in ſuis manibus volvi putent: Quæ olim militia Romanam gentem ad ſummum decus extulerat, eadem ipſam perdidit, poſtquam vulgatum eſt ditum imperio arcanum, in caſtris poſſe Principes fieri: Sed hoc magis timendum, ubi eliguntur non naſcuntur Imperatores. Quãquam & ubi eos aſſerit natura, inveniantur conſanguinei ſemper ſuſpecti dominantibus, ſi præſertim ingenio fuerint mobili, maligno, & jam regii faſtigii dulcedinem deguſtante.

Temperari tamen apparatus militum expedit.

Pleriſque Regum extero milite placuit uti, & populares ſuos exarmare, aut in otio detinere, ut paulatim abirent à milite. Sed hæc ſævos dominos conſilia ſequantur qui nec amant, nec amari ſe putant à populo. Quos quiſque metuit, ait Plato, neque honos, neque fortes, neque opulentos eſſe patitur; ſed expedit illi perire, qui omnia perdi, ne pereat, cupit. Num magis infidi externi ſunt qui majore ex adverſo mercede jus faſque exuunt, qui refractarii ſunt, contentioſi & querulí, ſæpe in prælio frigidi, popularibus & ærario ſemper graves Nihil tamen vetat, imò perutile eſt, ubi res exigunt, & conſuetudo præſcribit, ex ſociis & fœderatis habere ſubſidiarios, fidoſque propugnatores,

Digitized by Google

tores,quorum acerrima ſæpe virtus in ambiguis enituit.Sed nec ideo ſpernendi ſunt domeſtici, & quaſi in mancipiorum numero habendi, ne iram æmulatio accendat,& contempti multa, & plerumque atrocia meditentur. Nam ſi per blandas amoris vires regantur, & reverentiâ Principis,& affectu patriæ, actiores ſunt & ad obſequia promptiores.

DISSERTATIO QUADRAGESIMAOCTAVA.

De Fœderatis.

In hæc verba Aſæ Regis Juda,ad Benadab Regem Syriæ. *Fœdus eſt inter me & te, inter patrem meum & patrem tuum.* 3. Reg.15 19.

Ubi primò probatur ex veteri teſtamento ſocietatem Judęis cum gentibus ob periculum idololatriæ planè fuiſſe interdictam: Chriſtianis verò, illam quæ cum Mahumetanis, aut aliis gentibus à Chriſto alienis, execrationi ſemper fuiſſe:cum aliis; ut ſectariis, poſſe tolerari armorum confœderationem, modò ſine Eccleſię detrimento & ſcandalo fiat, Theologos definire.

Amicitia optimum vitæ civilis inventum.

OPTIMUM vitæ civilis inventum amicitia, ſine qua nec familiæ ſtare poſſunt,nec regna. Pone mihi terrarum mariſque potentiſſimum regem, in apice totius gloriæ,pone ſi vis inter ſidera, ſine amicis,in divitiis inopiam, inter honores ſolitudinem,inter voluptates tædia experietur. Quò ſtructura fortunæ operioſior eſt,eò plus amicitiæ ſubſidiis nititur. Itaq; Principibus neceſſarii ſunt fœderati, & ſocii,quos probos & potentes legere prudentiæ eſt,nanciſci fœlicitatis.

Atque ut clarius perſpiciamus cum quibus fœdere jungi,aut per conſcientiam liceat,aut per ſapientiam expediat, prius conſiderandum mihi videtur fœdus hîc nihil aliud eſſe quàm conventionem&pactum inter diverſi generis homines, ad bonum commune inſtitutum:Idq; in tres ſecundum Livium diſtributum ſpecies. Una eſt,cùm bello victis dicuntur leges pro arbitrio victoris. Altera cùm pares fermè bello,in pacem atque amicitiam veniunt, redditis iis rebus quarum bello turbata erat poſſeſſio. Tertia cùm qui hoſtes non ſunt, ad amicitiam ſociali jure jungendam coëunt: Alii quidem ad commercium, alii ad ſocietatem armorum & utilitatum, contra omnes cujuſque conditionis hoſtes.

Fœdus triplex. *Liv.l.34.*

Inde graviſſima exiſtit quæſtio,& variè à multis diſceptata,an Principi Chriſtiano liceat cum infidelibus & hæreticis fœdera jungere. Qui affirmant,inſtant prægrādi & inutili exemplorum congerie. Primum enim nullâ temporum, nec rerum habitâ ratione confuſe tractant omnia, libidine potius congerendi, quàm probādi facilitate. Repetunt quæ ante legem ſæcula,ſine ordine,& lege, & commemorāt fœdera Abrahami cum Hethæis, Iſacii cum Philiſtinis, quæ, & cætera ejuſmodi, pro terra,pro aqua,& pane,quæ à gentilibus accipere nulla lex prohibuit, ſumma neceſſitas imperavit. Quę ſi peregrini homines,& tum ſoli inter profani orbis colluviem non feciſſent, exire eos oportuit de rebus humanis.

Argumenta aſſerentium fœdera cum infidelibus.

Optime Caſſianus libro de diſcretione, duos monachos per inculta terrarum peregrinantes inducit, quibus cum humani victus inopibus panis à fera & infideli gēte oblatus eſſet, unus quidem arripiens vitæ in extremis laboranti conſuluit: Alter obſtinatâ mente recuſatum exſpuit, & fame

Licet ab infidelibus communia vitæ ſubſidia accipere.

Notabile Caſſiani exemplū. me confici maluit quàm iſtis ad vitam retinendam ſolatiis uti. Eum qui comedit, vir prudentiſſimus laudat, alterius ſtolidam famem execratus. Nec mirum, carere enim nos etiam oporteret communi aere, cæteriſque elementis, ſi cuncta cum infidelibus vitæ commercia eſſent repudianda. Nec abſimile quod Salomon ad templi ædificationem ligna, marmora, Sidonioſque artifices ab Hyramo Tyriorum Rege accepit: *Domini enim* (ut ait Propheta) *eſt terra, & plenitudo ejus*, ex quo abſurda & moroſa res eſſe adjumenta vitæ, quæ natura in omnium mortalium uſus effudit, reſpuere, & terra ſe rerum inopia macerare.

Non eſt jungere cum infidelibus fœdus, cū fideles bello domiti pacē aquis conditionibus redimunt. Ad alia deinde convertuntur exempla, Dei populos armis Aſſyriorum domitos, cum iis percuſſiſſe fœdus authore etiam Hieremia, pro magno venditant. Quaſi à latronibus obſeſſis, & vi ſubactis non liceat vitam & miſeras fortunarum reliquias ſalvis honeſtatis & conſcientiæ legibus redimere? Quis ita excors, aut iniquus ut perdi potius omnia velit quàm temperari?

Reſtabat etiam tertio loco exprom ere rem inſulſam, nec humano dignam judicio Paulum ſcilicet etiam Gentilium fœderibus irretitum, quod à militibus ducentis, ducentiſque lanceariis, & ſeptuaginta equitibus Cæſaræam vinctus aliquādo eſſet adductus: quaſi etiam martyribus cum ergaſtulorum præfectis & carnificibus pacta fuiſſe dicantur, quod ab illis in cuſtodiam dati; ab his ſint interfecti. Num hoc eſt abuti otio & literis, & ſi quid eſt reliquum pudoris, abiicere, in tam contemptis, in tam nullis exemplis immorari. Hæc omnia in conſpicuo ſunt, nec operosè diſcutienda quæ omnibus patent.

Inſulſa objectio de S. Paulo.

Act. 23.

Alia nobis quæſtio teritur in manibus, an Princeps cum infidelibus, ſive Gentiles, ſive Turcæ, ſive hæretici ſint, inire ſocietatem armorum, quà defendendo, quà oppugnando poſſit, & debeat, etiam contra Chriſtianos, Catholicoſque, ipſe Chriſtianus & Catholicus. Dicam ſincerè quod jus divinum, quod leges humanæ, quod conſuetudo recta præſcribit. Atque ut per varias temporum ſeries commodiùs tota res procedat, videndum imprimis quid lex Moſaica antiquis, quid Evangelica nobis, quid Canonum Patrumque antiquorum decreta ſuadeant. *Status quæſtionu.*

Quis mos in veteri teſtamento, in cōmercio cū infidelibus. Primùm Deuteronomii ſeptimo exiſtit à Deo prohibitio manifeſtis ſcripta literis, quæ fœdera & amicitias cum gentibus nō tantum diſſuadeat, ſed vetet. *Nō inibis cū iis fœdus, neq; ſociabis cum iis conjugia. filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo, quia ſeducet filiū tuū, ne ſequatur me, & ut magis ſerviat diis alienis:* & in libro Joſue, *quod ſi volueritis gentiū harum quæ inter nos habitant, erroribus adhærere, & cū iis miſcere connubia, atq; amicitias copulare. jā nūc ſcitote, quòd Dominus Deus veſter nō eas deleat ante faciē veſtram, ſed ſint vobis in foveam & laqueum & offendiculum, ex latere veſtro, & ſudes in oculis veſtris.* Et Judicū ſecundo, *Non ferietis fœdus cum habitatoribus terræ hujus. ſed aras eorum ſubvertetis.*

Deut. 7. *Sub Moſe & Iudicibus fœdus cū iis prohibitum.* *Ioſ. 23. 11.* *Iud. 2.*

Malè hoc ad quinque tantū populos reſtringitur. Putet fortaſſe aliquis hæc tantum intelligi de Hethæis, Amorrhæis, Chananæis, Pherezæis, Jebuzæis, quinque ſcilicet gentibus quas deleri juſſerat Dominus ſed hoc fruſtra dicitur ab iis qui grati magis quàm veraces eſſe ſtudent. Omnium enim gentium conſortia & familiaritates Judæis interdictas ſatis divina eloquia, ſatis veterū exempla declarant. Idem enim ſpiritus qui de feralibus populis loquutus, de omni natione, & Judæis & Chriſtianis dixit. *Nolite jugum ducere cum infidelibus* *2. Cor. 6. 14.*

Digitized by Google

Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Nec
Eccl.7.2. diſſimile, quod ait ſapiens; *diſcede ab iniquo & deficient mala abs te, in Synagoga peccantium exardebit ignis, & in gente incredibili exardeſcet ira.*

Ubi per peccatores, & incredibiles, plane intelligit infideles quorum Synagogam ſeu ſocietatem piis vitandam eſſe declarat: fruſtra monuiſſet dominus Moſis tempore declinandam Græcorum aut Romanorum amicitiam, quorum nec tum imperia, nec nomen quidem exſtabat. In vicinis docuit quid in aliis præſtandum eſſet. An ſcilicet ſubverſionis periculum cujus cauſſa hæc prohibitio facta eſt, minus erat aut in Romanis ſumma ad pervertendum potentia præditis, aut in Græcis tot artibus ad decipiendum inſtructis, ut à Chananęis & cęteris hujuſmodi tantum caveri oporteret, ab aliis nihil timeri? An & quinque iſtis quas commemoravi gentibus deletis, liberum fuit Judæis cum cæteris Ethnicis familiariter vivere? Nemo hoc peritus aſſeret, nemo niſi impudens tuebitur. At declinari tantum idola, & ſuperſtitionem exterorum fortaſſe lex jubet? Cur igitur fœdera & amicitias nominavit? Cur tanta & tot ſæculis apud ſinceros quoſque Judæorum cautio ſtetit in vitando Gentilium cō tubernio, ut ne eorum quidem domos ſine contaminatione ingredi ſe poſſe exiſtimarent.

Indicari pervelim nobis Moſis, Joſue, & Judicum temporibus, quando hæc in concuſſo vigore lex valuit, quęnam à fidelibus cum gentibus, ſocietas armorum cō tracta fuerit, etiam ad alios infidelium populos ſubjugandos, juſtiſque armis delendos.

Fruſtra perfugiū ad iniquorum

Omne ad Regum geſta perfugium eſt, ubi tam multa audacia atq; improba, tam ſæpè ſe laxantibus ſeverioris diſciplinæ commiſſuris. Fingitur David cum Rege Palæſtino armis contra Saulem populumque Judaicum decertaſſe. Nam licet extremæ neceſſitatis imperio adactus ad Achim confugerit, ſeorſim tamen ab eo in deſtinata ſibi urbe habitavit: & cùm credulo Principi putaretur ſuis peroffenſus, nihil tamen contra eos unquam acerbum nihil ſua virtute indignum molitus: Cū in Saulis ſubditos irruere eum fama vulgaret, Geſſurios, Gergezæos, Amalechitas Judęorum hoſtes tacitis incurſionibus vexabat. Quod forte ſubodorati Regis Achidis Principes, nunquam permiſere, ut in eo prælio quo de ſumma rerum Sauli & Philiſtinis decernendum erat, auxiliaribus copiis pro Achide confligeret, rati quod erat, eum fingere, & prævaricari. Itaque à Principe dimiſſus & noctu aufugiens, non ægrè ſe in tutum locum recepit, ut nec cū exteris pugnaret, nec ſuorum cæde oculos manuſque funeſtaret.

Regum exempla. David nunquā pugnavit contra Saulē & gentem ſuam cū infidelibus.

Pauca reſtant & mala quæ proferantur exempla. Salomon quippe cū Regis Ægyptiorum filia matrimonio copulatus, Jorā cum Athalia, ſed uterque malè & malo eventu. Inde Regis dementati & in exteros amores projecti tam exitiales furiæ. Inde in tot Regum ſanguine mulier atroci cęde bacchata, omnia ſuſque deque verſa, & lamentabili funere proſtrata. Opponuntur poſtea Aſa & Joſaphat, qui ſociatis armis, & auſpiciis, cum Syris & Iſraelitis bella ſunt adorti. Sed uterque propter hoc facinus Dei cenſura caſtigatus. Num Aſæ dictum à Propheta? *Quia habuiſti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcirco evaſit Syriæ Regis exercitus de manu tua.* 2. Paral. 16 7.
At Joſaphato, *Impio præbes auxiliū, & iis qui oderūt Dominum, amicitia conjūgeris, & idcirco irā quidē Domini merebaris, ſed bona opera invēta ſunt in te, eo quod abſtuleris lucos de terra Juda*. 2. Paral. 19.2.
Et Paralipomenon 2. Paral. 20.37.

Salomon & Ioram malu exemplu, deteriora ſucceſſu fœdera cū impiis junxere. Aſa & Ioſaphat de fœdera cum infidelibus reprehenduntur.

ſecun-

Digitized by Google

ſecundo, *quia habuiſti fœdus cum Ochaſia, percuſſit dominus opera, contritaque ſunt naves, nec potuerunt ire in Tharſis*

Fruſtra contra tam clarum exẽplum diverticula quarũtur

Duo adverſus argumenta tam manifeſta obtendi ſolent effugia; nam de Aſa dicitur quod non externus & infidelis ab eo delectus miles damnatur; ſed nimia in eodem milite Regis fiducia. In Joſaphato verò carpi autumant ſocietatem nõ cum Iſraelitis, ſed cum Achabi domo contractam, quam propter cædem Prophetarum execrandam fuiſſe atq; cœleſti calculo damnatam conſtat. Sed hæc caducis admodũ etiam rationibus fulciuntur. Nam ſi in Aſa ſolus de peregrini militis robore tumor perſtringitur, oſtendi ab iis qui hæc dicunt expediret, hoc ſecluſo rem in aliis aut laudatam, aut ſaltem permiſſam. Sed quando & ubi commendata? quando non reprehenſa? Deinde ſi quod alterum ſpectat, ſola Achabi domus excluditur, numerentur qui hoc excepto probati, & annuente Domino in fidelium ſocietatem admiſſi. An ſolis tam ambiguæ cauſæ patronis omnia ex ſuo arbitrio ad gratiam loqui licet, nos pro veritate ſtare & pro veritate niti non decet.

2. Par. 25.

Amaſia præfulgẽs exemplũ.

Ecce tandem Amaſias qui bellum illaturus Idumæis, duplicem collegit exercitum, unũ ex ſuis, alterum ex Iſraelitis, centũ videlicet millia robuſtorum, centũ talentis argenti Nihil hîc de immoderata in præſidiis humanis fiducia dicitur, nihil infertur de Achabi domo jam oppreſſa atq; extincta, & tamen jubet Propheta tã grandem exercitum numerata jã pecunia emptum, ferme in ipſo belli procinctu dimitti, nullam aliam cauſſatus rationem, niſi quod ex impiis & à Deo alienis militibus eſſet cõpoſitus. Obtemperavit Rex antepoſita pecuniæ conſcientia, ſolis Judæ legionibus cinctus ſigna contulit, & de hoſtibus illuſtrem triumphum reportavit.

Quicquid igitur fingi, quicquid emolliri in hoc argumento adverſarii velint, invenient hujuſmodi fœdera Judicum temporibus ignota, poſtea ſub Regibus & Prophetis inviſa, atque cenſuræ divinæ obnoxia, per tam longe diffuſam ſæculorum ſeriem extitiſſe.

Nondum dico quid noſtro hoc ſæculo liceat, tantum de antiquorum more & lege contendo. Cœpit res audacius progredi ſub Machabæis, quibus cum Græcis Romaniſque ſocietas jam liberior pleriſq; ad neceſſitatem, aliis etiam multorum judicio ad gloriam fuit. Nõ ignoro iſtud quicquid eſt conſilii, à pleriſque antiquorum Patrũ maxime à Ruperto damnari, ut qui miſerandas Machabæorum mortes huic ſocietati gentilium adſcribat. Sed ut paulò reverentiùs agamus cum glorioſiſſimi Principis manibus, quem omnis ætas ſuſpexit, nunquam Judas ex animo ſociales Romanorum legiones appetivit, ſed protectionem, & vim in aſſerenda juſtitia, ab iis qui tum præſidebãt rebus humanis imploravit: Nam cùm indigne ab infeſtis atque injuſtis Regibus premeretur, quos ſciebat ſenatus populique Romani authoritatem revereri, quid mirum ſi ad hanc ſupplex confugit? Quid vetat hominem à latronibus obſeſſum, & miſere vexatum, ab eo cui dicendi juris poteſtatem Deus conceſſit, juſtitiam repetere, ſive ille Æthiops, ſive Scytha? Num & Chriſtiani cũ nondum inter ſe jus exercerent, ad Ethnicorum præfectos injuria laceſſiti divertebant, ope flagitata quam ex officio ipſi debebant reddere?

1. Macha.

Rup. de victoria verbi de Machabæis quid ſentiendum.

Recens tum erat memoria Antiochum magnum Ptolomæo Ægyptiorum Regi adhuc puero avidis faucibus inhiantem, à Scipione fuiſſe compreſſum: credebant injurias quas ipſi ab ejus ſucceſſoribus patiebantur, eadem ratione diſſuadentibus

Digitized by Google

ſcilicet aut etiam Imperantibus Romanis repelli, & à ſuis capitibus arceri poſſe. Quis inhibeat oppreſſos jura & pacem ab iis petere quos providentia rerum humanarum arbitros fecit?

At verò Machabæos id ſolùm voluiſſe indicio eſt, quod ſocialia victoris populi arma nunquam in Judæam evocarunt, imò nec unus quidem miles Romanus, aut Spartanus, cum quibus amicitias contraxerant in eorum caſtris militaſſe deprehẽdatur. Quorſum iſtud? an quia neceſſe nõ fuit, imò arctis rebus, & calamitoſis urgebantur temporibus: An quia in Romanis nulla auxiliandi poteſtas? At ſumma inerat: An quia par voluntas non fuit? Sed ultro quicquid vellent, obtulere. Unde igitur tot pugnis attriti, nullas à fœderatis copias expetunt. Nam ipſi in epiſtola ad Spartanos dicunt, *nos autem circumdederunt multa tribulationes, & multa prælia, & impugnaverunt Reges qui ſunt in circuitu noſtro. Noluimus ergo vobis moleſti eſſe, neque cæteris ſociis, & amicis noſtris in his præliis* Quæ hujus abſtinẽtiæ ratio fingi poteſt, niſi quod arma cum infidelibus jungere divina lege vetitum atque etiam ominoſum credidere? *Machab. 1.22.*

Primus exercitũ Paganorum contra fideles duxit Alcimus Põtifex execrandus. Quis igitur hoc primum aggreſſus eſt ut impiorum exercitus, non contra impios & barbaros; ſed contra genere & religione fratres duceret? Conſulatur iterum Machabæorum hiſtoria, & is invenietur fuiſſe Alcimus, perjurus ſacerdos ac cruentus, atque omnium facilè hominum deterrimus, qui à Rege Demetrio Ethnicorum exercitum dolis impetravit, quem contra Judam cæteroſque avitæ religionis propugnatores infeſtus duxit, patria miſerandum in modum lacerata & piorum, Principum etiam virorum ſanguine immaniter fuſo, unde & ulciſcente numine ſubita atque horrẽda morte inquinatum Idololatria ſpiritum exſpuit. Pudendũs certè & infœlix author facti tam præcipitis, tam audacis. *Mach. 1.7 2 Mach. 14. Mach 1.9*

Hæc de veteri inſtrumento prolata ſufficiant ut eorum reſpondeam argumẽtis, qui magno ambitu & magna vi (ut putant) ingerunt. Nunc quid poſt Chriſtum & Evangelia factum fuerit lubet plenius inſpicere. Difficile eſt admodum omnes hiſtorias avidè percontanti deprehendere Chriſtianum Principem, eumque pietate inſignem, & fama candidum, poſt habitum cum Dei ſacerdotibus de ea re conſilium, infidelium copias maxime eorum qui à Chriſtiana lege alieni ſunt, in capita, & urbes fidelium fauſtis & probatis ſucceſſibus immiſiſſe. Et rationes quidem, ſi vacat, deſpicere quę id vetant multæ ſunt.

Fœdera cum infidelibus ab Apoſtolo vetita. Primum enim clariſſima vox Pauli ſuperius jam perſonuit, quæ vetat cum infidelibus jugum ducere, hoc eſt, ut ajunt Ambroſius & Chryſoſtomus, fœdera & amicitias copulare. Arboreus ad tria refert capita, primùm ad eos qui per matrimonii vincula junguntur: Deinde qui eadem ſimul cum Ethnicis officia, ſive civilia, ſive militaria exercent, facti collegæ & commilitones: nam tum ſicut boves ad idem jugum alligati eadem ferunt onera, in eaſdem conſpirant curas. Addit poſtremo qui familiari convictu gaudent, & hos omnes Apoſtoli voce perſtringi putat. Nec ſine cauſſa tantopere ab impiorum conſuetudine abhorrere qui Chriſto nomen dederant, & Apoſtoli ſatores æternitatis, & cæteri Patres orthodoxi voluere: Multæ enim & graves ſunt cauſſæ quæ iſtud fieri vetent.

Rationes qua fœdus & amicitias cũ impiis Primùm ſubverſionis periculum in ſocietate peſtifera, cujus igniculi in magna creſcunt incẽdia, *ſtupa collecta* (ait ſapiẽs) *ſynagoga peccantium, conſummatio illorũ, flam-*

diſſuadeant. *Eccl. 21.* *flamma ignis.* Porus Rex Indiæ venenis aſſuefactus familiares ſua cõſuetudine perimebat ſuaviſſimis licet captos illecebris. Ineſt malis virus ſubtile, & in abdita quæque penetrans, quod cum ubique timendum ſit, plus tamen contagionis habet in contubernio militari, ubi jam laxati mores, & deterioribus pervii. *Sæpè* (quod ait Cyprianus) *Inter nocentes innoxiũ eſſe crimen eſt, malos quiſquis non imitatur, offendit. Conſenſere jura peccatis, & cœpit licitum eſſe quod publicum eſt.* *Cypr. ad Donat.*

Deinde quàm pudendum inter adoratores Chriſti ſtare cultores dæmonum, qui in os, in oculos incurrant, qui elata cervice, fronte perfricta, ſuperſtitioſis ritibus operentur, & per vitæ mortiſque conjunctionem quæ illis cum fidelibus eſt authoritatem ſectæ cõcilient. Adde quod durum eſt veræ fidei profeſſores, licet ipſi hoſtili in nos ſint animo, impiorum manibus ſubjici, capi, mactari, & per ludibria infœlicem trahere ſpiritum. Occupavit ferrum Saul, ne unctus domini Philiſtinorum manibus pollueretur. Num putamus Chriſti characterem cruentis ſceleratorum manibus inquinari, & per indigna omnia tractari? Non dico quòd omnem vindicandi modum excedant, & immanitate barbara in ſanctiſſima quæque ſæviant, quod tot cladibus luctuoſis notum, & commemorare etiam acerbum eſt. Iſtud etiam adde non placere numini, victorias quæ infidelium ope & communibus auſpiciis parantur: nam quæ tum læta & proſpera in contumeliam Dei ſibi per inſolentiam arrogant, & fortunam armorum in conſcientiam trahunt, vera ſe religione niti exiſtimantes, quod belli alea votis reſponderit. Inde tantus apud antiquos fœderatorum cum infidelibus armorum horror. Non rigida ſæcula commemoro, non atrocem Tertulliani cenſuram nimis tempori, nimis neceſſitati obluctantem.

Quid Concilia de hac re praſcribant. Reſpiciamus concilia quibus hæc quæſtio iam maturiùs deciſa, jam propioribus experimentis clara. Anno Chriſti octingenteſimo octogeſimo primo, ut notat Baronius, regni Neapolitani jura penes Athanaſium fuere, qui ut ſe ſuoſque fines ab incurſionibus hoſtium tueretur, cũ Sarracenis jam nimis orbi notis, fœdus percuſſit, & ſocietatem inivit. Exhorruere quotquot erant Chriſtiani principes, & ad Joannem octavum ſummum Pontificem res delata, qui nihil non movit, ut Regem à tam audaci facinore ad ſaniora conſilia revocaret. Hoc ſæpe monito & contumacius obluctante, cogit Romæ ſuper hac quæſtione ſynodum, in qua communi patrum conſenſu damnatum iſtud cum Agarenis fœdus, & hujus auctor Chriſtianis ſacris interdictus. *Memorabile Athanaſii exemplũ ſub Ioanne 8.*

Fruſtra objiciuntur mali & infauſti qui hoc tentavere. Quid habent adverſarii quod objiciant ad tam magnam & tam defecatam lucem? Undique futilia coacervant exempla eorum qui temerè iſtud fecere, quaſi nulla alia Principibus habenda innocẽtia ſit quã alienæ culpæ imitatio. Eſto hoc Rufinus tentarit, ſed ille à militibus diſcerptus: hoc Stilico ſanxerit, ſed & ipſe juſſu Honorii Imperatoris quem ſibi generum fecerat trucidatus. Hoc Iſaac Angelus Imperator Conſtantinop. perfecerit, Sed is quoque imperio & oculis privatus.

Quis ſcholaſticorum temperatior ſenſus. Nimis fortaſſe hæc auſtera dictu pleriſque videbuntur: Sed profiteor me nihil hìc aliud ſentire quàm quod communis vox Theologorum profitetur. Molina, Bannez, Becanus, Bonacina, & recentiores omnes admittunt poſſe Chriſtianos Principes uti in bello juſto militibus etiam infidelibus, tanquam equis aut elephantis, qui in manu ductorum ſunt, modò conditiones duæ accuratiſſimè ſerven-

Licet cũ duabus conditionibus uti etiam infideli.

tur, quarum prima eſt ut nihil inde Eccleſia detrimenti capiat, altera, ut ſine piorum ſcandalo fiat.

Durũ ſane fuiſſet Imperatoribus Chriſtianis primis temporibus indicere, ut Ethnicos milites cingulo omnes ſpoliarent, cùm immenſa eorum multitudo eſſet, ſine qua nec bella tutò geri poterant, nec victoriæ glorioſè comparari. Rigidum etiam prohibere ne hodie ſubditos licet novæ ſectæ erroribus infectos conſcribant in milites. Aliud eſt populares qui in officio contineri poſſunt, legere, aliud exterum & infidelem militem adverſus Catholicos armare, quem non ut equum habenis regas, ſed ut aprum fumantem & ſpumãtem in clades ultrò immittas, quod nemo Chriſtianorum Regum, noſtro tempore ſciens aut volens fecit. Tunc enim ſacra omnia profana ſunt, ridentur & calcantur ſacramenta, diſiiciuntur aræ, excarnificantur ſacerdotes, concuſſa cremantur templa, promiſcua libido in virgines & nuptas furit, nec illis parcit quas ſibi Chriſtus ſponſas legit: viva & ſpirantia domini templa domini ſacraria, militaribus probris objecta; quis hæc probet? aut quis ſatis defleat?

Quæro an hæc ſine detrimento Eccleſiæ fiant; & quando non fiunt? Ubi nõ homines, ſed ipſæ armantur furiæ quas laxare potes, retinere cum laxaveris, non potes. Quæro an ſine ſcandalo de auxiliaribus Turcarum copiis cogitare Princeps Catholicus poſſit? Inibit ſcilicet belli & pacis, vitæ & mortis, arctiſſimam ſocietatem Rex Chriſtianus cum æterno Chriſtiani nominis hoſte, cum æterno Chriſti etiam triumphantis perſecutore? Implorabit illa vexilla, illa arma, quæ patres calcavere, calcabit quicquid adoravere? propinabit barbaris Chriſti ſanguinem, adhuc in tot piorum venis bullientem? dabit immundis ſancta, & ſanctis immunda, omnia confundet jura, qui nullum habet, omnia divina humanaque proſtituet, pro libidine ulciſcendi? Quas deinde aras aſpiciet, & quem invocabit Deum? Quo ſanguine redimetur qui domini ſanguine redemptos ultricibus furiis devoverit? Ignoſcat Deus Principibus qui hæc non vident, & eorum pectora timore ſuo configat qui nimis in rebus humanis vident, obliti cæli & Dei, in omnibus præpoſteri, luminis fulgore cæci, in omnibus miſerandi. Licet nulla hujuſmodi fœderibus conſcientia, nulla ſanctitas reclamaret, ſtaret ex adverſo prudentia, quæ diſſuaderet. Ubi enim terra non fuere atque infauſta? Quid profuit Machabæis toties invocatum etiam in juſta cauſſa Romanorum nomen? Num per Romanos ad internecionem deleti ſunt filii quorum Patres Romanorum ſocii? Num Tryphonis fœderati penates ſuo & filiorum cruore Jonathas reſperſit? Per hæc fœdera Conſtantinopolis arſit, luxit Græcia, imperium concidit. Taceo horrore cætera quæ nec annalibus narrari, nec lachrymis æquari poſſunt.

DISSERTATIO QUADRAGESIMANONA.

De Connubiis.

In hæc verba *Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis* 3. Reg. 11.

Conjugiorum magna vis.

Magna quoque regi adjumento ſunt matrimonia, officinæ generis humani, quæ ſi in privatis valent quanto magis in Principibus quos fere naſci potius quàm fieri contingit? Itaque ſummâ curâ providendum eſt ut naſcantur à bonis,

nis, transfuſa virtutis à progenitoribus hæreditate.

Ingens momentum in fœminis. Ingens hîc momentum eſt in fœminis, quia proles ſæpius uterum ſequitur. Dici non poteſt quantum expediat regnantibus habere bene moratas uxores, quæ liberis magiſterio, omnibus ſint exemplo. Non ſine cauſſa dictum eſt à ſapiente. *Domus & divitiæ dantur à parentibus, à Domino autem propriè uxor prudens.* *Prov. 19. 14.* Opes videlicet attribuit progenerantibus, uxorem providentiæ: non quòd neget à Domino eſſe totum illum regiæ fortunæ ſplendorem, ſed quod pro nihilo fere ducat, ſi cum ſapientiâ conferatur. Itaque miſeranda faſcinatio eſt, quæ hodie à vulgo etiam in purpuratos, etiam in dominatores terrarum tranſit, ut in matrimoniis captent lucra, indole neglectâ, contemptiſque virtutibus: Inde tanta ſæpe malorum congeries & tam fœda per regnatrices domos exempla.

Quales eſſe debeant. Primùm eniti oportet ut quæ generandis Principibus deſtinantur fœminæ, ſint à bonis, & bonæ, pudicitiâ, modeſtiâ, prudentiâ, charitate: Deinde ut genus, ut forma, ut cenſus, & potentia, fulgorem mentis velut umbræ conſequantur.

An ſint Catholicæ novæ ſectæ Principibus jungendæ. Quæſitum ſæpe an Catholicas, novæ ſectæ Principi in matrimonium dare expediret: nec dubium quin formidoloſa res puellis, ætate tenera, virtute debili, atque indole in laſciviam & ſuperbiam prona. Sæpe tamē iſtud cœleſtibus auſpiciis rem ita diſpenſantibus factum, in mulieribus altâ morum ſanctimoniâ ſubnixis, quæ à deterioribus illeſæ, viros in optima quæq; verbis & exemplis traxere. Non pauca numerantur regna quę annitentium ope Reginarum ad Chriſtum ſunt converſa Cæ-

Regna per fœminas converſa. ſarea Perſidem, Clotildis Franciam, Hiſpaniam Indegundis, Italiam Theodelinda, Germaniam Ethelberga, Olga Ruſſiā, Dambruca Poloniam, Giſella Hungariā; totum denique imperium Helena ad Chriſtianos ritus impulit. Ingentes ſanè fœminæ & digna cælo pectora, quæ aſſeruerunt Deo regna, & ſceptra virtutibus conſecrarunt.

Quantum inde boni, tantum mali eſt, ſi pravæ, ſi impietate aut hæreſi infectæ, ſi ſolutæ moribus uxores, præſertim maritis ingenii facilitate qua ducuntur itutis, apparantur. *Quantũ mali à pravis mulieribus illatum.* Argumento eſt Jezabel Tyriorum Regis filia, quam de gentilitate Achabus Rex Iſrael infauſtis auſpiciis duxit. Erat illa turbulento ingenio, & ſęvo, in Prophetarum ſanguine toties volutata, quæ virum nimis uxorium furiis inſtinxit, & in omne ſollicitavit ſcelus. Mali deinde corui malum ovum, ipſius Achabi proles Athalia Joramo nupta, per quam immania *4. Reg. 8.* facinora caſtam Joſaphati ſoceri domum contaminavere. Inde Regem moribus jā perditum omnia funeſta perdidere, defectio provinciarum, Philiſtinorum incurſiones, direptiones Arabum, morbi denique per cœleſtes plagas inflicti, longa cum tabe conſumpſere Ochoſiam ejus filium ſtatim mater peſſimis artibus infecit, conſiliarios illi ex Achabi domo per quos regnum adminiſtraretur, conſtituit; cuncta turbide & violenter egit, dominandi libidine, deinde filio immaturâ morte præ- *Ibid. c. 11.* repto, regnum occupat, cunctis maribus regiæ ſtirpis occiſis præter Joam ab uxore Jojadæ Pontificis de victimariis cultris ereptum.

Hæc ſacra nobis hiſtoria poſuit ob oculos, ut quiſque diſceret peſtilenti ſidere afflari regna, in quibus mulieres quæ minimùm virtutibus valent, plurimùm authoritate poſſunt. Ubi expers divini timoris animus, & veræ pietatis ignarus frænos excuſſit, & totum ſe cupiditatibus permiſit, omnia dira & horrenda ſine diſ-

crimine

Digitized by Google

crimine cogitantur, patrantur ſine metu. Nullus umquam finis per tot annales gentium relegenti damna quæ ab improbis & potentibus fœminis in regna ſunt illata: Semiramidis veſanas artes experta eſt Aſſyria, Ameſtridis ſævitiam Perſis horruit, Græcia Clytemneſtram, Agrippinam Roma, Brunechildis & Fredegundæ tragædias Gallia ſpectavit. Sed nullum dulcius in rebus humanis ſpectaculum quàm præſtans virtute fœmina, quæ virilem animum muliebri venuſtati inſerens, in poteſtate moderata eſt, in moderatione prudens, in prudentia fortis, quæ per regna undique rivulos beneficentiæ deducit, & regnare ſe Deo, prodeſſe hominibus cupit. Tales tot nobis Heroinas ſuis manibus virtus edidit, quibus imperia quaſi ſuis illuminata ſideribus.

Bene cū Regnis agitur, ubi Regina optima plurimum poſſunt.

Nunquam regnis melius quàm cùm hujuſmodi reginę in partē curę rerum veniunt cum maritis, & optima quæque ſuggerunt, ſatis diſertæ, dum placent. Quin etiā ſæpe orbata viris Regibus rexere regna, pupilloſque filios mirabili fælicitate. Nam charitate erga prolem præſtant omnibus, ad tuendum ſedulæ, ad audendum modeſtæ, & ſuſcipiendis bonorum conſiliis aptæ. Ineſt præterea de cælo vis & dominatrix quædam gratia, quibus conciliatur genus humanum. Aſtræam terris reduxit Pulcheria: ſuſtentavit humeris oriētis imperium Theodora, cum peſtibus & monſtris conflixit, ſtantem impii timuere, omnia auſi, ipſa per nefas relegata. Amalazuntha plus vidit quam Gothi Principes, qui tum melioris Rectores orbis habebantur. Blancham ſancti Ludovici matrē ſanctiora viderunt ſæcula, omnia in poſteris ſuſpexere. Tantum ponderis in virtute eſt, ut hanc primam & fere unicam in reginis dotem requiras.

At ſi hæc cum comitatu veniat earum rerum quæ multum imperiis proſunt, tanto magis ſuſpicienda eſt. Bonis avibus geniti creduntur quibus etiam regna ultro cedunt in uxorum dotem. Et miranda in eo domus Auſtriacæ olim fælicitas fuit, cujus Maximilianus Belgium, & Burgundiam, totamque acerrimi illius Caroli gazam, cum Maria conjuge in ſuos penates duxit. Sic ſummâ pace potitus eſt iis, quæ ferox ingenium lacerata per tot res arduas vita vidit magis quàm tenuit. Nec inferiori ſorte Philippus ejus filius qui in regnum Hiſpanicum & Neapolitanum, in tam florentes, tam beatas opes, & totam illius fortunæ molem, quam ſedula Ferdinandi virtus aggeſſerat, per unius puellæ conjugium ingreſſus eſt. Ea tam acri in cōjugem amore extitit, ut fortunati illius immaturo funere defuncti cineres à ſe divelli nunquam pateretur. Annam Britannam multi ambiere, Carolus Octavus eripuit. Nec aſpernatus viduam Ludovicus duodecimus, tantum eſt opulentæ ſic occurrere virtuti, quàm etiam nudam boni venerantur.

Magna fælicitas nanciſci egregiam virtute fœminam, qua veniant cū dote regnorum.

Quadam matrimonia in ſpeciem opulenta, ſucceſſu verū infauſta.

Sed tamen cavendum eſt ne dum quiſque divitiis ardentius inhiat, ſæpe tentet matrimonia in ſpeciem magna, ſed exitu ſterilia, & æterna quaſi bellorum ſeminaria. Parum Francia profecit ex Eleonoræ Guillelmi Ducis filiæ conjugio, nam facto propter pudenda impotētiſſimæ mulieris flagitia divortio, Ludovicus Aquitaniam quam ipſa dederat, reddidit: hæc deinde ad Henricum Regem Angliæ novū proſtitutæ maritum eſt tranſlata, magno noſtræ gentis detrimento, in quam ſæva omnia machinari non deſtitit. Matrimonii jure fictitio Galliam repetebat Edouardus tertius, Iſabella Philippi pulchri filia genitus. Sed Philippus valeſius pulchri frater, cum ex Salica lege ſucceſſiſſet, ejus ſe conatibus illegitimis interfudit. Inde bellum

bellum tempore & cladibus infinitum. Proſpicienda ſunt prudentibus jura, legeſque gentium, nec cupidinis temeritate quatienda, quæ longa ætas texuit. Qui ex iniuſtitia fieri divites volunt, rem, amittunt, & parta dedecora in æuum retinent.

Reginæ reverenter habendæ.

Poſtquam in Regias Principes fœminæ coaluere domos, reverenter habendæ ut quæ Regum matres ſunt, aut fieri poſſunt; coruſcent propius maritorum radiis, & primis jam facibus nitens majeſtas in filiis, refundatur in genitrices. Vt fœcundæ ſint optandum, nec tamen extra modum; Nam ut aiebat ille; non eſt Regnis proficua Cæſarum pluralitas. Et niſi majorem natu diſcant cæteri fratres tanquã Dominum reuereri, & arctiſſimis modeſtiæ legibus ac fideli ſapientum cuſtodia muniri, multa ſæua atque horrenda per diſcordias impendent.

Coniugia Principũ etiam curanda.

Nec tamen iſta matrimoniorum cura ſolos ſpectat Reges, quam par eſt etiam extendi in Regii ſanguinis Principes quos minime decet per vagam amorum licentiam vxores ſine juſtis cauſſis ſibi legere. Sed tamen ex adverſo magnopere cavendum eſt, ne magnitudine poteſtatis opprimantur jura naturæ, & per ſpeciem vtilitatis publicæ ſeruiatur hominum libidini, qui nullos ſæpe frenos ambitioni ſuæ imponunt, compedes voluptatibus injiciunt, & ſteriles volunt eſſe quos timent, aut odere. Pro libertate honeſta coniugiorum ſemper Eccleſia ſtetit, dãnatis in concilio Trullenſi qui jura regnorum Chriſti legibus in his contractibus anteponunt Firmauit hoc Tridentinum, iis etiam excommunicatione percuſſis, qui ſubditorum voluntatem in re omnium maxime libera cogere non vererentur: nec coniugales promiſcuè ſine authoritate ſummi Pontificis à Principibus Chriſtianis ferri leges poſſe, ſanciunt Doctores, qui à quingentis ferme annis de ea re ſcripſere. Sed hæc alterius temporis quæſtio eſt, & nos ad metam feſtinamus.

DISSERTATIO

Quinquagesima.

De litteris & Artibus.

In hæc verba. *Deus ſcientiarum Dominus eſt,* 1 *Reg* 2. 3.

Literæ olim ſuſpectæ dominantibus.

Restant artes & literæ, è quibus ciuitatum commoda & ornamenta, atque omnis in ciuilem vitam affluit amœnitas. Suſpecta tamen olim dominantibus Philoſophia, eloquentia, omniſque doctrinæ politioris ſtudia. Hæc primum Roma rudioribus ſæculis damnavit, poſterioribus aluit & ornauit. Extat apud Suetonium libro de claris oratoribus cenſura rigida ſtudioſis nec honeſta iubentibus. *Quod verba facta ſunt de Philoſophis & Rhetoribus S. C. de ea re ita cenſuerunt, M. Pomponius prætor, animaduerteret, curaretque uti ei è republica, fideque ſua videretur, uti Romæ ne eſſent.* De ijſdem interiecto tempore Cn. Domitius Ænobarbus, & Licinius Craſſus cenſores ita cenſuerunt. *Renuntiatum nobis eſt eſſe homines qui nouum vitæ genus inſtituerunt, ad quos iuuentus in ludos conueniat, eos ſibi nomen impoſuiſſe latinos Rethores, illi homines adoleſcentulos totos dies deſidere. Maiores noſtri quæ liberos ſuos diſcere, & quos in ludos itare vellent, inſtituerunt. Hæc nova quæ præter conſuetudinem à mores maiorum fiunt, neque placent, neque recta videntur.*

Decreta contra literatos.

Certum eſt liberales artium diſcipli-

Liberæ

niſi bene regantur, civitatibus perniciosa.

nas, ipſamque Theologiam, niſi Dei timore, & prudentiæ ſalubritate temperentur, reipublicæ non modò inutiles, ſed plerumque etiam infeſtas eſſe. Inde enim exiſtunt ingenia deſidioſa, arrogantia, inſincera, quibus cùm mali mores acceſſerint, & prærupta quædam vis audendi, ingentes ubique turbas excitant. Non aliter magia, non aliter hæreſis exitiale per orbem virus ſparſere quam per Doctores curioſos, improbos, & peſtiferis vitiis infectos. Per iſtorum inventa, per iſtorum ora, ſeditio tam ſæpe faces accendit, & quæ coaleſcere putabantur imperia, in Anarchiam reſoluta. Sæpè iſtud literæ ſunt improbis, quod ſiluæ latronibus.

Nec tamē propter abuſum uſus tollendus.

Sed ſi propter pravas abutentium artes omnia continuò de civili ſocietate ſunt reſcindenda, optimis quibuſque rebus in perpetuum nobis carendum erit. Non igne, non ſole, non vino, non medicina quis uti poterit, omnia ignorantibus ſuſpecta, omnia erunt inviſa. Non ſunt audiendi qui quaſi tertij è cælo Catones ceciderint, regnorum ac rerum publicarum reformationem cæcis mentibus volunt. Queruntur effœminari per ſtudia literarum animos, inde vacare rura cultoribus, exhauriri commercia, nec iam ex centenis hominum millibus conflari numeroſos exercitus, ſed contemptos & exiles, deſidentibus ad lycæa per ſocordiam literatis.

Adverſus oſores literarum

Ipſi qui hæc dicunt, nec arare volunt, nec militare, ſed ubi faſtidioſo ſtomacho ampla quædam verbis, iudicio minuta, præcipites eructavere, putant ſe ſummū politices apicem attigiſſe.

Diſtinguenda pro ſtudiis literarum tempora.

Sed imperiti non vident alia incipientibus, alia fundatis iam regnis convenire. Dum novas populi quærere ſedes, dum bellare continuo, dum luctari opus cum finitimis fuit, nil mirum ſi tum de ſtudiis cogitatio nulla, quæ intempeſtiva & inutilis fuiſſet. At poſtquam parta ferro victoria, & quies, avent quo modo homines ſunt, iuuentutem optimis artibus excolere, amant diſcere quæ in æuum proſint, inveſtigare naturam, potiri mundo, ſollicitare in ſeſe latentia mentis ſemina.

Literas Roma reſpuit. Hircoſa, triumphatrix adoravit.

Nil opus eſt rudes atque hircoſos Romanorum mores conſulere, quin potius contemplandus ille majeſtatis fulgor qui ſub Auguſto reſplenduit, cùm Roma terrarum Dea, & gentium dominatrix haberetur. Erat tum incitatiſſimus ſtudiorum vigor, cùm florentiſſimis ingenijs abundaret imperium, & maximis undiq; præmiis alerentur ad decus. Nec propterea incultos agros obruere ſpinæ, nec navalibus, nec caſtris nautæ, aut milites defuere. Illi qui in antiquis hiſtoriis memorantur exercitus tumultuariis fere copiis cōſtabant in breve admodum tempus, nunc ſtati ubique milites, non impedimento nati, ſed victoriis. Si omnes ad militiam alerentur, ubique forent iuuenes feri & indociles, rapto vivere aſſueti, & contumeliis docti omnes inceſſere, & cædibus operari: nihil eſſet privatis quietum, nihil imperio tutum. Si politica tractare alii & quidem multi juberentur, plena cenſoribus forent cuncta, & imaginariis terrarum Rectoribus, viris arrogantibus & cæcis qui ſupercilio ſexcentas ferre ſe Reſpublicas crederent.

Quam utilis educatio iuventutis in literis.

Quantò melius eſt, innocentibus ſtudiis adoleſcentes detineri dum ſe ingenium aperit & durantur artus. Quanto ſatius cum doctrina pietatem inſtillari moreſque verecundia componi, quam ferox in jurgia pectus incitari. Si tollis ſcientiā de rebus humanis, redeundum nobis eſt ad glandem, vitamque ſilueſtrem. Vbi de-

decus? ubi majeſtas? ubi aptæ regendis hominibus mentes?

Laus ſapientiæ.

Pædagogi ſunt, ſi neſcis, generis humani Sapientes, qui norunt præterita, futura providêt quibus omnia ſecula ut Deo ſeruiunt. *Vapor eſt* (ait Salomon) *virtutis Dei ſapientia, & multitudo ſapientum ſanitas orbis terrarum.* Inde Eccleſiarum lumina, inde decora togatorum, acuti & æqui juriſperitorum ſenſus, & amica vitæ, victrixque morborum medicina. Inde Oratores & Poëtæ, & arcanorum naturæ cõſcij, interpreteſque Philoſophi, inde Matheſis, & cælicivis in terris Aſtrologia.

Sen. ep. 90.
Sap. 6. & 7.
Scientiarum ornamenta.

Variarũ Artium commendatio.

Hæc magna & divina, nec tamen omnes & ſemper occupare debent; ſua ſemper erunt civili vitæ munia: & partes ſuas cuique natura ſolers attribuet.

Agricultura.

Primas agriculturæ neceſſitas dedit, quæ licet videatur in infimo poſita, Reges tamen atque Pontifices, urbes, provincias, imperia bellũ pacemque ſuſtentat. Hæc eſt artium innocentiſſima quam non homo homini, ſed Deus primum indidit, cum Adamum in voluptariis hortis conſtituit ut operaretur & cuſtodiret. Traxit ad ſe Reges amœnitas. *Ipſorum* (inquit Plinius) *manibus Imperatorum colebantur agri, gaudebat terra vomere laureato & triumphali aratore.* Nec immerito de Childeberto Rege Franciæ, hortos colente dixit Venantius.

Plin. 18. c. 3.

De cultore trahit mellitum planta saporẽ.
Carius iſta placent quæ manus illa dedit.

Mercatura.

Poſt agriculturam multum valet pecuniaria negotiantium ars, ſeu mercatorũ, nam monetæ merciumque commoditate & grandibus commerciis conſtant divitiæ civitatum, & firmamenta regnorũ. Itaque & honeſtum ordinem mercatorũ Plato in ſua quoque Republica probavit. Nec abnuit Cicero: *Mercatura*, enim ut ipſe ait, *ſi tenuis eſt, ſordida eſt putanda. Si magna & copioſa multa undique apportans, multiſque ſine vanitate impartiens, non eſt vituperanda. Atque etiamſi ſatiata quæſtu, vel contenta potius, ut ſæpe ex alto in portum, ex portu ſe in agros poſſeſſioneſque contulerit, videtur iure optimo poſſe laudari.* Certè exitioſi ſunt qui malis artibus, uſuris, fraudibus & rapinis, rem immanem in modum cumulant. Sed ſi qui honeſtè & liberaliter mercaturam exerceant, non vulgari cõmendatione digni ſunt. Nam quantum hoc Dei donum eſt, quod pleriſque hominibus otij dulcedine illectis, & in altiſſima rerum incuria verſantibus, excitarit alios acres, & induſtrios, qui per maria, per horrentes ſcopulos, & monſtra quærant quod patriæ impendant. Quantum hoc lucrum eſt habere qui ſint totius in orbis hoſpitio, ut quæ nobis ſuperflua ſunt divendant, quæ neceſſaria, quæ utilia, quæ amœna, cibos, veſtes, medicinas, per tot pericula importent: ſic orbis unitur orbi, & fit omnis natura communis, & mortalitatis noſtræ damna penſantur.

Architectura.

Accedit ad hæc architectura quæ circa ædificationem, gnomicen, machinationemque verſatur, ars ſane audatiſſima, quæ vincit opera Gigantum; neque enim per furorem montes imponit montibus ad turbanda cælitum ſacraria, ſed ingenioſis lapidum ſtructuris infert cælo terras, & per tot temporum lapſus duratura facit opera, quæ præſentium, & poſterorum animos magnitudinis ſuæ admiratione compleant. Per hanc ſtant religioſa fana, ipſius æternitatis æmula, per hanc oppida & turres, & inexpugnabilium arcium munimenta. Per hanc fora, porticus, Academiæ, monaſteria, balneæ, theatra, inambulationes, domus publicæ, &

Digitized by Google

priuatæ, ſciatericorum, machinarumque artificia, horti, fontes, & cætera innumera è quibus opulentia urbium, & decor & innumerabiles in omnem vitam fundantur commoditates.

Picturæ & Sculpturæ. Huic aſſident picturæ, & ſculpturæ ingenioſiſſima Heroum inventa, per quæ colores viuunt, & in tot ſæcula lapides animantur. *Fabri.* Adde iam omnes qui circa aurum, & argentum, circa æs & ferrum, circa vitrum & ligna fabrilia deſudant. *Horologia.* Adde automatarios cælo dignos artifices, qui rapidos cæli motus in tam parua metalla tam exquiſita ſubtilitate animata deſcribunt. *Opifices.* Adde papyri conficiendæ induſtriam, & typographiam molimina æternitatis: *Typographi.* Adde ſartores, tinctoreſque veſtium, & qui mirificos intexunt mœandros Phrygiones. Longum eſſet ire per omnia, quid non in iſtis mirabile, quid non ſuſpiciendum in divina providentia, quæ nos amavit uſque ad delicias? Ipſi qui circa panem & cibos, & quæ corpori ſunt apprime neceſſaria, licet minus ſubtilitate pollere videantur artifices, ſunt tamen cum omni humanitate fovendi, nec vlla pars Reipublicæ excludi debet à cura Principis. Tantum caveri oportet ne quæ à domino dantur adiumenta, fiant malorum irritamenta, & arma nequitiæ, dum per populatorem regnorum luxum omnia à ſuis vſibus detorta, corruptelis ſerviunt.

(****)

TRACTATVS IV.

DISSERTATIO QUINQUAGESIMA PRIMA.

De induſtrijs ſervandi Regni, ac primùm de authoritate.

In illa verba. *Tu autem Domine mi Rex, ſicut Angelus Dei es.* 2. *Reg.* 19. 27.

DVo ſunt quæ faciunt, & ſeruant regna, authoritas Principis, amorque ſubditorum. *Vis authoritatis.* Illam voco eminentiã quandam poteſtatis, quæ fit ut homo homini credat, eiuſque dictis lubenter ſtet & factis, magnificæ opinionis inſtinctu.

Rariſſima res & tamen neceſſaria gubernantibus, ſine qua ſæpius attriti, & eneruea iacent. Vix dici poteſt, unde veniat, unde ſpiret, ſentitur potius quam exprimitur. Non dubium tamen eſt hauriri de cælo plenius, & quaſi Dei digito pingi in vultu regnantium. *Radius eſt divinæ potentiæ è cælo veniens.* Eſt ſanè radius divinæ illius potentiæ qua Deus in imo, in ſummo, regit & moderatur omnia. Nec aberraverit à verò, ſi quis ei tribuerit quæ Salomon ſapientiæ, vocitans *vaporem virtutis Dei, & emanationem quandam claritatis omnipotentis Dei ſinceram.* *Sap.* 7. 25. Per hanc (ut ipſe ait) *habet claritatem ad turbas & honorem apud ſeniores invenit; acutus in iudicio invenitur, & in conſpectu potentium admirabilis.* Ex quo fit ut idem dominus omnium qui eſt noſtræ fælicitatis architectus, ſit & authoritatis pater.

Vnde varia conditio Regnantium. Nam ſi quid aliud eſt in rebus humanis, cur tam multi ad imperij gubernacula venere, optimis ut putabantur dotibus inſtructi, nec tamen pares exſpectationi ſuæ

ſucceſſus habuere? Cur alios ex humili & inſperato fulgor ingens irradiavit, niſi quod in hac re optimum, totum ex afflatu divino eſt?

Magni quique Principes authoritate præualuere.

Itaque & celeberrimos quoſque & maximos in hiſtoria deprehendimus his adiumentis ad tantum decus effloruiſſe. Hoc robore Nabuchodonoſor apud Aſſyrios iugum terris impoſuit. Hoc Cyrus apud Perſas, ore, animo, factis verendus, veterem Chaldæorum Monarchiam cõtrivit, & ſemet caput orbi non infeſtum, ſed amicum omnibus intulit. Hoc Alexander apud Græcos virtutem vicit, fortunam æquavit. Hoc Hannibal labantem Africam ſuis humeris diu detinuit. Hoc Scipio prædones & barbaros à cæde & rapinis in adorationem ſui convertit. Hoc Iulius Cæſar concuſſum orbem ſubegit. Hoc Auguſtus auditus iuuenis apud Senes, Senex aras & venerationem obtinuit. Hoc Traianus totum fermè Genus humanum devinxit. Hoc Conſtantinus Deos non tantum vicit ſed abolevit illatâ in arcem capitolij. *Chriſti iam ſuperbi*, ut ait Tertullianus, *iam triumphantis* cruce. Hoc denique Theodoſius tot tyrannis domitis ortum & occaſum filiis in patrimonium diviſit. Hoc Clodovæus Aquilas victoris populi cohibuit. Hoc Carolus omnia amore & admiratione complevit. Hoc Alphonſi & Ferdinandi Mauros inluctabili ruina oppreſſere. Hoc Vladiſlai Poloniæ, Eduardi Angliæ, ingentem famam conſecuti, immortalitati regnavere.

Tertull. in Apolog.

Ecquid opus eſt ire per omnia? Nihil unquam magnum ſine authoritate magna aut geſtum eſt aut ſtetit. Contemplari licet in tot veterum monumentis Reges ſine hoc præſidio cum toto illo luxuriantis fortunæ faſtu, puſillos & contemptos, in ipſo honorum apice deiectos, in turbis ſolitarios, illis ſimiles ſtellis, quas Aſtrologi velut agreſtes notant, quòd nullo ab alijs aſpectu irradientur.

Principes ſine authoritate ſtellæ ſolitariæ.

Ecce tibi in Iudæa regnum Dei, quia ſummi imperatoris manu factum: Quam pauci Reges in tanta ſerie per tot nomina, tot ſæcula: Nempè deſertores Dei ab hac authoritatis luce deſerti, in odium bonorum, contemptum popularium, prædam hoſtium devenere; Si Davidem, ſi Salomonem, Alam, Oziam, Ioathan, Ezechiam, Ioſaphat, Ioſiam excipias, pauci invenientur digni ulla laude, ullo nomine. Tres quatuorve extant illuſtres inter triginta ſeptem, cæteri fermè aut ignavi, aut ſcelerati. Quid Roboamo contemptius; Quid Ochoſia inertius? Quid ſceleſtius Manaſſe? Vnde in gentem domini in filios ſanctorum tanta lues irrepſit, niſi quod deſtituti authoritatis ſplendore qui Dei aras deſtituere?

Pauci inter Hebræos Reges memorandi, quia authoritate deſtituti.

Ipſi etiam qui inter illos nominatiſſimi fuerunt, ubi poſt flagitia à domino relicti, & ſibi permiſſi, imbelles & marcidi. Reſpice Davidem ad ſubitam filij rebellionem pauidum & conſternatum, qui cum petulantiſſimi iuuenis furori tot obices poſſet opponere, ad primos nuncios urbem & arcem deſerit mulieribus cuſtodiendam: Ipſe inter hortatores mœſtus & latebris inhians fugam captat. Vnde in tanto Heroe, in tam invicto Rege, tam concuſſa mens, niſi quia digitus ille Dei aberat qui ſpeciem ſuam olim in eius fronte cælauerat. Reſpice Salomonem poſt tot divitias egentem, poſt tam immenſæ, tam opimæ theſauros ſapientiæ ſtupidum, in quem iam ipſi quos aluerat in ſinu, ſecreta machinatione conſpirant. Vnde iſtud niſi quia Aſſiſtricem illam ſedis, comitem virtutis, parentem fœlicitatis per vagas libidin[illegible] abiecerat, ipſe abiectus & vix ullum ſ[illegible] tinens veſtig[illegible]ũ?

Quidam de authoritate quaſi de cœlo cadunt.

Probi aliquando authoritate destituti dum improvi ſos tranſit.

Sed quod magis mirere ſæpè probos imperatores authoritas deſtituit, peruerſos iuuit etiam ficta. Pleroſque per multa vitæ officia comitata eſt, deſeruit in apice. Non patitur natura rerum eſſe aliquē in omnibus ſummum. Habet ſua fata ſuoſque limites cuiuſque genius, nec quæ me dijs magiſtratibus apta ſunt, ſufficiũt imperijs. Galbæ in regendis Provinciis vis acerrima defloruit inter Cæſares, dignus ille imperio, ut ait Tacitus, niſi imperaſſet. Quantus vigor ſenis, cui cum cruentatus oſtenderetur gladius, quem inimici cruore reſperſum falſo dictitabant, nihil adhæc geſtiens, ſed oblitus iniuriæ, memor diſciplinæ, *Commilito quis hac*, ait, *iuſſit?* Veniebat ex antiquo vitæ rigore non mutatus ad mutatos. Quippe Neronis iuuentæ atque profuſioni aſſuetos Galbæ ſenium, avaritia, & aſtricti mores deterrebãt. Didicerant amare vitia Principum qui olim virtutes reverebantur. Adde quod in Othonem graven i æmulum incidit, quem imitatio Neroniani luxus peſſimo cuique commendabat. Sed quod ſummũ eſt, viſum providentiæ proſtituti iam imperii ſcelera atque flagitia vlciſci, ſublata ab iis poteſtate qui velle recta atque etiam facere conſueverant.

Habet ſua fata, & ſuos limites Galbæ mira ſeveritas.

Vbi eſt authoritas.

Non eſt igitur in ſola probitate authoritas: Ludovicum Caroli magni filium per ſæva ludibria exarmata bonitas egit. Non eſt in genere: Caligulam & Neronem Cæſarum ſanguine tumidos repentina vis oppreſſit. Non eſt in robore, Maximinũ Gigantæa forma atq; animo, Senatus deſpexit, militũ manus confecere. Non eſt in peritia rerum atque fortitudine militari: Leonem Iſauricum ſpreuit defectio populorum. Non eſt in eloquio, Demoſthenem Antipater, Ciceronem Antonius contempſit. Non eſt in opibus; Crœſum à ſuis deſertum Perſæ ſpoliavere. Vbinam igitur niſi in hoc Dei digito? in hac luce quæ imperantium vultus irradiat? Hanc Iobus optimè expertus, eximiè depinxit. *Quis mihi tribuat, vt ſim iuxta menſes priſtinos, ſecundum dies quibus Deus cuſtodiebat me? Quando ſplendebat lucerna eius ſuper caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris? Quãdo procedebam ad portam civitatis & in platea parabam cathedram mihi. Videbant me iuuenes & abſcondebantur, & ſenes aſſurgentes ſtabant. Principes ceſſabant loqui & digitum ſuperponebant ori ſuo?*

Iob 29. 3. Deſcribitur à Iobo.

Licet à cælo veniat, conatus noſtros expetit.

At dices ſi è cælo exſpectanda eſt authoritas, nihil virtus, nihil conatus hominum conferre in eam rem poteſt, imò plurimum. Nam quod in prædeſtinatione, fit ut quos ad gratiam & gloriã Deus elegit, non ideo ſocordes atque ignavos, ſed fortes & generoſos velit, qui ut ait Diuus Petrus, *ſatagant per bona opera certam vocationem & electionem facere.* Ita & eos qui præſunt in authoritatem conſervandam atque augendam ſtrenue iubet incumbere.

Petri 2. 1. 10.

Ad authoritatem conciliandam quæ vitia primum ablegãda.

Atque imprimis procul ablegãda quæcumque illi obſtant, qualia ſunt flagitia & dedecora, turpitudo vitæ in crapulam & libidinem projectæ, puſillus animus in futiles diſtractus curas, imperitia rerum, inconſtantia, morumque mutabilitas, ſtupor & ignorantia humani convictus, auaritia & ſordes, ferocia ſtolidum quid referens, agreſtis conſuetudo, aut etiam comitas nimis demiſſa, incompoſiti vultus, geſtuſque levitas inconcinna verborum intemperies, veſtis indecorum, & ſi quid huiuſmodi læuum in hominum ſenſus incurrit.

Duo præcipui authoritatis ſcopuli. Primus Affectatio.

Sed duo præcipuè ſcopuli exiſtunt, in quos frequenter impingunt qui æſtimationem ſui glorioſam, imprimere ſubditorum animis cupiunt. Alii cum ſuæ infirmitatis ſint conſcij, quod minimè habent,

Digitized by Google

tio Zelotypa. Principes quidam authoritatis ad alteri potius quam moris.

bent, vehementius appetunt: Atq; ut mariti quod belle à Publio Syro dictum eſt, dum acrius quàm par eſt vxores amant, in adulteros fere tranſeunt, & coniugales nexus per dedecus inquinant: Sic & illi dum authoritatem quam non habent ſcrupuloſius vendicant, & ſibi detrahi putant quicquid aliorum virtutibus impenditur, ipſum divinæ mentis radium qui gubernantibus eſt inditus, temerant, & in Zelotypiam demerſi ſtolide ac miſere inter faſces & honores viuunt. Dici nõ poteſt quàm contempta res ſit authoritas quæ tantùm in fronte, in ſuperciliis, in ficta gravitate, in oris contorſionibus dictiſque arrogantibus ac plane-Megabyzijs conſiſtit. Quid aliud faciunt ſimiæ cũ per humani ritus figmenta nobis illudũt?

Coſrois vanitas, Cedrenus ad annum Heraclii. 13.

Fuit iſtud aliquando deterioribus Principibus conſuetum, ut cùm à majorum virtutibus deflexiſſent, opinionem ſui vaſtam per magnifica pomparum ludibria ingenerare conarentur. Coſroes de cælo fictitio fulminavit, fudit pluuias, grandines incuſſit. In pendente throno, æneis leonibus per artificum machinationes rugientibus, locuti aliquot Græcorum imperatores. Ex dracone aureo affati populos Sinarum ut aiunt Reges. Hæc terricula-menta potiùs puerorum quàm Regum ornamenta.

Conſtantinus Porphyrogenitus ut habet Luitprandus de ſua ad eum legatione. Authoritas non eſt in grandi apparatu.

Nec multum ab hoc furore abſunt qui putant in ſyrmate, in ſatellitio, in conſeſſu in comitatu, in grandi ceremoniarum apparatu, verti Regum majeſtatem. Ad tot phaleras ſtupent ex inſueto pavidi plebeculæ vilioris animi, at magnas atque erectas mentes nõ tangunt. Ingens ars magnitudinis eſt, velle aliquando & poſſe fieri minorem. Sic noſtri Principes hoc plurimum ſunt, quod minime affectant videri, & venerationem ſui, comitate potiùs quàm gravitate pariunt. Ea olim Iulio Cæſari, ea Auguſto, ea Traiano mens fuit, de quo diſertiſſimè Plinius. *Quid? apud milites quam admirationem & quemadmodum comparaſti? Cum tecum inediam, tecũ ferrent ſitim: Cum in illa meditatione campeſtri militaribus turmis Imperator pulverem ſudoremque miſceres, nihil à cæteris niſi robore ac præſtantia differens.*

Plin. in panegy.

Aliæ authoritatis ſpecies iniuſtitia.

At hoc longè triſtius atque acerbius eſt, cum ferociores Principum, nulla virtute commendati, deterrimis vitiis obruti, reverentiam per vim & ſævitiam exigunt. Non eſt hæc auctoritas ſed tyrannis, quia illa cum amore & approbatione eſt, hæc cum odio & deteſtatione. Tota in eo ars Tiberij fuit, qui cum florentiſſimi anteceſſoris magnitudine, & naſcente Germanici gloria premeretur, ratus nihil ſibi ad æſtimationem relictum eſſe præſidii, totum ſe ad cruentas artes convertit, per carnificum manus extorquens quod nulla virtus elicere, nullus decor imperare potuit. Fuit tamen civilitatis laudator aſſiduus, qui ſectator erat inhumanitatis. Et crudelitatem (quod ait Tacitus) cum factis promeret, locis occultabat. Omnia pudori fuere, etiam corporis habitus: quippe illi (ut ipſe ſcribit) prægracilis, & incurua proceritas, nudus capillo vertex, vlceroſa facies, ac plerumque medicaminibus interſtincta, inde lucem conſpectũmque hominum fugiens ingenij atrocitas, inde in Campaniam ſeceſſus & clauſa per ſocordiam vita, cum libidines antra caprearum continerent, ferales tantùm Romam venirent epiſtolæ, de cæde & proſcriptionibus mortalium.

Tiberii ſæva authoritas & iure deteſtanda.

Tac. lib. 4. annal.

Qualis hæc authoritas ominoſi bubonis inter vmbras abditi, quem omnes oderant, omnes diris quotidie devovebant. Digni illa fortuna ſunt qui probant, digniores qui appetunt. Vbi authori-

thoritas ſine honore? Vbi honor ſine æſtimatione? Vbi fælicitas ſine quiete? An qui beati eſſe per tot hominum calamitates affectant, tum ad votorum culmen devenere, cum turpes, exoſi, execrandi, inter ſtrigum voces, extrema ſemper minantium, atque inter vmbras mortuorum de ſuo interpellantes ſanguine conſiſtunt.

Authoritatis vera inſtrumenta. Quæres igitur quæ ſint authoritatis inſtrumenta quibus divina vis uti ſolet, cum principes aptare ſuo faſtigio decrevit? In promptu ſunt multa, eaque præclara. Sed in pauca conſtringemus. *Quædam agnata, quædam acquiſita.* Quædam naſcuntur nobiſcum, quædam etiam parantur. A natura ſunt claritas originis, ſpecies corporis, maieſtas frontis, oculorum vigor, vox mulcens, inceſſus ſine cura compoſitus, indoles læta, ingenium velox, & quædam in congreſſu ſuavitas, quæ nihil ferox, nihil etiam demiſſum habeat. A mente & labore veniunt Deo potiſſimum iuuante, virtus, probitas, ſcientia, peritia, morum æquabilitas, prudentiæ maturitas, mixtus amore terror, affabilitas, beneficentia, animus acer & exaggeratus, ſibi conſtans, ſibi ſufficiens, & præcipua bellicæ fortitudinis fama.

Fælicitas naſcendi potentiſſima. Magnum imprimis Principibus adiumentum eſt quòd fœlices naſcuntur. Natales qui in alijs conditionibus tolerantur, in aula & militia plurimùm fortunæ, plurimùm maieſtati conferunt. Ineſt nobilitati quidam fulgor, de longinquo emicans, illiciens animos, & virtutem ſedi afferens ſuæ. Quos hac claritudine natura deſtituit, coguntur tota fermè vita cum genio luctari, & vix malignitatem ſortis niſi ingenti rerum geſtarum gloria opprimunt. At Regum filij in immenſum ſtatim honoris patrimonium intrant, nondum agunt, nondum loquuntur, nondum ſentiunt, & habent qui cunas eorum venerentur. Quod tot periculis, tot vulneribus, tot terræ mariſque laboribus, proavi compararverunt, hoc vltrò naſcentes ſequitur. Quis hic authoritatem deſideret, niſi qui dona Dei corrumpit, & ſponte gemmas mergit in luto.

Naturæ etiam fœlici multa addenda. Multum tamen prodeſt ſi ad hunc naſcendi ſplendorem accedat decor corporis, quod nihil maculoſum, nihil contemptum habeat. *Polybius Iuſtinus* Deriſui fuit in Ptolomæo Phyſcone oris deformitas, & obeſus ſaginâ venter, & veſtis indecoros artus nimis exprimens. *Decor corporis haud parum iuuat.* Huic cùm ad deſpectam ſpeciem ingens morum pravitas acceſſiſſet, ab iratis civibus pulſus fugit in Cyprum. Aiebat quoque Philopœmen dux magnus ſe paruitatis pœnas ex incognito luere, cum ab hoſpita pro gregario, culinæ inſervire iuberetur. Fortunati quos meliori pollice in ipſo matris vtero ſors finxit, quibus gratiæ riſere, antequam naſcerentur, & vltrò ſe venuſtas effudit. Talis Cyrus, talis Alexander, talis Conſtantinus, talis etiam Franciſcus I. quos ſolus aſpectus & celata nobilibus lineamentis oris majeſtas ſtatim Principes prodidit. Sed fingere nos inter maternos artus nō poſſumus; animum autem componere, moreſque formare in poteſtate habemus magnoperè curandum eſt ut detrimenta formæ virtutibus ſarciantur. Extrema corporis, & quæcumque in ſpeciem nitent, in fragili luto ſunt, & popularibus tantum oculis nata. *Mens tamen vincit.* At mens clara & æterna, victrix corporum, rerumque domitrix. Hæc ſuprà lenocinātis vultus faſcinationes fulget, ſuprà caduci etiam corporis ruinas aſſurgit. *Severi ingens exemplum. Herodianus. Spartianus.* Teſtis Severus imperator, qui cum profligato iam corpore, & æger pedibus à ſuis contemneretur, & de ſubrogando Caracalla filio ſecreta Principum machinatione ageretur, ille

lecticâ

lecticâ delatus incuriam telam cõjurationum diſſuit, reconciliatis omnium mentibus, & ſupremo ſupplicio affectis, qui de novandis rebus conſilium ceperant, iiſq; antea monitis ut ſcirent haud quaquam pedes, ſed caput imperare.

Sæpè nimis compta in viris pulchritudo muliebres animos alit, ſæpè in parvis atque retorridis corporibus vis ingenii & virtus magna ſibi domicilia metantur. Utcunque veniunt, excolenda ſunt naturæ dona quæ inſunt, quæ deſunt non fruſtra optanda, ſed ſuſtineri animo corpus par eſt, magniſque dotibus mentis & aperta luce circumfundi.

Religio & Probitas verendos Principes faciunt. Ariſt. Polit 5.

Plurimùm in omnem partem probitas juvat, & ſincerus erga Deum cultus Nam, ut ipſe Ariſtoteles fatetur, verendos facit Principes & minimum ſibi licere in eum ſubditi putant, quem tuetur cœleſtium favor, nec ab eo quid injuſtum expectãt cui ſciunt religioſa quæque & optima cordi eſſe. Caveat tamen ne ſit enervi & demiſſa pietate, quæ in contemptum adduxit monachorum curis atque exercitationibus addictos, ſuis impares. Non omnis vir bonus, bonus civis eſt, nec quivis Rex pius Rex optimus eſt, ſi privatis tantum virtutibus ſtudeat, publicas negligat Malus eſt qui ſuâ tantùm cauſſa bonus eſt.

Sit tamẽ pietas Regia, & moderata

Peritia in ſua cujuſque arte, ad conciliãdam authoritatẽ efficaciſſima.

Nil tam confert cuique authoritatis, quàm in ſua arte, in ſuo ſtatu habilitas, & peritia, qua fit ut ſe quiſque lubenter credat iis quos ſciẽtes eſſe autumat rerũ quas ipſe appetit: ſic medicis, ſic nautis vitam, ſic juriſconſultis rem committimus. Trahit in ſe omnium animos concepta de Regis vi atque prudentia in gubernando fiducia; ſi ſe, ſi ſua cognoſcat, ſi negotia regni tractet, ſi ſuis auribus, ſuis oculis, ſua mente, & ſuo pectore ſapiat. Tum maximè alliciuntur nobiles ſi arte militari præſtet, ſi præſentem ad res ambiguas animũ afferat, ſi ſe aliquo illuſtri facinore per bella nobilitet. Plebs autem & togati omnes capiuntur ſi rebus civilibus addicatur, ſi juſtitiam colat, ſi jus ſuum cuiq; reddi, omnes in pace & abundantia contineri ſtudeat. Belli ardor, periculorumque omnium cum ſuis militibus ſocietas Alexandrum extulit, Salomonem mens à puero provida, & perplexorum diſceptatrix negotiorum. Non eſt quidem in adoleſcentibus expectanda longo uſu limata & ſagax prudentia, aut adverſis diu exercitata fortitudo. Satis ad authoritatem facit ſi primæ ingenii faces futuram lucem promittant.

Prudentia & civilium cura.

Ardor belli & præſens animus.

Nec tamen bellorum, aut rerum civilium ſcientia prodeſt niſi adſit læta indoles, non ſtricta, non avara, non ſuſpicax, nõ moroſa, non ſuperba, non ferox, non maligna, ſed larga, ingenua, benevola, comis, benefica: Sunt quos magnarum virtutum reverentia, & apta quædam ætati ſeu dignitati gravitas excelſos facit, ſunt qui animos facilitate moris, & profuſa vi bonitatis demerentur. Rapiunt quocumque volunt non imperandi auctoritate, ſed amandi dexteritate, ubi præſertim amorem affabilitas, clementiam liberalitas, conſequuntur.

Indoles læta.

Affabilitas morumque ſuavitas.

Fama quæ in principiis validiſſima eſt, totam fere ſortem regnantium facit. Ubi autem cœpit auctoritas, eam non tantùm conſervari, ſed augeri etiam oportet, minuitur ſi non creſcit, & perit ſi non viget. Quæ autem naſcenti ſunt elementa, eadẽ creſcenti alimenta ſunt. Cavendum Principi ne nimiâ ſui profuſione vileſcat, ne præceps ſit & tenax ne ſe parvis rebus ingerat, ne tentet irrita, ne linquat infecta, ne ſe totum profundat, ſed aliquid ſui retineat in abdito. Detrimenta illi famæ omnia tanquam infames ſcopuli vitanda ſunt. Quicquid turpe, quicquid ignavum, quic-

Fama quæ aſſiduo excolenda.

Vitandi qui in illam incurſant ſcopuli.

quicquid illiberale à ſe in perpetuum amādet exilium. Omnia Principum facta in aperto ſunt, multa lux eos prodit, mala æquè ac bona rumor excipit Si qua integritati gloriæ labes aſperſa, ſi quod vulnus inflictum, vix eluitur, vix coaleſcit.

An expers auctoritatis debeat regere.

At fortè quæret aliquis an qui ſe aucto ritatis præſidiis nudum ſenſerit, debeat ſe publicis rebus committere, & magiſtratus gubernacula capeſſere. Si officium ex delectu, vix ſuaſerim, tam multa aſpera, tam multa confuſa hoc clypeo exarmatis impendent In manifeſto eſt Hadrianus Pontifex Caroli quinti præceptor, vir ſi quis alius integerrimæ vitæ, & conſummatæ eruditionis, qui præter ſpem huic faſtigio deſtinatus, diu deliberavit an tāto ſe oneri ſubmitteret. Diſſuadebat priſtinus vitæ rigor, amorque ſolitudinis, & immerſus libris animus. Sed quis tam faſcinatricis gloriæ præſtigias vitet? Manus dedit, Pontificatum iniit, ſucceſſit Leoni X. Magnum ſæpè poſteris damnum claritas anteceſſorum. Premebat ejus gloriam ille quem natalium ſplendor, urbanitas ingenii. profuſa in omnes liberalitas, & lætiſſima principatus vita, jam degentem in terris penè aſſeverant cælo Veniebat poſt aulæ plaudentis delicias, ex longo vitæ ſitu, ipſe arctus, & moroſus ſenex, candidioribus ingeniis natus. Veniebat ærario jam exhauſto, cùm pauca reſtarent promerendi inſtrumenta. Satagebat fluxos mores veteri diſciplina coërcere, luctabatur tota vi cōtra torrentis impetum Sed alia tum vivendi cōſuetudo, alii mores abripiebant. Nihil preſtare poterat preter afflictam virtutem. Iraque perpetuò anxius vixit & mœſtus, frequenter dictitans quod etiam tumulo inciſū eſt, nihil infœlicius ſibi in vita contigiſſe quàm quòd imperaſſet. Expediret fortè multis qui ad graves eliguntur dignitates quibus idonei non ſunt, detrectare magis, quàm ſuccumbere. At alia ratio in iis qui Reges naſcuntur, non fiunt, quibus ſæpè nec tuta renuntiatio eſt, nec ſecura inter privatos vita. Quæ à natura deſunt, prudentia, ſilentio, raritate commercii, & auguſtæ ſolitudinis ſecreto penſari poſſunt. Tantum caveant (quod monet Ariſtoteles) ne uni vicarios regni faſces committant, quo ſolo omnis illis auctoritas perit, relictâ per dedecus umbrâ nominis, & tranſcriptâ in alios dignitate. Habeant ſuos adminiſtros, habeant conſilia, & primariorū virorum conſeſſus, quorum operâ res longè tutiùs & fideliùs adminiſtrantur. Sic Regibus inexpertis, ſic pueris, etiam ſua ſæpè conſtat auctoritas, dum non unius libidini patet, ſed multorum fide atque officiis majeſtas retinetur.

Hadriani VI. exemplū notabile.

Regibus ſic natis non eſt tutum abdicare.

Quomodo defectum authoritatis ſuppleant.

DISSERTATIO QUINQUAGESIMA SECUNDA.

De Regis Poteſtate moderata.

In hæc verba. *Venerunt quoque & ſeniores Iſrael ad Regem in Hebron, & percuſſit cum eis Rex David fœdus in Hebron, coram Domino.* 2. Reg. 5. 3.

DAVID à Deo Rex deſtinatus, à Deo unctus, & factus, non feroci authoritate ſceptrum invadit, ſed mitiſſimum init fœdus cum ſuis ſubditis, de pace pactus, & juſtitia.

Ut in vita, ſic in Regno, omnes qui modò ſapiunt tutò, honeſtè, utiliter, jucundè degere cupiunt. Arx autem prima felicitatis ſecuritas. Non tam quærendum eſt quod pares, quàm conſervandum quod paraveris. Sæpè enim à fervidis & audacibus ingeniis multa per vim occupantur, quæ dilapſa per irritum evaneſcunt.

Arx prima felicitatis ſecuritas.

Præ-

Digitized by Google

Dignitas fortunæ eſt durare. Præcelſæ dignitas fortunæ eſt durare. Et certè miraculo propiora ſunt regna & Reſpublicæ, quæ per tot humanarum rerū anfractus, tot diſcrimina, tot ſortis æſtuantis ludos, ſtare in fixo potuerunt, qualis *Imperia longæva.* Francia, quales Venetiæ, quibus ſemper adfuit ſingularis favor numinis, fecitque *cadendo* (ut ait vates) *ne caderent.*

Vmbris montium & fluviis comparata. Atq; ut altiſſimorum montium umbras mobilibus fluviis impendentes ſpectamus in hoc veluti undarum ſolio, ſua majeſtate conſiſtere, ſemper in eodem, & ſemper in alio. Nam ſubtrahentibus ſe quæ ſubſternuntur aquis, aliæ atque aliæ continuò ſuccedunt, & ſtant in tanta fragilis elementi rapiditate. Non diſpari modo maximorū imperiorum amplitudo per tot reciprocantes jactata fluctus, inter lapſus hominū & rerum, ſe ſuo pondere ſuſtentat in lubrico, ſemper vetus, ſemper nova, finiri videtur ut incipiat, & facit de damnis incrementa. Non hæc humanis opibus fiunt & ingeniis, ſed de cæleſti veniunt manu, cui convenienter aptari ingens arcanum eſt gubernandi.

Miniſtri maximè nocent Regibus, dum extra omnes juſtitiæ terminos poteſtatē eorum efferunt. Quærunt igitur politici quâ potiſſimum ratione regna ſerventur, & tuta conſiſtant: Tum Neoterici autumant, totā in hoc vim eſſe, ſi regia authoritas abſoluta ab omni nexu, omnia ſummo jure teneat, omnia ad arbitrium ſuum faciat. Itaque illi ipſi qui Regem obſidēt, dum per cuniculos adrepunt ad faſtigia, in eo toti ſunt, ut Regiam majeſtatem extollant, & jura præter omnes juſtitiæ terminos extēdant. Non quod erga Principem & ſtatum ſint impenſe affecti, ſed quod cæcum, & immanem ambitum his artibus paſcant, & inde hiantem ſuam, ſuorumque avaritiam expleant: Dū igitur hoc præruptè & violenter urgēnt, miſeri ſæpè Principem in odium capitaliſſimam regni peſtem adducunt, & dum veſtire alienis avent, ſæpè ſuis exuunt. Sic enim veritas per Iſaiam loquitur, *Ova aſpidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt, qui comederint de ovis eorum morietur, & quod confotum eſt, erumpet in regulū. Telæ eorū non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis: Opera eorū; opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorū.* *Iſai. 59. 5.* Operæ pretium eſt de hac re audire politicæ ſcientiæ antiſtites, ne videamur tantùm cum ſacris hominibus loqui.

Politici quidam Neoterici. Tyranni mores quales Ariſtoteles deſcribit, ſæpiùs ſuis exprimūt. Quærit ſagaciſſimus author Ariſtoteles Politicorū quinto quibus modis Monarchiæ conſerventur quæ à Tyrannidis vi & dolo planè vult eſſe diſpares. Quid enim agunt, inquit, tyranni ut quam per vim & injuſtitiam dominationem obtinuere, per ſcelus etiam retineant? Primum viros omnes excellentis ingenii deprimunt, & à negotiis ablegant: quod ſi qui ſint animo acri & generoſo, hos vel palam ferro interimi, vel veneno graſſante ſubduci per miniſtrorūm perfidiam curant. Cœtus & cōventus induſtriorum civium prohibent, dant operā ut omnes altos ſpiritus exuant, induant humiles, & ſervituti aſſueſcant. Speculatores habent qui urbes circumeāt, qui ſpectent, quid quiſque agat, quid moliatur, qui vivere omnes in propatulo cogat, ut & ſingulorum facta ad ſe deferant. Diſcordias ſerunt inter eos qui ſuis conatibus poſſunt obſiſtere, cives variis impenſis in milites præſidiarios, in vectigalia, in rem militarē exhauriunt, & in continuis laboribus atque operibus terunt. Bellum ſemper gerere avēt ut ſubditi ſint occupati, & ſi quid tentent, ducibus careant. Opinioſi ſunt & diffidentes, nec amicis credunt, rati omnes ambire quod poſſident. Arcana negotiantium ſæpe per mulieres, ſæpe per ſervos expiſcantur, quos propterea laxiùs haberi volunt, nihil ab illis ſuſpicantes.

Alia longè Regū ratio. Alia longè ratio eſt Regum (ut idē diſſerit) qui legitimam Monarchiam obtinent;

Ariſt. lib. 5 pol. c. 11. σώζονται τῷ βασιλείαν ἄγειν ἐπὶ τὸ μετριώτερον

nent; nam ſi hæc ut ſæpè fit per contumeliam & injuſtitiam diſſolvitur, idcirco ex adverſo per juſtitiam & æquitatem cõſervatur. Ad regnum diu & inconcuſſe ſtabiliendum plurimùm valet moderàtio regię poteſtatis; nam quò temperatior eſt poteſtas, eò minus eſt invidioſa, & eo magis Reges ad æquitatem ſunt propenſi. Hoc ipſum Plato attigit in Politico, ubi primigeniam, & æternam Regni Ideam hanc eſſe ſcribit, *Rex non ſummo jure àgat, ſed poteſtatem ad utilitatem cujuſque diſpenſans, omnia in felicitatem coagmentet.* Idē etiam ſtatuunt Theologi, & Juriſconſulti, Innocentius, Panormitanus. Bartolus, qui clarâ voce profitentur Reges non eſſe dominos bonorum, quæ ad ſuos ſubditos pertinent, ſed tantùm habere dominium juriſdictionis, cumque in id à Deo ſint cõſtituti, ut jus dicant, pacem ac juſtitiam inter ſubditos cõſervent, debent illis ſubditi viciſſim reverentiam, obſequium, tributa quæ ad majeſtatem regni retinendam, obeundaſque functiones neceſſaria ſunt. Quod ſi bona regni alienare, & profuſis largitionibus in alios transferri ſatagant, non tantùm peccant, ſed reſtitutioni quoque ſunt obnoxii.

Bonorum Principũ poteſtas non eſt vaſta, & omnia ſibi arrogant. Vera ratio gubernandi ex Platone. Plato in polit. Item ex Theologis Reges non ſunt domini omnium bonorum quæ ad ſubditos attinent.

Quamobrem fœda & exitialis eſt eorũ adulatio, qui licere omnia Regibus non tantùm in bona populariũm, ſed & in uxores quoque & filias ore inverecundo pronuntiant, Davidis illud attendentes, *Tibi ſoli peccavi*, quaſi nihil in Uriam, pollutâ per flagitium uxore, ipſoque immaniter interempto deliquiſſet. Cur ergo arguitur de adulterio, ſi Reges adulteri, inter ſubditas ſibi mulieres eſſe non poſſunt? An qui individuam viri & uxoris ſocietatem ſanxit, dominos terrarũ excepit, quibus permiſſum eſſet vagam per omnia libidinem explere. Num hæc omnia ſpurca & Ethnicorum etiam moribus indigna?

Mol. de juſt. & jure, diſp. 25. Exitialis adulatio eorum qui dicũt Davidē in Uriam non peccaſſe.

Longè aliter hunc locum intelligit ſanctus Auguſtinus qui Davidem ait ſoli Deo peccaſſe, quod Deo ſolo conſcio flagitium iſtud amiſiſſet, conatos omni ſolertia & diſſimulatione apud homines tegere, quod tot teſtes, quot erant illa nocte cæli faces accenſæ, poſtea divulgarunt.

Aug. in illud Matth. 18 ſi peccaverit in te frater tuus.

Sapientiſſimè igitur Principes ſibi conſulunt, dum authoritatem ex ſua natura jam elatam, jam tumentem humanitate mulcent, & moderatione diſpenſant Nõ aliter ſtare mundum Philoſophi credunt, quam maximarum partium æquilibrio. Non omnia permittit Deus cælo, non omnia uni elemento Sed acrioris cujuſque vires in perniciem valituras amica temperie retundit. Sic aſtrorum per adverſa mitigat aſpectus, ſic ignes, ſic maria juſtis fœderibus coërcet atque conſtringit. Si propius admoti nobis eſſent intexti cælo ignes, jam nullus extaret mundus: ſi jure ſtricto ſuum ſibi dominium aquæ vindicarent, jam tota terrarum moles operiretur fluctibus, tot urbes, tot regna jam natarent, cuncta diluvio perpetuo miſcerentur.

Sapientiſſimi Principũ authoritatem moderatione diſpenſant. Deus in rebus humanis nõ permittit eſſe aliquid ſummum ſine modo.

Sed legis æternæ edictum eſt, ut ſupera ſerviant inferis, quò magis ipſa dominentur. In fornaces compellitur ignis, & tanta operum varietate laborat indefeſſus, & per tubos aqua diducta in omnes cõpingitur formas Quid miramur? Mens noſtra qua nihil inter res humanas excelſius, temperat ſe materiæ, temperat ſenſibus, & imaginibus, per quas intelligit: omnia nihil eſſe inciperent ſi quid præter Deum pleniſſimi juris eſſet, & tum regna propiora ruinæ ſunt cùm uni ſupra leges licent omnia.

Tartaros hîc & Sultanos objicies, quorum ſoluta poteſtas eſt, nec tamen diſſoluta; nam & ſuis utuntur legibus, & commodiùs populos habent quàm plerique Chriſtiani.

Non ſunt à Tartaris & Sultanis petenda Chriſtianis exempla regnandi.

Digitized by Google

ſtiani. Sed tamen fruſtrà obtruduntur qui non habent regna, ſed rapinas, qui flagella ſunt potiùs quàm Principes, ipſi qui eorũ ſimilitudinem affectant, non ſolùm deterrimi, ſed miſerrimi ſunt. Non quærimus infidelium imperia, à quorum vita abhorremus, in Chriſto fundati ſumus, & ſi quis aliud optat fundamentum, deſtruere vult non erigere.

Auguſti moderatio. Auguſtus Cæſar regnandi peritiſſimus, poſt diuturnam rerum experientiam, nihil æquè ſervare dixit imperium, quàm moderationem poteſtatis: unde & ipſe qui in aſſerendo dominatu, multa turbidè, multa crudeliter geſſerat, Rerum potitus omnem ferociam alliſit, tam impenſe populo commodatus, ut ejus commoda ſuæ vitæ anteferret. Tiberius licet ingenio ſævus, moderationem illam ubique ſpecie affectavit, quod ſciret aptiſſimum regnandi inſtrumentum: Trajanus ad venerationem omnium habuit.

Non minuitur modeſtiâ poteſtas, ſed augetur. At credunt hac modeſtia regiam imminui majeſtatem, & tunc non aliter quàm precariò regnari. Sed falſiſſima hęc opinio eſt; nulli enim magis Auguſti, nulli magis Reges ſunt quàm qui extare maximis & beneficis virtutibus, non authoritatis zelotypia ſtudent. His paſſibus omnes qui inter Francorum Reges clariſſimi fuere, ad gloriam & commendationem effloruerunt. Extat adhuc Roberti mitiſſimi Regis epitaphium, apud Hilgaudum, quod nullæ adulantium panegyres æquarint. *Regnante Roberto ſecuri viximus, neminem timuimus, patri pio patri Senatus, patri bonorum omnium, anima ſalus, felix ad ſuperna aſcenſus, felix in Rege Regum cohabitatio.*

Roberti Regis Epitaphiũ laudatiſſimum.

DISSERTATIO QUINQUAGESIMATERTIA.

De Manſuetudine.

In illa verba populi ad Davidem. *Ecce nos os tuum, & caro tua ſumus.* 2. Reg. 5. 1.

An ſeverè regnari oporteat, an manſuetè. Multa & planè egregia de hac re in utramque partem à prudentiſſimis viris ſunt diſceptata, ſed extra lineas itur, & vago rationum agmine pugnatur, niſi primùm quis, & quibus imperet, ſtatuatur. *Natura populorũ in eo valde ſpectanda.* Prænoſcenda ſiquidem rerum potientibus natura atque indoles populorum, expendẽda ſeries temporum, conditio morum, & firmis radicibus defixa conſuetudo. *Orientales ſervituti magis nati.* Omnes fermè qui orientem ſpectant, aut meridiem populi, Indi, Japones, Sinæ, Aſſyrii, Perſę, Aſiani, Ægyptii, ab antiquiſſimis temporibus graves experti dominos, ſervituti quoque nati ſunt. Alii jugi fere omnis impatientiſſimi, quales olim Græci, Germani, & qui inde nomen habent Franci. *Europæi liberi.* Alii denique qui nec totam libertatem, nec totam ſervitutem pati didicere, quales nunc hodie inter Europæos multi.

Lenitas ad Principes Chriſtianos ſpectat. Nihil hic attinet de infidelibus dicere, qui longè ſunt à Regno Dei, de Chriſti Principibus loquor, quos par eſt mirifica temperie ſeveritatem legum, atque conſtantiam cum lenitate morum diſpenſare. Errant igitur toto cælo quicumque in gẽtem indole generoſam, conſuetudine minimè ſervilem, profeſſione denique Chriſtianam, Sultanicos ritus, & duram arrogantis imperii neceſſitatem invehendam probãt. Et ſi iſtud quidẽ ab hoc regno hiſce temporibus alienũ eſt, huic argumento tamen accedit, nõ oſcitanter diſcutiendũ.

Digitized by Google

Sævitia eradit imaginē Dei in Principe.

Atque imprimis occurrit quod hæc gubernandi ratio tota in ſeveritatem atque duritiam cōpoſita, funditùs eradit in Principe regnatoris Dei imaginem, ſine qua totum illud ambitioſæ potentiæ choragium quod circunſtat regnantes, ſpectris inanibus ſimillimum eſt. Quid eſt aliud lenitas aut clementia, niſi quod ait S. Dionyſius divini ingenii primum & maximum imitamentū, & ut habet Tertul. Dei ipſa natura: Unde & ſapientia canit, *Tu autē Deus noſter ſuavis, & verus es, patiens, & in miſericordia diſponēs omnia.* Inde thronus illi, inde divitiæ. *Præparabitur in miſericordia ſolium & dives eſt in miſericordia* (ait ſpiritus) Nec ullos in eo præſcripſit limites quoniam *ſecundum altitudinem cæli à terra eandem corroboravit,* memor fragilitatis noſtræ & paternitatis ſuæ. Teſtante enim Iſaia *fictor noſter eſt, nos verò lutum in manu ejus.*

S Dionyſius epiſt. 8. *Tert. de patientia.* *Sap. 15. 1.* *Iſai. 16. 5.* *Pſal. 102. 11.* *Iſai. 64. 8*

Itaq; cum lubenter audiant Reges ſuam in homines prædicari potentiam, quaſi radium à prima luce, rivum ab æterno fonte meminiſſe profectò debent, ſummum illū rerum opificem qui poteſtatem contulit, ejuſdem moderationem non tantū imperaſſe, ſed à moribus etiam ſuis, atq; exemplis præſcripſiſſe. Cùmque ea ſit ars regum præcipua & indefeſſum ſtudium inviſibilis Dei lineamenta in hoc ſuo mortalitatis luto per divinorum imitationē morum exprimere; Quale hoc, amabo, ludibrium, ſi clementiſſimi domini ſpecies non aliter quam per ſcriptas cruore leges, per exilia, & proſcriptiones per madentes Chriſtiano ſanguine cataſtas, per excidia Provinciarum, & innumerabiles oppreſſorum gemitus, humanis oculis objiciatur.

Ludibriū eſt Majeſtatis Dei ſpeciem per ſæva quæque exprimere.

At Deo quoque ajunt ſui inferi ad cruciandos adverſarios, ſua tormenta ſunt. Sed quibus niſi dæmonibus, aut dæmonū ſociis & cōtubernalibus? quibus? Niſi obſtinatâ malitiâ ſummæ bonitati obluctantibus? niſi ultrò volentibus perire? Non hîc diſputo de nocentium pœnis, non ago pro latronibus, homicidis, adulteris, maleficis quibus qui indulgent, in omnes bonos ſæviunt.

Deo inferi ſunt, ſed dæmonibus & eorum ſociis.

De regimine populorū loquor, qui nullum reatum habent, & pœnam ſæpè experiuntur omnium acerbiſſimam ſerviēdi calamitatem. Quæro an eos dure an leviter tractari præſtet? Quis nō videt, illos duritiæ & inconditæ ſeveritatis patronos adverſus primam & æternam gubernandi legem, quæ ex divinorum ſuavitate morum petitur, præfractis cervicibus obniti? Nēpè qua ratione quibus artibus mundum Deus regit atq; diſpenſat? Nemo tam miſericors, nemo tam pater, extra ſe, ait S. Dionyſius, egreditur, omnia peramanter complectendo, omnibus providendo. Quāta & quàm varia quotidie in hominū cōmoda molitur? Quanta diſtribuit? Implet fructibus terras, maria ſternit ventis, ſolum mulcet imbribus, plantas alit infuſo per occulta nutrimento, paſcit animantes in gratiam hominis, habēt in ejus ſinu rorem Cicadę & ſua horrea aviculę. In mortalium verò uſus & delicias, tota ſudat, & per tot, indefeſſa molitiones natura. Omnia iſta ſine mercede, ſine ſuo cōmodo facit. Quis igitur ſe ſupremi illius numinis vicarium cogitare princeps poteſt, ſi omnia ferociter & turbidè regat, ſi ſpoliet, ſi concutiat, ſi abjectis inſtet, ſi calcare malit ſubditos quā erigere. Nūquid fruſtra dicit ſcriptura, *leo rugiens, & urſus eſuriēs Princeps impius ſuper populum pauperem.*

Alia populorum alia ſontium conditio. *S. Dionyſius.* *ἐξάγεται εἰς τὰ ὄντα.* *Dei in univerſo bonitas.* *Prov. 28. 15.*

Erat hoc Macedonum Regibus conſuetum procedere in publicum capite Leonis exuviis redimito, quod ſe Hercule prognatos eſſe dicerent; ſed qualis hæc ſpecies Principis terrorem ipſo habitu & cultu ubique pręferentis! Commodiùs fortè leones

Macedonum Reges ipſo habitu ſævi.

Digitized by Google

nes & urſi regnaſſent quàm tot poſt Alexandrum Reges, impii & crudeles, quibus etſi rictus leonis defuit, non defuit tamen in devorandis hominibus ſævitia: Minima pars crudelitatis eſt quàm belluæ faciunt, dum ungue, & dente ſæviunt, dum diſcerpunt corpora, dum mandunt.

Crudeliores qui lente puniunt quã qui repẽte & turbidè.

Nec ipſi inter tyrannos ſæviſſimi, qui in aliquot miſerorum artus, ignes, & rotas candenteſq; forcipes exeruerunt. Et ſi hęc triſtis carnificinæ ſpectacula validius intrant in pectus, & percellunt animos, minus tamen crudelitatis habent quàm qui frigide ſæviunt, qui in longum nocendi artes ordinant, qui proſcribunt, qui exhauriunt, qui carceris ſquallore macerant, qui provincias & gentes, inopiâ, fame, nuditate, miſeriâ conficiunt.

Ignoſcat Deus Principibus qui hæc non vident. Sed ſi ſecum reputare incipiãt, invenient profectò hæc eſſe maxima totius feritatis commenta, quibus non tantùm Dei ſed hominis ſpecies amittitur.

Crudeles Domini maximã ſui veneni partem bibunt.

Sed fortè nimis ingenui ſunt qui nefandæ illius politiæ authores ad ſimilitudinẽ Dei revocare contendunt, quaſi aut ipſi Deum credant, aut præeſſe rebus humanis putent. Inſtare aliis rationibus placet atq; oſtendere quòd per violentam gubernandi rationem ars ipſa regendi hominis diſſolvatur, & omnes principatus nervi ſuccidantur. Etenim quæro an ex natura ſit hominis ſubjici homini, an præter naturam? Si ex natura eſt, debuerunt eſſe à mundi exordio regna & imperia, quemadmodum ſunt hyemes, atque æſtates, herbæ & fructus qui in hominum utilitates naſcuntur. At nemo hæc ſanus dixerit, nemo peritus ignoraverit, pecudes hominibus, Deum homines ſibi ab initio ſæculorum ſubjeciſſe. Nulla naturaliter imperia ad explendam dominandi libidinem conſtituta, ſed ad bonum commune, Deo inſpirante, ipſis quibus ſua libertas fuit, non tantum poſtulantibus, ſed etiam exigentibus. At unde poſtulare niſi unde amare contigit? Ex quo neceſſe fuit prima regnorum fundamenta quæ modò honeſti ſpeciem aliquam habuere, amoris jacta fuiſſe manibus, qui ſi ſemel collabatur, omnia confeſtim ruere & confundi perſpicimus.

Natura imperia non fecit.

Prima regnorũ fundamenta amoris jacta manibus per amorem continentur.

Ludovici XI. ſapiẽs judicium

Non imperitè regnandi ſcientiſſimus LudovicusXI. jam ſenex, jam maturus, dixit tria eſſe quibus niteretur principatus, reverentiam populi in Regem, juſtitiam Regis in commodum populi, & utriuſque mutuum amorem. Violenta enim operatio fere eſt undecumque veniat, dominatus hominis in hominem, qui fieri prudẽter haud quaquam poteſt, niſi divinis quibuſdam velut amoris narcoticis impatiẽs jugi libertas ſopiatur. Hoc prudentiſſimi quique politici, ut ait Plutarchus, facere ſolent, qui primum ſe affectu transfundũt in ſubditos, ſingulis ſerviunt qui aliquando omnibus ſunt dominaturi. Atque ut vinum primum in manu & poteſtate bibentium eſt, mox ubi ſe inſinuavit, & infudit in venas mirifica ſæpe vi regnum in ipſos exercet. Ita qui indulgentia imperantium ſuperextare ſubditi putantur, mox benevolentiæ flexibilitate in omnem partem ducuntur: ſic enim intrant dominantes in abdita pectorum, ſic admiſſi imperant ſuaviſſimo omnium atque potentiſſimo principatu.

Dominatus hominis violẽta operatio narcoticis ſapienda.

Benevolentia Principũ victrix & dominatrix omnium.

Contrà qui per violentas artes irrumpunt, non regnant niſi per ſpeciem & falſæ ludibria majeſtatis. In quo certè ſimillimi ſunt iis qui per magicas incantationes fruuntur optatis: namque & epulari, potare, amare, ludere ſibi videntur, feralibus ſpectris illuſi. Tale illud quod de Menippo narrat Philoſtratus cui cùm phantaſma occurriſſet ſpecie muliebri,

Per vim regnantes quaſi per magicas incantationes regnant.

appre-

apprehenſa manu domum duxit, ubi ſplẽdidiſſimo ſibi videbatur excipi convivio, cum detegente captioſas Empuſæ fallacias Apollonio, potus, cibi, aurea atque argentea ſupellex, evanuerunt. Tum triſte apparuit tugurium in quo lamia hominem mactare, & ejus carnibus veſci decreverat.

Apollonii Empuſa.

Tales quoque illi omnes qui violentam in ſubditos poteſtatem obtinent, namque tyrannidẽ infœliciſſimam regiæ majeſtatis ſpectrum deoſculantur, & ſibi plaudũt ſatellite ſtipari, pomparumque magnificentia celebres, cùm tamen ea omnia quæ cæcutientibus oculis objiciuntur, ſi abſq; amore poſſideantur, non tantum vana ſint; ſed dira atque horrenda.

Quæ pars illi fœlicitatis eſſe poteſt, cui finguntur potiùs quàm redduntur obſequia vi extorta, cui ſola famulantur corpora, intus autem animi execrantur, & millies perditum cupiunt. Carnificum vox eſt, *oderint dum metuant*, ipſi qui primus omnium protulit, ſæva & exitialis. Nullum enim in odio regni decus, nulla voluptas eſſe poteſt. Quale hoc oblectamẽtum eſt, dominationem ad omnia nutantem momenta, quaſi lupum auribus tenere, omnia circumſpicere omnia formidare, ipſa quæ ad præſidium parata ſunt metuere, cinctos ferro amare & horrere ſatellites, cogitantem tam contra ſe quàm pro ſe; ſuſpicioſas habere noctes, dies turbidos, miſcere viſis larvalibus ſomnos, & tinctas felle toties deguſtare dapes, ad amicas etiam tremere manus, ubique vim, ubique ferrum & venena cogitare Et dum ceſſant, graſſentes in viſcera ſentire morbos, & ad cœleſtes iras extimeſcere, ad omnia pallere fulmina, & totam in ſe telis armatam, jam ruentem, jam infeſtam, videre naturam!

Tyrannicus ſtatus infœliciſſimus aptè deſcriptus.

Sed neque hæc inſomnia ſunt, nam tot ferè funeſti atque execrabiles conſequuntur exitus. *Siquidem*, ut diſſertiſſimè ait Seneca, *temperatus timor cohibet animos, aſſiduus, & acer, & extrema admonens in audaciam jacentes excitat, & omnia experiri ſuadet. Si feras lineis & pinna cluſas contineas, ſi eaſdem à tergo equis inceſſas, tentabunt fugam per ipſa quæ fugerant, provocabuntque formidinem. Acerrima virtus eſt quam ultima neceſſitas extundit.* Galbæ ſenectus invalida Neronem de cervicibus humanis depulit, Caligulam Chæræas toties ſpretus, toties irriſus occidit. Domitianum obligato brachio Stephanus, Alboinum omni ex parte clauſum Roſimundæ uxoris inſidiæ oppreſſere. Galeacium ludi magiſter obſcurus accenſis diſcipulorum animis & manibus trucidavit. Et ubi quid tutum eſſe poteſt iis qui nulla à ſe tuta voluere?

Senec. lib. 1. de clementia.

Timor nimius acer irritat audaciã.

Fac eos tamen eluctari, fac vincere, quid aliud faciunt dum ſubditos premunt, niſi ſua lacerant membra? Totum iſtud quod regni eſt, compages eſt artuum ſub Principe, quaſi ſub ſuo capite ſubſtructa: Illi naſcuntur infantes, illi erudiuntur adoleſcentes, illi domus, illi familiæ creſcunt. Quod ſi per ſævitiam regnet, tum bellum ſibi dirum & infœlix indicit, hos amputat ferro cives, illos conficit ærumnis, urbibus ſolitudinem imperat, rura ipſa ſine cultore mœſtitia confundit. Quid aliud tum molitur quam regni ſuiq; excidium? Num hoc eſt tinctam populorum ſanguine geſtare purpuram, & obnubilatas oppreſſorum lachrymis in diademate gemmas oſtentare? Sic enim apices venerationem exuunt, ſic nutare incipiunt, dum nutantia circa ſe omnia non pavent.

Sævi Principes ſua exhauriunt regna.

Adde jam quod qui per vim omnia adminiſtrari tutius putant, ipſi aut imperitiam, aut pollutam ſcelere conſcientiam produnt. Nemo enim tam infauſtus, tam

Qui per ſævitiam melius regnari putant, aut ſtupidi aut mali.

Digitized by Google

excors eſt, qui regnum amore atque benevolentia civium occupari atque firmari non concupiſcat. Si qui autem ad aſperitatem deflectunt, vel iſtud faciunt quòd veræ adminiſtrationis inſcii, nondum humani tractationem animi deprehenderint vel quia ob ſcelera & peſſimas artes amari ſe poſſe deſperant, in odia & acerbitatem animos intendunt: Quorum unum ferme plenum ſtoliditatis, alterum improbitatis & arrogantiæ.

Rationes pro ſeveritate & metu proponuntur & refutantur.

At verò, inquiunt, longe efficaciores ſunt metus quàm amoris cauſſæ, quia magis timemus atrocia, quàm concupiſcimus blanda. Segnius animos laceſſunt amoris irritamenta, quàm terrores & minæ: ferme enim omnes in eo naturam belluarum ſequimur, quæ verberibus & plagis abactę à dulciſſimis quibuſque abſtinent. Metum, cum volet, vis extorquebit, amorem lenitas non ſemper, & ubique alliciet, quia ex delectu amamus, ex neceſſitate metuimus.

Deinde ea nunc temporum ratio, ea morum corruptela eſt, ut plus juſtitiæ tribuendum ſit quàm clementiæ. Improbi non mulcentur verbis, ſed pœnis erudiuntur. Ut quiſque magiſtratuum mollior, ita deriſui & contumeliis magis patet. Penes ſeveros reipublicæ ſtat authoritas.

Fatua & enervis bonitas imperiis damnoſa.

Equidem fateor in adminiſtrandis imperiis magno ſæpe impedimento eſſe fatuam & inermem bonitatem, quia vires addit ſceleratis, præſidia detrahit innocentibus. Non hic de nocentium criminibus diſputo, quæ ſuppliciis coërceri par eſt ut aut eum (quod lex ait) quem Princeps punit, emendet: aut ut pœna ejus cæteros meliores reddat, aut ut ſublatis malis ſecuriores cæteri vivant. Nemo hoc reprehendit, nemo incuſat, imò omnes vehementer probant in regnantibus juſtas adverſus flagitia & ſcelera leges, legumque animadverſiones. Tantum caveat quiſquis magiſtratum exercet, ne ſe potius quàm alios vindicet: ſunt enim permulti in alieno dolore faciles, in ſuo rabioſi, qui quod arrogantiæ & libidini tribuunt, ſuæ juſtitię imputant. Deinde adhibendus eſt etiam in puniendo modus, ne præceps ſit, aut exultans, ne minutis culpis infeſtus, ne nimius ſit, aut etiam aſſiduus, ne implacabilis, ut nullum unquam veniæ locum relinquat. Optime judicavit Seneca, *civitatis mores magis corrigi parcitate animadverſionum: facit enim conſuetudinem peccandi multitudo peccantium, & minus gravis nota eſt quàm turba damnatorum levat. Severitas quod maximum remedium habet, aſſiduitate amittit authoritatem.*

Iudicibus quid cavendum.

Sed alia cauſſa eſt, ut dixi, reorum, alia populorum innocentium, quos haberi laxè & commodè magis quam auſterè, ex utilitate publica & gloria regnantium eſt. Neſciunt amoris vim indomitam qui metu magis impelli animos putant, quàm benevolentiâ allici. Ita eſt ſi amor parcus, aut puſillus, vel ſi nimis ſolutus, aut abjectus, nec ſibi conſtans, nec majeſtatis memor. At ubi de Regum faſtigio magna & inſignis bonitas venit in populos, omnia penetrat, omnia ſecum rapit, nec ullum pectus tam immane quod non emolliat, ſi modò quis cum beneficentia prudentiæ, aut patientiæ locus. Non de ſtupidis, non de brutis loquor: Si qui ad tam cœleſtes illecebras hebeſcunt, non ſunt niſi apud inferos ſanandi. De iis ago qui modò aliquid lucis, aliquid humani habent, capiūtur certè bonitate Principis, & eum quem amantem, quem beneficum norunt uſque ad venerationem colunt. Inde tot allerti cælo Heroes, tot nova Deorum nomina de beneficiis nata. Mirum dictu! Herodes, Tiberius, & ſi qui alii hujuſmodi in ſtirpem ſuam, in omnem fere nobilitatem crude-

Bonitatis ingens imperiū.

Herodes & Tiberius tolerati quod

Digitized by Google

utilitatis publicæ curam præ ſe ferrent. crudeles, in longum imperia produxere, quod deglubere populum nollent, ſed tondere. Quod in hac immanitate morum aliquid etiam retinerent, quod plebeculæ curam, quod juſtitiam præ ſe ferret.

Innocentes & benignos Principes omnium favor & plauſus ſequitur. Quod ſi tam exitiales dominos multitudini benignitatis ſpecies commendavit, quid eis fieri exiſtimamus qui beneficentiam cum morum ſanctimonia conjunxere? Nam lapſa de cælo ſidera plus admirationis haberent quàm ipſi dum incedunt, dum loquuntur, dum juvant? In promptu ſunt cæleſtis politiæ documenta, nec nobis hîc externa diu quærenda ſunt. Regnum Saulis, & omnes populos David amore & liberalitate ad ſe traxit, hujus nomine, hujus auctoritate Salomon placuit. Ubi ille deliciis immerſus in ſubditorum amore refrixit, ubi poſt tam immanes divitias quæſivit quid de populorum ſudore deraderet, immutata confeſtim ſtudia, & nutantia jam ſceptra ſolus delinquendi in ſobolem Davidis pudor retinebat. Ubi Roboamus ſucceſſit, quæſitum ab eo ut onera defeſſæ plebis allevaret, at ille quos parens ejus flagellis (ut ipſe ajebat) increpuit, Scorpionibus cædendos interminatus eſt. Inde diſceſſio ut ſuprà oſtendimus, & plaga quæ nunquam poſtea coaluit. Sic digito Dei ſcriptum, omnia non tantùm tutaſe d læta & proſpera, humano modo ſubditis indulgentibus, contraria ſpernentibus.

* * *

DISSERTATIO QUINQUAGESIMA QUARTA.

De Prudentia Regnatrice.

In illa verba Thecuæ ad Davidem. *Sapiens es, ſicut habet ſapientiam Angelus Dei.* 2. Reg. 14. 20.

Prima ars regendi quæ? PRIMA regendi ars eſt noſſe quod regas: ſæpè cùm jumentis rixantur imperiti ſeſſores, & equos qui ſola (ut ajunt) umbra virgæ in omnem partem flectuntur, verberibus urgent. Alii dum modicis occurrere vitiis neſciunt, faciunt maxima. Idem etiam medicorum imprudentioribus evenit, qui per ignorantiam temperamenti miſera fatigant corpora remediis omni morbo nocentioribus. Sic nihil eſt *Politici imperiti novorum affectatores,* deterius politicorum arrogantibus ingeniis, qui omnia novere præter modum, & laudatis aſſuetos moribus populos in exteros ritus cogunt. Itaque aut nimis acribus frænos laxant, aut iis qui ſuavitate & amore cum ſuis Regibus coaluerunt, Sultanicos vultus inferunt, & exoſam generoſo cuique ſævitiam.

Quid in ſubditis noſſe oporteat imperantem Tenere igitur oportet indolem, propenſionem, affectus, conſuetudines, deſideria, metus, iras, patientiam, mentem, robur, habilitatem, artes, opes, commercia, ſtudia, & ſi quid aliud eorum quibus ſis imperaturus, omnes quantum fieri poteſt intra genium continere, intra genium regere. Proclive eſt quicquid aptum naturæ, durum omne & viſcoſum ex alieno venit.

Imitari debet Patres animorum. Atque ut ſpiritales animorum Patres ſpectant quid in cujuſque mente Deus agat, aut velit, neque ſuam temerè ordiuntur in pectoribus telam, antequam artifices omnia moventis ſpiritus contemplentur manus. Ita & in regimine populorum

acer-

acerrimo ſtudio conſiderandum quos illis mores natura ab initio indiderit, quibus modis eos mens regnorũ omnium gubernatrix in virtutem & fælicitatem aptari atque coagmentari deſideret: ſi bona & facilis indoles amori aſſuevit, inter beatos fines moderanda eſt: ſi dura & aggreſtis non impetu frangenda, ſed patientiſſimis artibus mitiganda: ſi mixta, qualis fere multorum eſt, quæ neque totam ſervitutem, neque totam libertatem ferat, ex utroque, magno lenitatis atque ſeveritatis temperamento diſpenſanda. Nulli tam probi qui cultu meliores non evadant, nulli tam abjecti de quibus ſperare non poſſit induſtria colentium. *Neque in pingui terra ſeruntur omnia rectè* (ait Varro) *neque in macra nihil.*

Auſpicatus ingreſſus ad regnum multum juvat.

Providendum autem, ut felicibus auſpiciis ingrediatur principatum, quiſquis recturus ſedet, non turbidè, non impetuoſè, ſed leniter. Imitetur animam corpori molliter affuſam, venientem placide, non ſtrepitu irrumpentem. Plerique ad gubernandum non accedunt, ſed irruunt ſonitu magno, & tumultu vehementi. Nihil tam familiare illis quàm venditare arroganter authoritatem, perſtringere anteceſſores obliquis ſermonibus, & quos ingenio aut gratia valere putant, continuò deprimere, placet illis omnia innovari, omnia concuti, non putant ſibi manere regnum, ſi maneat quod fuit.

Mali politici turbide omnia initio adminiſtrant.

Boni moderatè agunt.

Quantò melius qui omnia tam ſuaviter agunt, ut horarum inſtar non ire, ſed iſſe videantur. Fertur Reſpublica quaſi navis impulſa leniſſimo flatu, qui movet omnia, nec moveri videtur. Alium colores vultũ induunt ad faces, alium ad ſolem, ſic dominantes rarò ſervant quam habuere privati moderationem. Nõ exiſtimant ſe imperare niſi audiantur ſtrepere. Hoc tamen arrogantiam habet, mentem non habet.

Imperiũ fere ſemper mutat mores.

regnantium. Incipere à glorioſis præſtat

Bene omnia geruntur, ſi rex à rebus magnis & glorioſis incipiat, grandem omnibus de ſe opinionem excitans, nullam ſui retinens, cuncta faciat mente excelſa, ſenſibus modeſtiſſimis.

Tota vis imperii in cõſenſu obediẽtium allicienda.

Tota vis imperii eſt in conſenſu obedientium, & conſenſus vix ullus ſine ſenſu bonitatis. Hac imprimis deliniendi, hac capiendi ſunt animi. Sic Auguſto Cæſari viſum, cùm fundamenta jaceret imperii, Senatum honoribus, militiam donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otii pellexit. Sic in facilè itur obſequium veneratione beneficæ majeſtatis.

Periculoſum regnãti diſſidere à potẽtibus.

Periculoſum eſt diſſidere cum potentibus, qui factionibus turbare poſſunt etiam tranquilla, devinciendi quantum res patitur beneficiis, ſed ſi qui ſint intractabili arrogantia, qui opinione magis injuriæ efferari ſoleant, quàm amicitiâ placari, minuenda eorum authoritas eſt, benevolentiâ & conſenſu meliorum.

Nobiles & potentes amici imperantibus neceſſarii.

Solem honeſtant radii, & Principem nobiles amici. Multa illi dura, multa imminent pœnitenda, qui procerum amore deſtitutus vivit in imperio. Senſit hoc Hadrianus VI. qui literis magis quàm aulicis artibus eruditus, ubi ſummum Pontificatum adeptus eſt, ſemotis Cardinalibus qui ſub Leone decimo plurimùm poterant, conſilia omnia cum ſuis Belgis iiſque puſillis hominibus agitabat, unde exulcerati Patrum purpuratorum animi innocentiſſimum hominem contemptu & dicteriis diutiſſime torſere. Præſtat habere ex prima nobilitate potentes & fidos, qui ex ſua utilitate & affectu Dominis arctiſſimè copulati cæterorum invidiam retundant.

Virus tamẽ imperii uni omnia ſpretis cæteris committere.

Sed exitiale omnium imperiorum virus, unum aliquem habere in quem ſe totum Princeps transfundat. Unius ſæpè dignitas omnium contumelia eſt. Inde cætero-

rum indignatio, inde livor, & deſperatæ virtutis ignominia, cum favor ſequitur indignos. & marcido capiti laureæ imponuntur quibus oportuit generoſorum ornari frontes, tegi vulnera fortium. Scidit toties familias & regna tam malè ſciſſus, tam præpoſterè detortus imperantium amor. Proſtituere regna quaſi ſponſas adulteris, qui ſpoliare didicerant, amare nuſquam poterant. Non Scylla, non Charybdis hoc gurgite periculoſior, remis omnibus vitandus eſt illi qui habere ſubditos velit, dominos nolit. Non ſunt ablegandi rerum potienti familiares omnes, quod Cleon olim fertur feciſſe, qui ad magiſtratum evectus amicis quos in eam rem domum convocaverat nuntium remiſit. Melius Themiſtocles regnare ſe cum ſuis concupivit.

Cleonis & Themiſtoclis diverſi agendi modi.

Excelſæ potentiæ genus eſt, facere etiam potentes. Sed cavendum ne quid ſuprà nos, ne quid contrà Rempublicam poſſint. Cum magnis generosè agendum eſt, cum parvis indulgenter, cum omnibus juſtè. Primùm regendi decus conſecrare faſces ardentiſſimo amore pietatis, & Deo quas præſtat coronas refundere.

Vt quiſque tractandus.

Alterum huic proximum eſt, profiteri juſtitiam, atque indefeſſo ſtudio exercere. Leges non tam multas condere quàm conditas obſervare. Exemplo firmare quæ poſueris. Nihil æque detrahit auctoritati quàm ſæpè facere mutanda, & quæ deſtituas ſtatuere. Nimia ingenii facilitas & pertinacia ex æquo nocent.

Iuſtitia cura ſagaciſſima mirifice commendat Principem.

Tertium eſt providere ſubditis res ad vitam neceſſarias, & paternis ſtudiis omnes amplecti, omnes quaſi ſua membra circūſpicere. Ars imperandi eſt facere quæ multos juvant. Amabunt ſi ſe putēt amari, & amorē obſequia conſequentur veneratione potiùs quàm authoritate expreſſa.

Ars imperandi quæ.

Hoſtes ſunt mentis omnes affectus vehementes, ſed præcipuè ira, & libido, quæ nec capiunt, nec faciunt modum. Cum abſente diſſerit, qui cum irato loquitur. Non eſt hoc moderatoris gentium, non eſt domini tot populorum pudendis ſubjacere vitiis. Iræ Principum bella ſunt, & Veneres ſæpè pro furiis habentur. Nemo ſe tutum putat ſub eo quem amor incedit, præcipitat furor. Caſtigari etiam culpas oportet ſed amanter, ut errata deſinant, nō errantes. Commodiùs facit qui pœnas ad delegatos judices remittit, gratias ſervat ſibi, quas aliis elargiatur.

Affectus iræ & amoris vitandi.

Iræ Principum ſæpè bella ſunt, veneres furiæ.

In tota arte gubernandi nihil tam neceſſarium quàm prudentem habere delectum miniſtrantium & applicare idoneos conſiliis, exercitibus, judiciis, cæteriſque functionibus à quibus ſedulò rationē geſtorum exigas: Tiberio placuit continuare imperia, ac pleroſque ad finem vitæ in iiſdem caſtris, in iiſdem juriſdictionibus habere. Plerique tædio novæ curæ imputant, ut ſemel placita pro æternis haberentur, alii invidiæ, ne plures fruerentur. Et ut callidum ejus ingenium, ita anxium judicium, non eminentes virtutes ſectabatur, & vitia oderat. Sed experientia docet eſſe ſalubrius, ſi mutentur, ne ſecuritate imperii arrogantiores atque duriores evadant.

Delectus miniſtrorum præcipui momenti.

An expediat eos continuari.

Optandum eſt votis omnibus ut princeps ſuis ſe negotiis addicat acri mēte, improbo labore, ut habeat otii & actionis intervalla, ut conſultet, & quæ ſapienter proviſa fuerunt per miniſtros nō oſcitanter exequatur. Facere enim quæ fieri ratio juſſerit, fructus eſt conſilii, & prudentiæ conſummatio.

Cura negotiorum

Summa in populum benignitas & crebræ in eum largitiones Cyrum amoris æternitati commendavere. Non aliis artibus Auguſtus dominatorē populum ſubdidit,

Largitio illex animorum.

didit, quàm blanditiis victum,& oppreſſum beneficiis. Inde Trajano optimi nomen, qui ad obliganda etiam ſubditorum vulnera veſtem ſcidit, & diadema. Non aliis ſe paſſibus Pharamundi, Clodovæi, Caroli throno atque imperiis aſſeruere. At verò ſi qui per rigorem ingenii actuſque turbulentos adminiſtrant regna, timentur vivi, in diris habentur mortui, cruciantur in ſtatuis, cruciãtur in liberis, quos regni,& ævi brevitas ſequitur, æternis denique apud Deum divinæ hoſtes clementiæ pœnis ſunt obnoxii.

DISSERTATIO QUINQUAGESIMA QUINTA.

De Securitate Principis.

In illa verba. *Dominus Petra mea, & robur meum, & ſalvator meus.* 2. Reg 22.2.

Securitas Principũ imprimis ſtabilienda.

AMOLIENDA porrò ſunt omnia quæ ſecuritati adverſantur, qualia ſunt conjurationes, inſidiæ, bella civilia, irruptiones externæ, ſeditiones, & quæ fermè capitaliora ſunt, vitia & corruptelæ, quibus divina majeſtas in mortales accenditur.

Execrabile portentum in vitam Principis conſpirare. *Pſal. 104. 15.* *David à Saule licet peſſimo abſtinuit.*

Occurrunt imprimis factiones atq; proditiones quæ ſecretis graſſantur artibus, eò pernicioſiores quò magis latent Exitiabile ſceleris portentum eſt, in vitam Principis conſpirare, in ſacrarium domini conſurgere, & tam verendo ſanguine ſceleſtas manus temerare. *Nolite* (ait veritas) *tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Itaque & Saulem diriſſimum perſecutorum ſanctorum, vitæque perpetuum inſidiatorem cùm haberet David in manibus, & omnia ſuaderent vindictam, abſtinuit, impreſſam Dei venerationis effigiem, etiam in hoc luto ſacerdotũ cruore macerato. Inde tanta ipſius Saulis admiratio regnum æmulo clara voce augurantis. Dignus certè ſceptris omnibus fuit qui etiam tam indigno propter dignitatem pepercit, Deum adorans in homine, qui ipſam exuerat humanitatem. Quã diſſimiles illi ſunt qui etiam contrà innocentiſſimos Regum, peſtiferis machinationibus inſaniunt! Debuerat eſſe ignotum noſtro ſæculo tantùm& tam immane nefas: Sed quia in hac ſcelerũ coluvie qua nunc laborat mundus, non deſunt fanatici, qui velint illicita, tentent horrẽda, muniendа Principum ſagaciſſimè vita eſt, ne quid detrimenti patiatur.

Reges pueri maximè cuſtodiendi.

Periculoſiſſimi ſunt maximè in Regibus pueris principatus, quia in ætatem invalidam atque inermem licere ſibi plura improbus quiſque putat. Mirum quòd nec Valentiniani ſenioris rigida vis,& trita experimentis ætas, ſatis in hoc providit Cæſaribus filiis, quos perfidia Ducum in ipſo juventę flore extinxit miſerando exitu cui omnes ingemuere, nemo avertit. Sed hoc quoque ſæpè funeſtum eſt quòd ipſa quæ putantur præſidia, in perniciem cedunt. Exitioſa pupillis tutorum complurium diſſidia, dum alius alium vi exuere tentat, luditur Provinciarum ſpoliis in orbi juvenis caput, & ipſi ſæpè exſcindunt qui putantur aſſerere.

Tutorũ factiones timendæ.

Macch. l. 1. c. 6. & 7 Grande in Antiocho exemplum.

Notum iſtud in Antiocho Eupatore, quem cùm Epiphanes pater duobus ex aula potentiſſimis Principibus alendum moriens reliqu iſſet, diſcerpere illi cæco ambitu omnia potiùs quàm adminiſtrare cœperunt, & dum Lyſias actius pupilli in ſe affectum incẽdit, inſtatque ille proniore cura, Philippus Demetrium ejuſdem patruum Roma ubi tum obſes erat promptius evocatum, in ſpem imperii potiendi ſollicitat. Nec fruſtià, nam imparatum

Digitized by Google

Regem Regiſque tutorem adortus, ambos jugulari vel crudeliter juſſit, vel flagitiosè permiſit. Proſpexerat majore ſapientia Theodoſius Arcadio & Honorio quos ſub ſancti Ambroſii patrocinio reliquerat, res interim militares & civiles gerentibus viris induſtriis. Sed quo non permeat peſtiferum ambitionis virus, ſtatim cuique ſua in conſpectu fortuna eſt, nihil maximi Imperatoris manes, nihil ſanctiſſimi Epiſcopi reverentia adverſus impios potuere.

Theodoſius bene providerat. S. Ambroſius tutor juniorum Imperatorum.

Rufinus Eluſa Aquitaniæ oppido natus, humili genere, Arcadium imperatorem ſuæ commiſſum curę violentus obſidet, & de filia illi collocanda conſilium agitat. Eutropius ejus collega immanem audaciam ſubodoratus, telam diſſuit & Eudociam inſinuat Principi. Stilico qui Honorio admotus occidentale regebat imperiũ utrumq; depellere aggreſſus. Rufinum per callidas Eutropii artes adoritur, mox per Cainam Gothici generis ducem, occidit horrendo ſortis ludibrio. Ipſum deinde Eutropium occultis ut putant machinationibus ab imperatore deſtitutum atque proſcriptum præcipitat in extrema. Mariam denique filiam Honorio collocat, ipſe belli, pacis, & omnium arbiter, inquieto ſemper ingenio, dum Eucherium filium Gothorum ope in pupilli ſolium aſſerere tentat, opprimitur. Tantùm valuit felix in imperatore ſocordia.

Factio Rufini & Eutropii in aula orientali. Stiliconis in occidentali.

At ſuprà omnem diritatem eſt, cùm tutores ipſi nefarias in reges quos pro filiis habere debuerant, armant manus. Hoc in Hungariæ regno auſus perfidioſiſſimus Pugebrachius, qui Ladiſlaum adoleſcentem Pragam profectum ut Magdalenam Caroli Regis Galliæ filiam ſibi deſponſaret, veneno ſuſtulit. Aſſiſtebat interim decumbenti ad pulvinar fœdiſſimus Apoſtata, deſertor cæli, & proditor ſoli, compoſito in mœſtitiam vultu, cui Rex innocentiſſimus etiam pro adminiſtrato tam infideliter imperio gratias agebat, pietatem impio hæretico, juſtitiam perſecutori cõſceleratiſſimo, domeſticos hoſti commẽdabat. Quid hoc execrabilius? Quid Novatorum factione dignius?

Tutorum perfidia execranda. Pugebrachii ſcelus immane.

Longè ergo tutius adoleſcentuli Principes matrum tutelæ committuntur, fideliſſimo optimatum cõſilio. Nam fœminis quibus modò aliqua commendatio virtutis, amabile nomen apud populos & cura pro liberis acrior, & plenior affluit de cęlo felicitas. Et iſtud quidem noverat ſcientiſſimus rerum David, qui Salomonem filium Berſabeæ matris amoti donavit, rem impigrè gerentibus Nathane Propheta, & Banaia militiæ duce. Illi Adoniæ perniocioſiſſimam factionem quam Joab, & turbandis rebus aptiſſimus Abiathar ſacerdos alebant, mira celeritate diſſiparunt. Nec aberravit in hoc Agrippina, ingenio mulier quàm probitate major, quæ Senecam & Burrhum Neronis juventæ, & imperii clavo ſagax admovit, hîc militiâ, ille togâ clariſſimus, uterque vir probus, & communi bono natus, feliciſſima primordia habuere, quibus pares exitus reſpondiſſent, niſi imperatoris vecordia in omnia dira & pudenda per calcatam virtutem erupiſſet.

Tutius pupilli Principes matrum tutelæ committuntur. Exempla illuſtriũ mulierũ quæ Regum infantiam feliciter rexere. 3. Reg. 1. Berſabea.

Amalazuntha virilis animi regina, teneram Athalarici filii ætatem providiſſimè rexit. Pulcheria Theodoſio fratri affixa, ſupra ætatem ſupra ſexum fuit, & quidem peritorum induſtriam divinæ mentis inſtinctu, bellatorum etiam robur præſentiſſimo pectore ſuperavit. Apud nos Fredegundis licet occultis ſceleribus flagrans, Clotharium filiolum per medias acies oſtentans, omnium animos ad propellendum hoſtem concitavit, omnium in ſe, in ſuam ſobolem ſtudia deflexit.

Amalazuntha. Pulcheria.

Digitized by Google

Blancha. xit. Blancha ſancti Ludovici mater factiones tot Principum prudentiſſimis conſiliis exarmavit, filium ſanctitati, ſanctitatem throno applicuit. *Anna,* Anna Carolum octavum fratrem tredecim annorum puerum, ſumma fide & prudentiâ moderata, Ludovicum Aurelianenſium ducem armis atq; animis infeſtum inſigni victoria apud fanum ſancti Albini in Armoricis cepit, & triēnali cuſtodia mitigatum placidiſſimis tandem moribus illum nobis poſt Carolum Regem ſervavit.

Longum eſſet ire per omnia, ipſa quæ multorum calumniis patet Catharina Medicæa, ſagaciſſimâ mente avitam religionem tribus filiis, filios regno aſſeruit, qui ſi in Principum hæreticorum, qui id flagrantiſſimè appetebant, manus deveniſſent, nunc extinctam fidem & collapſum per impietatem regnum lugeremus.

At verò licet juniores Principum magis vigiles curæ circunſtare debeant, nihil tamen in ulla ætate negligendum eſt, ſed ubique firma & fideli cuſtodia muniendi. Providendum ubique ut domus, ut cibus, ut lectus, ut negotia, ut etiam ludi, & quicquid in humana vita geritur, ſit ab omni conſpiratione ſecurum.

Hominū molitiones ſagaciſſimè ſubodoranda. Videndum quid quiſque agat in aula, in Provinciis, quid loquatur, quid moliantur, qui rerum novandarum avidi, & novandis pares. Multæ ſæpè per mulieres, multæ per ſervos conjurationes patuere. Philotam ſcortum prodidit, Neronem mancipium ſervavit. Tantorum ſcelerum indices humaniſſimè tractari, & luculentiſſimis præmiis affici oportet, tum in reos convictos graviſſimas animadverſiones decerni.

A ſuſpicionibus tamen adverſus Sed maximè cavendum eſt ne per inania ſuſpicionum figmenta contrà innocentes ſæviatur. Sunt enim politicorum quidam iniquiſſimi qui propter umbras criminum propter ſiniſtra Principum ſomnia, trucidandos homines putant: neſciunt qui hæc intempeſtivè garriunt, quantam habeat ſanguis vocem: Neſciunt totas convelli atque funditus extingui Regum domos propter unius integerrimi viri necem. *inſontes magnopere cavendum.* *1. Reg. 22.* Teſtis in hoc luculentus Abimelech qui Sauli propter amicitiam Davidis ſuſpectus, & per atrox facinus occiſus cum ſuis, omnes furias in barbarum Regem egit, continuò reſtagnante in domum ejus infeliciſſimam tot piorum cruore.

DISSERTATIO
Quinquagesima sexta.

De amovendis bellis civilibus.

In illa verba Chuſi de Abſalone & Rebellibus *Bonum apporto nuncium, Domine mi Rex judicavit enim pro te Dominus hodie de manu omnium qui ſurrexerunt contrà te.* 2. Reg 18. 31.

Bella præſertim civilia amovenda. POst factiones occultas ingruunt bella eaque extera aut civilia undecumq; veniant formidanda, ſed nihil eo quod inter cives geritur crudelitate atrocius, nihil cladibus luctuoſius. Itaque huic oculatiſſima providentia occurrendum eſt, & diſſidiorum cauſſæ in fomite quantum res patitur, præfocandæ.

Cauſſa bellorum dua præcipua, prima. Religionu factio, & novitas ſectarum in fomite ſi fieri poſſit præfocanda. Multa ſæpè & nefanda per adulterinas religiones exarſere, quia nihil efficacius movet populos, & novis etiam ſectis venenum aliquod ineſt ſubtiliſſima vi permeans animos, & confundens univerſa: felices qui tam immane prodigium tam infauſtam avem in ovo ſuffocare antequā erumperet, potuere. Iſtud quidem omni conatu & vi acerrima ſi vacat perficiendum eſt.

Sed ingruunt ſæpè tempora malignitate

Digitized by Google

teterrima, calamitate pari, ubi innumeræ impiorum legiones quaſi dira locuſtarum agmina in campos ebulliunt, ferro & facibus ſævæ, & projectæ ad omnia ſcelerum portenta.

Quid faciendum ubi valida.

Nemo vim vi quantum fieri poteſt repellendam negaverit: Sed cùm periculum eſt omnia exſcindi ſi ad internecionem bellum geratur, pacandi ſæpè ſunt prudentiſſimis artibus animi, toleranda multa uſque ad meſſem, ne cum zizaniis triticum evellatur.

Piorum & prudentium Principû conſilium

Alia conditio Principû eſt qui per ſcelus & ſocordiam diſſimulant alia eorû qui impietatem graviſſimo odio perſequuntur, acerbitatem temporis & pondus neceſſitatis ferût, donec aperta vi eluctari atque amoliri poſſint. Interim cavent ne latius fundatur peſtiferum hæreſeos virus, molliunt dura, ſanant infecta, languentes Catholicorum vires acuunt, & torpentes flammas accendunt, provident Eccleſiæ vigilantiſſimos paſtores, & doctores acerrimos, laborant in omni gente, verbis, exemplis, & toto militiæ cœleſtis apparatu.

Exemplû illuſtre in Belgio.

Certè illi magna pietatis commendatione, magna prudêtiæ laude digni ſunt. Totam rem in conſpectu ponit Belgii rebellio. Infudit ſe illi hæreſis non timida & ſerpens, ſed impetu. Tota jam fuit cum inciperet. Cum imperio tum erat Margareta provincias adminiſtrans pro Philippo fratre prudentis côſilii & fortis etiam pectoris fœmina. Naſcenti malo conatur occurrere levioribus remediis, cû ſeverioribus non poſſet, nec propter lenitatem vellet. Dat operam ut minimum permittat mali, multum etiam boni undique promoveat, quod integrum eſt ſervet, quod infectum curet, medicando potiùs quàm perdendo Cardinalis Gravella qui plurimum in côſilio Hiſpaniæ poterat, arrogantis ingenii (ut ajunt) ſævitiâ, & zelotypiâ authoritatis quàm ſperni noverat à Belgis, omnia durius urgebat. Cû de ſtabilienda illic inquiſitione ageretur, quàm ut malorum extremum conſternati populi horrere cœperant, cogit rectrix procerum conſilium, & ſententias rogat. Ipſe qui Tridentino Côcilio interfuerat Cornelius Janſenius, & alii complures Epiſcopi, viri optimi atque prudentiſſimi, ſtatuebant moderatiora, ne vis mali acrioribus irritata potiùs quàm compreſſa iret in immenſum. At contrà in Hiſpaniis atrociora quæq; ingenia Regem in adverſum accêdebant. Revocatur Margareta, mittitur dux Albæ, idem miniſter, idem anteſignanus ſævitiæ, qui quod vulneribus admoveret præter ferrum & ignes nihil habuit. Inde ſalutis deſperatio & ſæva vis armorum regnum ſcidit, quod poſt ſumptus infinitos, poſt exhauſtas auro, ferro, viris innumerabilibus provincias nondum coaleſcit.

Gallia ut ſe in iſtis geſſit.

Prudentius ſaltem poſtremis temporibus Gallia ſtuduit pacare furentium impetus, fatigare vires, induſtriâ luctari cum projectis, diſtrahere duces, exarmare factioſos, ſectam notare ignominiâ atque dedecore, convincere rationibus, atque exemplis obruere. Habet & ſuum modum furor: cùm deferbuit ille falſæ religionis inſtinctus, qui præcipitem amentiam agit per ferrum & vulnera, tranquillius omnia tranſiguntur. Ubi tamen prævalida bonorum poteſtas eſt, & debilis audacia rebellantium, longè ſatius eſt reſcindere quàm patientiæ reſervare.

Alia bellorum cauſſa, contentio de Principatu inter proceres.

Alia exiſtit bellorum civilium cauſſa, côtentio de principatu maximè inter cognatos & fratres, quæ ſæpè ad internecionem furit & depopulatur omnia animis utrinque vehementer accenſis. Primum in iſtis dum alta pax rebus, & Principis eminens authoritas, danda opera eſt ut liquida ſint ſua ſucceſſoribus jura, & arceantur ingenia novandis rebus nata.

Notant

Digitized by Google

Notant Aſtrologi ſub ortum coronæ ſtare ventos, & naſcentibus imperijs procellas excitari compertum eſt, quia non deſunt animi ſemper præſentibus mœſti, & futurorum avidi, qui ſive invidentia, ſive metu, ſive lucri & honoris cupidine, ſive dolore contumeliæ, principatum nō dum hærentem ſibi, nondum alta radice firmatum acrius percellunt.

Quid præſtare tum Rex debeat.

Ad hoc iuvat Principem fœlicibus auſpicijs inire regnum, magnam ſui ſpem ingenerare pectoribus, conciliare honeſtis artibus omnium animos, generoſitatem, clementiam, liberalitatem, verbis & factis vbique polliceri.

Galbæ infelix avaritia.

Nerone dejecto, omnia Galbæ proſpera, ſi lenire auſteritatem ingenij & allicere donis milites didiciſſet. Sed dum obſtinato rigore perſtat, illum profuſiſſimi æmuli largitiones oppreſſere. Pars victoriæ eſt optima niti cauſſa, quàm probari peritis atque optimis expedit, maximè clero, nobilibus, & curijs, quæ populos in ſe ſpectantes trahunt. Sed quia res Principum armis potiùs deciduntur quàm litigijs, optimè ſibi provident qui non in vanis colloquijs teri tempus, atque ſibi illudi patiuntur; ſed pecunias, commeatus, viros, arma habent in promptu. Prima ſcelerum conſilia fere in turbido ſunt, inſtandum incipientibus antequàm morâ convaleſcant, & rebellium duces maturè occupandi. Nutantes & ſuſpenſos, nec facili inter diſperſos conſenſu, citius opprimas.

Pars victoriæ optima cauſſa.

Apparatus belli providè inſtruendi & inſtandum incipientibus.

Periculoſi qui ſpecie pacis illudunt.

Periculoſi ſunt, dum blandâ pacis ſpecie oſcitantes animos alliciunt, & clandeſtinis interim armis graſſantur. Sic Iuſtinam imperatricem Maximus tyrannus decepit, legatos alloquio mulcens, cùm jam Alpes irrumperet.

Non temere omnium alea tacenda.

Quod ſi jam valida conſpiratione firmatæ vires, nihil temere movendum, ne per unius prælij infelicem aleam tota res concidat quæ ſarciri per moram facilius poteſt. Præſens adhoc remedium eſt impedire, ne in unum rebelles conveniant, aut coactos turbare diſcordiis, præmiis & pollicitationibus inductos diſiungere. Actum erat de Ludovici XI. rebus, poſt illam quæ ad Montem helericum pugnam niſi ad iſtas artes confugiſſet.

Ludovici XI. prudentia.

Vbi ſe mole belli & vigilantiſſimis adverſariis preſſum vidit, ingruentem procellam prudens diſcuſſit, ſingulis quæ poterat prolixè tribuendo, ut diſtractos invaderet. Res populi eſt, aut nulla eſſe bella civilia, aut citò finiri. Itaque peſſimè agunt urbes & Provinciæ, niſi in legitimum dominum quem ſæpius non ambiguis indiciis conſcientia & veritas produnt, toto affectu transferantur: Sic rebelles paucitate faventium trepidi citiùs diſſoluuntur, nec multo ſanguine victoria paratur & ſalus.

Provinciæ quomodo ſe gerere debeant in Principū contentionibus.

De exteris autem bellis optimè monebat Carolum filium Ludovicus XI. non eſſe in primordiis regni movenda, rebus adhuc incertis & ſæpè per varia fluctuantibus. Franciſcus I. Marinianæ victoriæ gloriâ illectus, totam deinde ætatem cōtrivit difficillimis expeditionibus & ſæpè funeſtis. Ingemuit Chriſtianus orbis perpetuis colliſos præliis Reges, & ferrum toties Chriſtiano ſanguine reſperſum, dum Turcæ diſſidiis noſtris aucti palmas ſuas de funeribus Eccleſiæ numerarent.

Bella in primordiis regni haud temere movenda.

At verò ſi barbarorum aut etiam aliorum hoſtium furor adoriatur Principes ſæpè novos, & nutantes, tunc omnis conatus adhibendus illis eſt, ut ſe ſuaque fortiſſime tueantur; proderit tum munitas habere vrbes, quæ tanquam moles furentibus aquis objiciantur. Sæpè unius nec admodum famoſæ obſidio acerrimos exer-

Quomodo Barbarorum & aliorum inſultantium frāgendi impetus.

exercitus trivit,& immania diſſuit conſilia. Ad Taurinum quam Belgradum vocant, repreſſus Hunniadis virtute Mahometes ſecundus, qui diu Chriſtianorum everterat imperia, expugnatis vrbibus ſuprà ducentis. Viennæ mœnia Solymannum magna clade repulere. Conſpiratio fida ſociorum, præſertim contrà communem religionis hoſtem ſalutaris & invicta. Sed infelici ſæpe ſpectaculo fraterna in ſeſe committuntur ſigna, quæ in Agarenos ferri decuit; ita præpoſtera ſunt quæ molitur ambitio, ita crudelia quæ feralis ardor vindictæ perpetrat.

DISSERTATIO

Quinquageſima Septima.

Contrà ſeditiones.

In illa verba de Amaſia Rege.

Qui poſtquam receſſit à Domino, tetenderunt ei inſidias in Ieruſalem. 2. Paral. 25. 27.

SEquitur deinde ſeditio tetrum furioſiſſimæ rebellionis genus, quæ nihil cogitatum habet, nihil placidum, tota in impetu eſt, fanatico quodam furore, per tela & flammas præcipitante. Quædã ſunt militares, cruentæ & ſævæ, quædam populares, rabidæ, & ubi poteſtas eſt implacabili malignitate. Aliæ naſcuntur ex incerto, tumultu cæco, & ultionis potiùs avido quàm gnaro iniuriæ. Aliæ ex deſtinato fiunt magis timendæ. Aliæ ſine duce, ſine conſilio ſunt, aliæ utrumque habent, nec tamen fræna & modum.

Seditiones variæ.

Omnibus frequentiſſimæ cauſſæ ſunt offenſionis objecta ſpecies, vel libido dominandi. Maximam partem ſævientium animorum fecere ubique & ſemper in unum aut paucos nimis prodigus Regum favor, tributa, oppreſſiones, contumeliæ, adulteria, carcer, plagæ, ſupplicia, & apud milites imperantium ſævitia, denegata merentibus ſtipendia.

Frequentiſſimæ ſeditionũ cauſſæ tributa

aſpera & contumeliæ.

Optimum remedium omnium eſt nõ expectare remedia, ſed antevertere ut nõ eveniant quæ nunquam etiam dum pacantur, hoc damno & luctu diſcedunt. Quidam populorum ſæpè ex indulgentia nimia & rebus laxis laſciviunt, quibus dum modica etiam imperantur, non modico furore tumultuantur. Nemo hos niſi iniquus excuſaverit, nemo ſubigendos, atque ſeveriori imperio macerandos negaverit. Sed ineluctabilem ſibi, ſuoq; regno plagam imponunt Principes, dum ſine menſura & modo à ſuis ſubditis exigunt noua, aſpera, inſolita, quæ ſine familiarum interitu aut grauiſſimis incommodis pati non poſſunt.

Optimũ remedium non expectare remedia Non excuſandi populi, qui ex indulgentia & laſcivia peccant.

Quid iuuat immiſſo poſtea milite per ruinas urbium, & calcatos ire cives, furcis bellare & rotis, mœrorem omnibus, campanis etiam ſilentium indicere? quid eſt hoc aliud quũm ſua membra perimere, ſuos artus laniare? Errarunt quidem illi miſeri, qui ad peiora morbis omnibus remedia confugere, ſed multum intereſt an hoc inſolens animus, & longo saginatus otio, an rigida ſeveritas, an extrema ubique admonens rigor, an atrox neceſſitas fecerit.

Qui ex miſericordia digni ſunt.

Timendum dominantibus, ne clementiſſimus dominus qui regendam illis populorum multitudinem commiſit, vehementer ſuccenſeat, ſi quos paterno affectu fouere debent, in omnium rerum inopiam, mœſtitiam atque deſperationem immergant. Ipſe qui Regibus etiam ethnicis tributa pendi voluit, grauiſſimè tamen iratus eſt Pharaoni Ægyptiorũ Regi, quòd per exactores ſuos miſerabilem Hebræorum turbam non humano modo vexe-

Timendũ numen Principibus adverſus plebem acerbis.

Exod. 3. 7.

Cur Deus tributa Nabuchodonoſori pendi voluit, Pharaoni denegavit.

texerit. *Vidi*, inquit, *afflictionem populi mei & clamorem eius audivi, propter duritiam eorum qui præſunt operibus.*

Nabuchodonoſori dari quas imperaſſet pecunias per Hieremiam iuſſit, quia iure gentium & conſueto victoribus more exigebat; Pharaoni verò denegavit, quod ſuprà jus, & fas, ſupra facultatem ſubditorum exigeret.

Præfecti Provin. & milites continendi.

Præterea ſummoperè cavendum eſt ne præfecti provinciarum aut vrbium, ne duces, ne præſidiarii, aut etiam vagi milites, vel liberos homines contumeliis ac plagis afficiant, vel indomitâ libidine honeſtas mulieres aut puellas polluant. Inde enim ampla ſeditionum ſeges, & implacabiles offenſorum vindictæ. Hæc ſi vitari ſummâ providentiâ & pari diſciplinæ vigore Princeps curet, ſi militibus iuſta pendi, quò in ſuo quiſque munere contineatur, ingens ſibi decus, & dulce popularibus ſolatium eſt allaturus. Non expedit quidem quòd plerique Principum ingenua bonitate deſtinarunt, populos omnibus oneribus exſolui, ne per nimiam lenitatem atque abundantiam ſoluti in peſſimos evadant. Tantùm moderatione atque induſtriâ opus eſt, quibus omnia tranquillius adminiſtrantur.

Seditiones motæ ut compeſcendæ.

Sed quia mobile eſt vulgus atque diſcordioſum, & nulla ſæpè tam ſolers cura, tam profuſa benignitas, quæ omnes motus poſſit amoliri: Videndum quomodo mota compeſcere, & exulcerata ſanare poſſimus. Populares motus ſubditi & inconſiderati, ſine capite, ſine mente, impetu valent, mora langueſcunt. Ingens periculum eſt, imparatos nec ſatis firmos crudo adhuc furori ſe obiicere. Aquitanica ſeditio ſub Henrico, Navarrum, Ambleuillæum, parvâ & tumultuaria manu conatos obſiſtere, mole ſeditioſorum obruit atque diſſipavit. Triſtanum egregia virtute ducem, dum ratò cinctus milite fidenter occurrit, factioſorum fœda lanienа diſcerpſit. At ubi parata quæ validè reſiſtant arma, ſtatim primi impetus qui fuere belluarum, vix ſunt hominum. Obiecta mortis ſpecies, jam pavidos, jam titubantes ſternit. Quiſque de fuga, de ſua ſalute cogitat, ſociorum immemor, deſeruit lymphaticos furor, & cum furore tota vis elanguit.

Popularis qualiter ſedanda.

Vbi jam in ſe redire incipiunt, ubi pauor, & pudor intrant, efficaciſſimum eſt delegare viros egregia virtute cõſpicuos, & fama candidos, plebi etiam dilectos, qui motos facundia mulceant, qui gratis offerant, quod ferro & periculis quæritur, qui polliceantur multa, qui relaxent etiam aliqua, & ſalutaria omnia oſtendant ad bonam mentem revertentibus.

Tum præſertim humaniùs ſunt habẽdi ubi ſollicitantur ab hoſtibus, & ſocialia timentur arma. Dum redeunt non eludẽdi vanis, ne poſtea implacabiliùs ſæviant. Sed ſi quod in authores tumultus gravius exemplum decernitur, providendum ut pœna in paucos, timor, in omnes pervadat. Tandem exſoluti metu, & venia læti, vltrò offerent quæ ſæpè per tot diſcrimina, tot clades petuntur.

Militares ſeditiones ut exarmandæ.

Nobiliſſima exempla apud Tacitum in annal. lib. 1.

Militares motus pro ſtipendiis & relaxatione auſterioris diſciplinæ, feroces ſunt, impetuoſi, & ſæpè ituri in diras cædes, atque interneciones exercitus. Data ſub Tiberio pacandi exempla modo diſpari, non diſſimili exitu. Turbatum erat in Pannoniis authore Peſcennio procaci lingua, & miſcere cœtus hiſtrionali ſtudio docto. Nouum Principem & adhuc nutantem ſuadebat vel precibus, vel armis adire, oſtendebat militiam gravem, infructuoſam, verbera & vulnera, duram hyemem, exercitas æſtates, bellum atrox, aut ſterilem pacem, animas denis in diem

aſſibus æſtimatas. Inde atr[illegible] tempeſtas, ad quàm ſedandam mittitur Druſus filius Imperatoris: Dum truculentis adhuc vocibus concio ſtreperet, nec ſatis tuto videretur conſiſtere in publico, magnis artibus rem tentat; conſpirante etiam cælo, cùm fortè luna riſa eſſet ſubitò langueſcere, minacia portendens ſceleratis. Circumiri ſecreto tentoria iubet, accerſit Centurionem Clementem cui plurimùm multitudo fidebat, & ſi qui alii bonis artibus grati in vulgus, qui tum eadem culpa obſtringerentur, ſibi devincit. Hi mutata oratione apud ſuos diſſerunt. Turpe eſſe filium Imperatoris obſideri; non exſpectandùm ut Percennius & Vibulenus cõtemptiſſimi homines pro Tiberijs & Druſis ſedeant; ſtipendia militibus, agros emeritis largituri. Præſtare ut qui noviſſimi fuiſſent ad culpam, primi ad pœnitentiam eſſent. Ita per concios commotis; & iam inter ſe ſuſpectis cæterorum mentibus, tota coniurationis moles defluxit. Authores iuſſu Druſi à ſeditioſis deſerti nullo negotio trucidantur.

Lenibus Germanici moribus conveniens. Eodem tempore Germanicus claritudine virtutum, & omnium in ſe amore præcipuus, furentes expertus in Germania milites, miſeratione potiùs quàm terrore pacavit. Nam cùm eſſent omnia dirâ tumultus facie confuſa, & æquè in legatos, æque in Imperatorem propter diuturna militiæ onera exardeſcerent; continuò Auguſtam vxorem cum filiolo è caſtris diſcedere curat, à furentibus ſummovens, ne quid acerbius peccarent. Vbi hoc inaudivere, & conſpectum à frementibus muliebre ac miſerabile agmen, profuga ducis vxor, paruulum filium ſinu gerens, inde pudor, inde miſeratio, quæ eò traduxit milites, ut mutati ſævirent in ſeditioſos.

Alia tamen via efficaciores. Fuit hæc ratio leniſſimis Germanici moribus aptiſſima, ſed ea ſæpius efficacior, quæ ferrum & togam miſcet, legatos cum armatis, quæ meliores à peioribus divellit, quæ factioſos ſuſpicionibus & diſcordiis à ſe diſiungit, ſpes offert redeũtibus, obſtinatis metum armorum intendit. Per allectos ampla mercede rebellionis ſocios tentat atque ſollicitat animos; vim, authoritatem, iuſtitiam, amorem, facundiam, clementiam, æqua temperie diſpenſans.

Capitaliſſima ſeditio quæ ex deſtinato venit, qualis ſub Galba. At nulla magis exitialis ſeditio eſt quã quæ ex deſtinatione venit, & movetur à potentibus qui & ipſi ſolio inhiant, & ſecum omnes exulceratos, ambitioſos, obæratos, vanos, ventoſos, denique miſeros etiam & vexatos trahunt. Tum virulenta factio, & deſperata ob audaciæ magnitudinem venia, vecors, & in omne facinus projecta.

Galba incauta erratas. Talis ſub Galba per Othonem exarſit à qua & miſerandus ſenex oppreſſus eſt. Cauſſis ipſe tenerɩs dedit, cùm ex lecto unius Tyranni capite, alterum illi ſuppa rem, & planè Germanum Othonem reliquit. Ecfellis illum ambiguo vir ingenio ſuâ quidem indole in luxum & laſciuiam reſolutus. Sed ut omnia ſerviliter pro dominatione pati aſſuetus, ita etiam cum res fluctuarent, acer, & hiſpidus. Hunc cùm ablegare debuiſſet, ne ſimilitudine deſiderium Neronis accenderet, non tantum retinuit, ſed incautâ etiam familiaritate complexus eſt. *Tacitus libro 1. hiſtoriarum.* Deinde cum nuntij de eius ſeditione afferrentur, deliberatum an Galba repente procederet in publicum, & coniuratos adoriretur. Titus Vinius manendum intra domum, opponenda ſervitia, firmandos aditus, non eundum ad iratos cenſebat, ita dari malorum

lbrum pœnitentiæ, dari bonorum conſenſui ſpatium. Eundi fore ſemper facultatem regreſſum, ſi pœniteat in aliena poteſtate eſſe. Acceſſit imperator non utiliora ſed ſpecioſiora ſuadentibus, properavit in forum cùm iam adultus eſſet rebellionis vigor, & prodentium ignavia derelictus, furentium etiam manibus laceratus eſt.

Tiberius in eo longe prudentior. Longè prudentior Tiberius qui audità Pannoniæ ſeditione, abſtruſus, & triſtiſſima quæque occultans, Druſum filium miſit, cum primoribus civitatis, prætorianis cohortibus, & lectiſſimo robore Germanorum. Non ipſe iter aggreſſus, licet obſtreperet rumor, ire ipſum & opponere majeſtatem debuiſſe, ceſſuris; ubi Principem longa experientia, eundemque ſeveritatis & munificentiæ ſummum vidiſſent. Immotum (ait Tacitus) adverſus eos ſermones fixumque Tiberio fuit non omittere caput rerum, neque ſe Remque publicam in caſum dare. Hoc ſi feciſſent tam multi Cæſares, non tam ſæpè neque tam promiſcuâ militum ſeditione ceci diſſent. Auguſtus tamen feſſâ ætate ſæpè in Germaniam commeavit; ſed illum longè alia veneratio quàm Tiberium ſequebatur; quem conſcientia ſcelerum, & odij publici, ſecurius intra palatij ſepta continebat.

(*.*)

DISSERTATIO
Quinquagesima Octava.
De præſidio innocentiæ, & vitijs eliminandis.

In illa verba. *Liberavit me, quia complacui ei, & ero perfectus cum eo. 2. Reg. 22. v. 20. & 24.*

SÆpe etjam regna externis injuriis intacta quæ intus dominantur vitia paulatim exedunt. Fugienda magnopere impietas, injuſtitia, luxuria, fatales virtutum & fælicitatis peſtes. Spreta imprimis religio maximum ruentis imperii argumentum. Nec fruſtra Iſaias canit. *Ecce dominus diſſipabit terram & nudabit eam: diſſipatione diſſipabitur terra quia tranſgreſſi ſunt leges, mutaverunt ius, diſſipauerunt fœdus ſempiternum.* Nempe ubi grande illud vitæ pietatis [illegible]mentum infringi cœpit in regno [illegible] his qui rerum potiuntur aut inſtigantibus aut etiam connïventibus; cõcuſſis jam fundamentis nutat quicquid ſupe[illegible]itur. *Regna proſtrata per vitia. Spreta imprimis Religio mutat imperia. Iſai. 24. v. 1. 3. 5.*

Aptiſſimè Procopius in 4. Regum notat domum Regis Hebræorum, in formam creſcentis lunæ fuiſſe corniculatam duo verò utrinque cornua cuſtodiiſſe Levitas, Regem in medio quaſi ſecuritate religionis tutum. Addunt cæteri non licuiſſe temporibus Achab domum Regis ingredi, niſi templo prius adito, tanta ubique divini cultus & regiæ majeſtatis conſenſio. *Procop. lib. 4. Reg c. 11. Ευμήτιο διόττα ἀσφαλ... Procopii obſervatio de domo regis*

Multi Principum dum legitima avorum ſpernunt ſacra; & illiciuntur ſectarum blandimentis, paulatim ſe exuere regno, & in profundas immerſere calamitates. Impietas Man[illegible] n catenarum [illegible] õ- *Sectarum occultarum novitas multos*

 dere

Reges paulatim regno exuit.

dere oppreſſum Babylonem duxit. Sedeciam excæcavit, Oziam leprâ infecit. Philippos imperatores Chriſto infidos abdicavit, exauthoravit Iulianum manu veluti cæleſti trucidatum. Petrum Arragonem fraternis manibus occidit, ſpoliavit Alphonſum. Chriſtiernum Daniæ quaſi clatratam belluam caveis ſepſit: Et ſi qui poſt mutatam religionem in ordine permanſerunt Principes, non ſtetit tamen dignitas in ſobole, quod in Henrico octavo Angliæ Patres noſtri conſpexere, cuius extincta progenie devenere ſceptra ad Mariæ Stuartæ filios, quàm poſtliminiò coronæ in terris cingunt, dum martyrij purpura honeſtat in cælo. Si qui autem adversùs Deum hominesque perduelles adhuc lætis rerum ſucceſſibus florent, *Noli gaudere ad piſcem* (ait Auguſtinus) *qui in eſca ſua exultat, nondum traxit hamum piſcator; nam iam ille habet hamum in faucibus quod tibi longum videtur, breve eſt.*

Si qui impii aliquo tempore florent, non eſt mirandum, ſed exitus attendendus. Aug. in pſal. 91.

Alia corruptrix regnorum iniuſtitia Eccl. 10, 8.

Alia corruptrix regnorum, & ea quidem frequentiſſima, iniuſtitia, [illegible] Spiritu clariſſima voce per ſapientiam atteſtante, *regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diverſos dolos.* Nam cum iuſtitia ex ſancto Cypriano ſit tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, neceſſe eſt ipsâ graviter afflictâ & penè proſtratâ convelli caput rerum, & omnia mœſtitia confundi.

Signa iuſtitiæ converſæ.

Vbi igitur in imperio languente iam divino cultu qui ſecundum Porphyrium prima & maxima eſt omnium iuſtitia, iã patriæ, parentibus, maioribus, obſervantia denegatur & charitas: Vbi commerciorum fides, & gratia ceſſat officiorum: ubi defenſio miſerorum nulla eſt, & malorum rara vindicatio, ubi leges, contractus, decreta, publica pacta, fœdera, improbo cuique irriſui ſunt quæ antea fuerant venerationi: ubi omnia in judiciis pecunia, & favor, & iuſſa potentiorum poſſunt, credi par eſt miſera tabe totum Reipublicæ corpus infici.

At ſi quæ à privatis fiunt, publica etiam Principis authoritate committantur: Si aliena præter ius & fas invadat & retineat regna, vexet ſua: Si ſubditos tributis, vectigalibus, oneribus magnis, duris, inſolitis, opprimat. Tunc præſens exitium imminet, niſi ob majorum pietatem & inſignia in Eccleſiam merita, labantem ſtatum cæleſti manu deſtinatus à Deo regni Angelus fulciat atque ſuſtentet, tum etiã reſtauratorem excitet, qui ſumma vi & pari fide res concuſſas atque diuulſas in ordinem reponat, abſterſâ piorum temporum fuligine. Romanos etiam ſuperſtitioſiſſimis ritibus implicatos diutiſſimè numen tulit, opibus etiam ac victoriis auxit; quandiu aliqua (ut ait ſanctus Auguſtinus) iuſtitiæ dederunt documenta. At ubi per provinciarum præfectos, rapere, diſſipare, cruciare cœperunt, omnium odia & cæleſtes iras in ſe concitavere. Audi quo ſpiritu Galgacus dux Britannus eorũ mores & facta perſtringit *Nulla iam ultra gens, nihil niſi fluctus & ſaxa.* & infrà: *Romani, quorum ſuperbiam fruſtrà per obſequium & modeſtiam effugeris. Raptores orbis, poſtquam cuncta vaſtantibus defuere terræ, maria ſcrutantur. Si locuples hoſtis eſt, avari; ſi pauper, ambitioſi, quos non oriens, non occidens ſatiaverit. Soli omnium opes atq; inopiam pari affectu concupiſcunt: auferre, trucidare, rapere falſis nominibus imperium, atque ubi ſolitudinem faciunt, pacem appellant: Liberos cuique & propinquos ſuos natura chariſſimos eſſe voluit: Hi per delectum alibi ſervituti transferuntur. Coniuges ſororeſque, ſi hoſtilem libidinem effugiant, nomine amico-*

Romani diu tolerati à Deo in ſuperſtitioſe, ſed propter iniuſtitias citius puniti.

Tacitus in vita Agric. Graves Romanorum iniuſtitiæ à Tacito breviter comprehenſæ.

rum

Digitized by Google

rum atque hoſpitum polluitur. Bona fortunaſque in tributum egerunt, in annonam frumentum. Corpora ipſa ac manus ſylvis ac paludibus emundandis, verbera inter & contumelias conterunt. Nata ſervituti mancipia ſemel veneunt, atque vltro à dominis aluntur: Britannia ſervitutem ſuam quotidie emit, quotidie paſcit.

Salu. lib. 5. de guber. Dei

Spoliatio imperij Romani miſeranda, cū iniuſtitia ad ſummum deveniſſet

Quid tandem iſta immanitas peperit? Qui prædatores omnium, in cunctorum ceſſere prædam. Salvianus qui ipſe imperii Romani à Gothis & Vandalis oppreſſi ruinas & incendia ſpectavit, teſtatur ultore domino hæc præſcripta, hæc tranſacta, quia tanta vis iniuſtitiæ, tanta rapinarum licentia his temporibus fuit, ut nullus ferme qui malus non eſſet, ſaluus fieri non poſſet. Addit etiam nullas vrbes, nulla municipia, nullos vicos fuiſſe, in quibus non eſſent tot tyranni quot curiales. Tum de oppreſſione pauperum acerbiſſimè queſtus, *diverſas*, inquit, *res patiuntur inuidiam, & egeſtatem, exterminati agellu ſuis cum rem amiſerint, amiſſarum rerum tributa patiuntur, cum poſſeſſio ab his receſſerit, capitatio non recedit.* Tum concludit, *quid miramur ſi bona noſtra poſſideant, qui mala exccrantur?*

Probra pudicis fœminis illata magna ruentis imperij argumenta.

Iob. 31. v. 11. 12.

Inter cæteras autem iniurias nihil tam penetrat animos quàm pudicarum fœminarum adulteria & probra virginum, quæ per effrænatam dominantium libidinem inferuntur. Nam & hoc deteſtatur. Præſul coniugij Deus, & omnes qui modò ullum ſenſum honeſtatis habent, acerbius odere. *Hoc enim nefas eſt* (inquit beatiſſimus Iobus) *& iniquitas maxima, ignis eſt uſque ad perditionem devorans; & omnia eradicans genimina.* Propter unius Abrahæ vxorem per ignorantiam detentã, quanquam intactam, *flagellavit dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius.* Quot gentes per flagitium everſæ? Quot mutata regna, quis numerando perceuſeat? In conſpectu ſæculorum ſunt Candaules Lydorum Rex, ipſe vxoris proſtitutor, ab amico Gyge cui ſecreta matrimonij vulgarat, interfectus. Per adulterium Lucretiæ cui vim intulerat Tarquinius, exacti Româ Reges, & exoſum tot ſæculis nomen: decemviros unius libido lapſa in Virginia, proſtravit. Tandem imperium domiti orbis ſpolijs tumens, toties ictum toties ſupra ſuas ruinas erectum, per Valentinianum tertium penitùs concidit, dum furore amens in alienos thalamos irrumpit. Antonij & Cleopatræ amores infauſti nilum Tiberi ſubiecere. Et ne prætérijſſe ſacram videamur hiſtoriam, ſtuprata unius Levitæ vxor tetrum & immane bellum inter Iudaicæ gentis tribus, ad fratrum ſtragem fœdamque internecionem excitavit. Adulterium Davidis conſecutus gladius in regiam familiam per tot ſæcula, tot exempla deſæviens. Herodes Tetrarcha contaminata Philippi fratris vxore, mente & regno excidit. Nihil tutum tam fortes nodos, tam verendas coniugij faces violantibus.

Iudic. 20.

Sed ut cætera deſint, peſſimum in principatu vitium eſt regnantium ſocordia, & ſolutior vita populorum; quæ & cultas Romanorum domos Francis, Gothis Wandalis, Hunnis tradidit. Quas Romani polluerunt terras fornicatione (ait idē Saluianus) barbari mundarunt caſtitate. Omnia ſibi licere bellicoſæ gentes putant in eos quos Venus cepit, vinxit inertia, gula domuit; fugienda igitur & omnibus modis Regi abſcindenda, languor à corpore, imperitia à mente, à domo diſcordia, à cunctis rebus intemperantia.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO
QVINQVAGESIMA NONA.
De Duratione imperij.

In illa verba. *Confirmatum eſt igitur Regnum in manu Salomon. 3. Reg. 3. 1.*

Cœleſtium pretioſa conditio numquã ſeneſcere. *Rerum mortaliũ caduca pulchritudo.* *Vt in hominibus ſic in imperiis ætas varia.*

HABENT cæleſtia grande majeſtatis argumentum, quòd nunquam deſinant. At rerum quæ hic voluuntur, fragilis poteſtas & fluxa pulchritudo, ingenitæ quoddam indicium eſt ſervitutis. Vt hominibus ſic imperiis eſt ætas ſua, ſui limites, quos diſpoſitio divina præſcripſit.

Atque ut in mortalibus videre licet quoſdam vivaces, & longævos quos diceres de arbore illius, vitæ quæ in voluptarijs hortis fuit, aliquid decerpſiſſe; Alios autem breviori circumſcriptos ævo, quos putes in hoc veniſſe non ut viverent, ſed ut ſalutatâ quamprimum naturâ diſcederent. Ita evenit in regnis: Quædam enim diuturna ſunt, ſi quid eſt in rebus caducis hoc nomine appellandum, quædam in arctos temporis conſtricta terminos.

Aſſyriorum imperij prolixa ſeneſtus.

Aſſyriorum quæ prima circumfertur monarchia, numerat annos mille & trecentos: cœpit fermè poſt diluuium annis ducentis & quinquaginta duobus, Belo, Nino, Semiramide, claritudine nominis exſtantibus. Cæteri qui triginta octo numerantur Reges, vana nomina, inerti ſitu defloruere. Nec mirum ſi tam prolixa dominatio, ſine adverſario torpentibus. Duratio metallorum obſervationem fugit, diu ſunt quia numquam viuunt. Sic quietis & penè ignavis diuturnitas aliquando major, nullis præſertim laceſſentibus.

Hæc in Gallia & Venetiis mirabilis.

At miraculi inſtar eſt regnum Galliæ Venetiarumque Rempublicam, Babyloniorum tempora fere æquaſſe, tot contrita bellis, tot duris exercita. Quis humanis hoc viribus tribuat? Providentiæ opus eſt, ſicut & Roma: Cœpit poſt Troiam annis quadringentis viginti nouem, ſub Rege Iudæorum Ioathan, regnatum à Regibus ſeptem, annis ducentis quadraginta quatuor. Inde conſules facti, defecti, refecti, uſque ad Cæſarem obtinent quadringentos ſexaginta duos. A Cæſare ad Conſtantinum trecentos ponunt & quinquaginta tres. Ad Auguſtulum, qui ultimus numeratur imperator, quingentos viginti tres.

Roma fatum & duratio.

Roma ut longæva arbor ex defoſſis ſurculis iterũ pullulavit.

Sed ut in arboribus evenit, quæ ex curvatis in terram & de foſſis ſurculis iterum ſe progenerant, & lætas propagines aguntſita & Roma quæ intra annos centum quadraginta duos ſexies capta, quæ toties ſuis ruinis obruta, toties ſepulta putabatur, ſtetit & ſtat à Petro in maieſtate ſummi Pontificis, & fit quotidie quod æterna veritas ſemel dixit. *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Tandem etiam imperium poſt annos trecentos ſuprà quatuor viginti in Carolo magno erexit ſeſe, & adhuc penes Chriſtianos eſt.

Mat. 16 c. 18.

Multorũ imperiorum brevis duratio. *Pauca vnius longævi Patriarchæ ætatem attigere.*

At ſi lubet tot alios principatus intueri, nullus unius ex antiquis Patriarchis ætatem attingit. Perſæ à Cyro uſque ad Darium Codomani, quem Alexander poſt abſumpta quinquies centena hominum millia funditùs delevit, computant annos ducentos triginta. Seleucidæ qui poſt Alexandrum orientis imperium tenuere, huic numero ſexdecim tantum addidere. Ptolomæis ſubſtracti decem. Macedones ab eodem Alexandro ad annum vrbis conditæ quingenteſimum octogeſimum ſextum exiguis admodum ſpatiis excur-

Digitized by Google

excurrunt. Regnum Tyriorum vix quintum ſæculum attigit. Trojanorum non multum ultra tertium extenditur. Chaldæorum in ſecundo paucis annis adjectis deſinit. Et ne quis putet ignoſci populo Dei ſacra temeranti, Iſraeliticum ab Hieroboamo fundatum tertium, Judaicum à Saule ad Sedeciam quintum non vidit.

Vnde languor in imperiis, ſicut in corporibus.

Unde tanta & tam ſubita tam magnarum rerum converſio? Fortè ut in natura evenit. Quod reparari ſenſim poteſt (ajunt Philoſophi) primo integro nō deſtructo, quaſi Veſtalium focus, id potentiâ æternum eſt. At verò in animalibus omnia præfervido vigore juventutis non tantùm reſarciuntur, verùm etiam ut erudito Baconi placet, augentur, ſed vergente in ſenium ætate ægrè fit reparatio, & paulatim valida etiam corpora morti ſunt obnoxia. Ita fit in regnis poſtquam ſurrexere, in juventutæ florem excitato robore arrogantiùs tument, mox irrepente paulatim ſenectâ langueſcunt, & quæ citatiores habuerant impetus, citiùs quoque ad extrema deveniunt, roſarum inſtar, quæ quò plus odoris ſpargunt, eò pernicius extinguuntur.

Nil mirū ſi mors immineat imperiis, quæ etiā mundo minatur.

Quid miramur mortem imperiis imminere, ſi ipſa orbi terrarum minatur? Terra olim perfecte rotunda, deinde tot aſperata montibus, quot cavitatibus depreſſa ad ſuſcipiendam tantam aquarum molem, quando alluvione pluviarum & allapſu fluminum montuoſa in valles decidunt, & alvei venæque tot amnium, tot fontium, arena & limo cumulantur, in ſuū paulatim ſtatum redit, quem cùm attigerit, toto rurſus operietur mari, niſi divina vis eruptiones ejus contineat, aut etiam conflagrationem præveniat diluvium.

Sed & altera longeq; præſtantior cauſſa eſt providentia quæ regnis ortum, regnis etiam creſcendi modum finemque præſcribit. Hi ſunt ejus ludi choreæque quas per orbem ducit. Multi principum quaſi flagella, & virgæ furoris domini, ad ſupplicia peccantium aſſumuntur. Multi propter ſpretam religionem, & juſtitiam per tot rapinas temeratam, puniuntur. Aliqui etiam ad tempus tolerantur, donec ad cumulum ipſa quæ in dies fit valentior iniquitas pervenerit. Nullum ergo tam grande, tam ſecurum imperii munimentum eſt quàm innocentia, & maximarum cultus virtutum, quæ ſervant integra, corrupta ſanant, firmant nutantia, erigunt etiam lapſa: his firmitatem, his decus divina promittunt oracula. *Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſapphyris, & ponam jaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos lapides deſiderabiles.* *Prov. 8.*

DISSERTATIO SEXAGESIMA.

De honeſtate tutelæ Regiæ.

In illa verba. *Dediſti mihi clypeum ſalutis tuæ, & manſuetudo tua multiplicavit me* 2. Reg. 22. 36.

Prima Regu ſecuritas ſi gubernet ſecundū legē Dei.

PRima pars honeſtatis eſt Dei legem intueri, hanc ſectari, ad hanc omnia dirigere, nihil ſecurum, nihil utile, nihil glorioſum æſtimare quod tam beatos limites tranſiliat.

Contra Neotericos Politicos qui infirmū putāt gubernandi modū, ſi ex præcepto Dei regnetur.

Sed quoniam inter politicos nonnulli ſunt etiam in ſpeciem religioſi, qui fidei noſtræ ſancita, ritus & cæremonias popularibus tantum ingeniis curæ volunt eſſe: Ipſi autem ſi ad bibliorum oracula vivitur perdi regna exiſtimant, & cedere ſuperbis in riſum, rapacibus in prædam. Itaque inveniuntur plerique qui pietatis velum de-

Digitized by Google

ceptis hominibus obtendunt, & quod Aſtrologi in cœlo, hoc in terris faciunt, ætã ceu auro jungunt, profeſſioni ſacræ mentem impuram, atque ſacrilegam: cumque cæleſtis illius ſapientiæ quam ſancti profitentur, ſint planè expertes, ne bonarum quidem literarum eruditione tincti, ſi qua ex impuro Machiavelliſtarum cœno hauſerunt axiomata, jam ſe intuentur, jam ſibi plaudunt, quaſi politicæ doctrinæ in orbe antiſtites ſedeant.

Nihil iſtis hominibus aut afflatu peſtilentius, aut rerum etiam ſucceſſu, ſi finis ſpectetur, infelicius. Primum quis non videt deſipere qui extra Deum ſapiunt? An ſcilicet rudis imperandi & adminiſtrandi inſcius, qui (ut ait Tertullianus) *totam molem iſtam cum inſtrumento elementorum, corporum, ſpirituũ, verbo quo juſſit, ratione qua diſpoſuit, virtute qua potuit de nihilo expreſſit, in ornamentũ majeſtatis ſuæ.* An rerum humanarum imperitus, qui (ut loquitur Minutius) *nativitatẽ omnibus præſtat ſibi perpetuitatẽ, qui ante mundũ fuit ipſe ſibi pro mundo, qui univerſa quæcumq; ſint, verbo jubet, ratione diſpenſat, virtute conſummat?* An quis melius ſervarit regna quã qui condidit? An quis ævo diuturniora faciet, quàm qui ipſe non tantum æternus, ſed æternitas ſua eſt? De quo ſapiens clamat, *noſſe enim te conſummata juſtitia eſt; & ſcire juſtitiam & virtutem tuam radix eſt immortalitatis.*

Deſipere eſt, extra Deum ſapere. Tert. apol c. 17. Deus imperiorum ſcientiſſimus moderator Minut. in Octavio. Sap 15 3.

Sed ne videamur tanto majeſtatis fulgore attonitis inſidiari mentibus, lubet etiam ad rerum civilium præcepta deſcendere, & diſcutere an infantes ſint qui ex ſacrarum literarum inſtrumento petunt rationes, quibus hominum in terris cœtus gubernant.

Primùm videamus quomodo authore & informatore Chriſto Reges inſtituantur, & quibus præſidiis inſtruantur. *Et requieſcet* (ait Iſaias) *ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Qualis hic Meſſias, tales vult unctos ſuos, ſpiritu Dei viventis animatos, ſapientes, intelligentes, providos, fortes, eruditos, pios, timentes regnatorem cæli & terræ, arbitros munificentiæ in bonos, ſeveritatis in improbos. An præſtantius eſſe exiſtimas ſi pro illa mente tanti imperii regnatrice, tam prudente, tam conſulta, tam potente incubet ulceroſo pectori impurus ille & nefarius Machiavelis ſpiritus, qui de religione nihil teneat præter larvam, qui cæremonias habeat pro ludibriis, qui in perplexos intricatus labyrinthos, omnia aſtutè cogitet, omnia crudeliter pro dominatione faciat. Attende jam quod poſt cæleſtes afflatus præſtare Regem divina eloquia velint. *Poſtquam enim ſederit in ſolio regni ſui* (ait lex) *deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à ſacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ.*

Qualis Rex qui ex mente Dei. Iſai. 11. v. 2. & 3. Deut. 17. v. 18 & 19. Inſtitutio Regis qualis à Deo præſcripta.

Grande hoc magiſterium eſt, ſub Deo præceptore diſcere, quid numini, quid hominibus, quid tibi debeas, idcirco regnaturum affigit totum divinæ legi, quam vult deſcribi non amanuenſiũ, ſed ipſius Principis manu, hanc perpetuo comitatu jubet ſepire regum otia, negotia, vigilias, & ſomnos, hanc cum illis bellare, judicare, peregrinari, ruſticari, quorsũ? *Vt diſcat*, inquit, qui hominibus imperaturus eſt, *timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & cæremonias ejus. Nec elevetur cor ejus in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neq; declinet in partem dextram vel ſiniſtram, ut longo tempore regnet ipſe, & filii ejus ſuper Iſrael.* Hæc demum eſt honeſtas vitæ, hæc dignitas, ſi timeatur dominus, ſi colatur fide ſpe,

Deut. 17. v. 19. & 20.

Digitized by Google

ſpe, & ardentiſſima charitate. Si modeſtia & amore benevolo, erga ſubditos regnetur, ſi jura ſacro moderationis tẽperamento diſpenſentur, & ſua cuique reddantur.

Quid Rex faciat divinis formatus inſtitutis. Qualis igitur Rex erit in regno adminiſtrando? Qualis paſtor, non lanius, imitabitur Davidem de quo idem ſpiritus ait, *& pavit eos in innocentia cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos.* *Pſ. 77. 72.* Quibus ornatus virtutibus fulgebit? *Prov. 20. 28.* Indicat ſapiens. *Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & roborabitur clementiâ thronus ejus.*

Licetne illi omnia ad arbitrium facere & volũtatem habere pro lege? Imò vereatur clamantem de cælo Deum, *Sap. 6. v. 2. & 4.* *audite Reges, & intelligite, diſcite judices finium terræ: data eſt à Domino poteſtas vobis & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra. & cogitationes ſcrutabitur.*

Num ſatis illi fuerit ab omni ſe culpa immunem præſtare? Nequaquam, niſi curet etiam innocentes atque induſtrios habere rerũ adminiſtros: *Exod. 18. 21. & 22.* *Provide* (ait ſpiritus) *de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam, qui judicent populos omni tempore, quicquid autem majus fuerit referant ad te?* Quid igitur? cum iſtis gratis eſt regnaturus? *1. Reg. 8. 11. & 13. & 14.* Non ignoravit Deus artes tyrannorum, ſed contempſit. Nam quod à Samuele dicitur *hoc erit jus regis, qui imperaturus eſt vobis. filios veſtros tollet. & ponet in curribus ſuis filias quoque veſtras faciet ſibi unguentarias. & focarias, & panificas, agros quoque veſtros & vineas & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis*, jus pravum & illegitimum, ut ajunt Divus Thomas, Azor, Serrarius, Becanus, à Samuele propoſitum, per modum comminationis, non approbationis.

Nam modeſtiſſimè regnari à Principibus indixit Dominus, nec illos habere (etiam in Polygamia gentis) ſuperfluam uxorum multitudinem, nec equorum, nec auri, aut argenti immenſa pondera, ne cupiditate incenſi ſpoliarent ſubditos, aut reſoluti in deſidiam atq; otium fluerẽt. *Deut. 17. v. 17.* Quî poterant igitur regni dignitatem & onus ſuſtinere? *Reges etiam ex divinis præſcriptis divites & glorioſi.* Nunquam illis fiſcus legitimus denegatus eſt, nunquam tributa populorum defuere, ſed immania atque injuſta quæ Roboamus imponere decreverat, execratus dominus, ejus conſilia civium rebellione confudit. Cæteri licet modicis cõtenti, maxima atque impeditiſſima bella geſſerunt, Deo ſæpè ita decernente, & copiis ultrò undique confluentibus. Tum etiam ex præſcripto legis, ſtabat ſacerdos ante aciem inclamans *audi Iſrael, vos hodie contra inimicos veſtros pugnã cõmittitis, nõ pertimeſcat cor veſtrũ Nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos, quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt, & pro vobis contra adverſarios dimicabit.* *In bellis intrepidi Deut. 20. 3. & 4.*

Ubiq; in ſacris literis deprehenduntur optima ſtatuta, artes nõ fucatæ & degeneres, ſed utiles & glorioſæ quibus populus domi militiæque à Principibus regeretur. Et quod caput eſt, providebat mẽs divina ut generoſi quiq; haberent optimos conſiliarios, non juvenes & imperitos qui Roboamũ perdidere, non idololatras & impios qui Ochoſiam, nõ perfidos, arrogantes & turbulentos, qualis fuit Achitophel, qui in regiam Davidis familiam venenum infudit, cujus ipſe maximam partem bibit: *Conſiliarii optimi adjuti.* Sed viros Dei, Prophetas, homines peritos, prudentes, cordatos, ab ambitione, avaritia, factione immunes, amantes pacis & juſtitiæ, religionis patronos, quibus unica ars eſſet non ſe ſuoſque de cæno in cælum & faſtigia honorum tollere, non prodigioſis cumulare divitiis, ſed ubique divinos honores & reipublicæ commoda procurare, augere, & inter effuſos amantium

tium atque mirantium plauſus attollere.

Divina legis artibus maximi Reges evaſere.

His artibus David ex paſtore Rex maximus evaſit, Saulis ſibi politica verſutia ſemper & ubique inſidiantis technas diſcuſſit, furioſi atque implacabilis inimici thronum conſcendit, hoſtes bellis acerrimos, animiſque infeſtiſſimos, armis contrivit, pacavit finitimos, devinxit etiam remotos, omnes ſui veneratione perfudit. Et ut ait S. Ambroſius à me alibi memoratus, *fortis in bello, patiens in adverſis, in victoria manſuetus, providus, rerum modos, vices temporum, per ſingularum ſonos ſervavit ætatum, ut videatur non minùs vivendi genere quàm cavendi ſuavitate prædulcis, moralem Deo ſui feciſſe meriti cantilenam.*

Ambroſ. l.1. offic.

His artibus Salomon fundatiſſimum opibus regnum ex tam levibus primordiis natum ſupra omnium ſæculorum admirationem excitavit. His artibus Ozias, munitiſſimas urbes fecit, & quietus omnem belli apparatũ in periculorum ſubita providit. Ecquis non dicam eloquio, ſed quavis mentis celeritate recenſere poſſit tot Chriſtianorum Imperatorum, tot Regum magnitudinem, qui dum iſtis hærẽt ſacrarum legum inſtitutis, omnem præteritorum temporum gloriam vicere, omnium poſteriorum accendere lucem.

Quis par Conſtantino novi & melioris orbis fundatori, quo nemo militarior in acie, nemo in conſilio prudentior, nemo altitudine mentis tãtam rerum molem ſuſtinuit, tam aptè digeſſit, nemo tantam obſcuris lucem, tantum indigeſtis ordinẽ dedit. Quis Theodoſio in bellis gerendis acrior? Quis in domãdis tyrannis felicior? Quis in componẽdo Eccleſiæ & orbis ſtatu ſapientior? Oſtentare hîc Clodovæos, Martellos, Pipinos, Carolos, Schandebergos, Hunniadas, Alphonſos, Ferdinandos, Vladiſlaos, Eduardos, nimis huic inſtituto prolixum, & nimis perſequenti operoſum, ita omnem aciem ingenii & ſtyli tanta rerum multitudo penitus abrumpit.

Quàm pudenda vita, & infirmæ artes Tiberianorum & Machiaveliſtarum.

Prodeat nunc ad hanc lucem neotericorum politicorum ſapientia putida, velut pellis, latebroſa, honeſtatis impatiens, & ſolis, inter tenebrarum abdita, inter Dæmonum adyta nectens dolos, dira ſanguinis & furiarum conſilia. An hoc eſt ſapere perſonatum tota vita incedere, omnia in ſpeciem facere, nihil ad veritatem loqui, cunctos fallere, cunctis inſidiari: Deum ubi commodum eſt, ubique exterius prætexere, interius irridere, ſui ſe numen conſtituere, ad ſe unum quicquid agitur referre, virtutes mentiri in publico, vitia in mentis ſecreto venerari. Inexplebili avaritia, atq; ambitione effrænata, devorare mundum, jacere per regna diſcordias, amicos dividere, mercari ſervos in capita dominorũ: Nunc palam ſævire ferro nunc per occulta venenis graſſari, ſtruere in omni parte machinationes, ingerere ſe dominantium diſſidiis & rebus, fingere hamatis manibus amicitias, quæ juvandi prætextu miſeros ſpolient, execrari ſancta, temerare fidem omnem humanitatem exuere.

Tiberius in multis Politicis illis rerũ novatoribus melior.

Hoc præclarum (inquiunt) Hoc Tiberianum eſt. Utinam & qui hoc exemplar imitandum ſibi proponunt, extra nõ irent Multa ille ſub initiis Principatus prudenter, multa moderatè fecit, tondere volebat non deglubere, leniter tractari ſubditos jubebat, dictitabat in civitate libera, mentem liberam & linguam eſſe oportere. Erat in publicas utilitates cura pronior, adverſus pecunias firmus, pauperum miſerias allevare ſolitus, non facere. Jus ſuum cuique reddi conſtantiſsimè curabat, potentium delicias & luxum ſeveritate legũ continebat. Hæc dum Auguſtum ſaperet, dum Auguſtum referret. At poſtquam regnandi zelotypia in propinquos, & Principes

Digitized by Google

cipes viros eſt efferatus, quid illo ſceleſtius? imò quid imbecillius? quid calamitoſius?

Artes Tiberianæ expēduntur. Tacit. l. 4. Tiberius in hac ſua politica tota ad malas artes cōpoſita, infirmus & infelix.

Primùm quæ illi erat maximum gubernandi inſtrumentum diſſimulatio jam aſſiduitate abibat in deriſum, ut cum vana fingeret, veris quoque & honeſtis (quod ait Tacitus) demeret fidem. Hoc aſſequebatur ſæpè mentiendo, ut de ſe mentiri omnibus faceret poteſtatem. Omnia in eo facile credebantur probra, quia nulli impar vitio putabatur. Si quid rectum illi exciderat, ſtatim erat ſiniſtris omnium rumoribus diſtortum, quò ardentius affirmabat vera, eò magis ſuſpicabantur falſa. Deinde hoc ſapiētiā vocamus omnē probitatis famam, omne fundamentum authoritatis inſipida calliditate deſtruere. Jam cùm juſtitiæ tenax haberi vellet, erat litigioſus & pugnax, jugulare homines per judiciorum formam ſtudebat. Laborabat in hoc vehementer, ſæpè etiam reclamante perditorum conſcientia, tenebroſam mentem dum premeret inter tot conſcios magis vulgabat, bis injuſtus habebatur, qui ſemel juſtus videri cupiebat, non æquus inde judex, ſed lentus homicida. Tāta ſub eo rabies erat accuſationum, ut tota in reatu perpetuo Roma videretur. Civitatis mores non corrigebat animadverſionum frequentia, ſed intendebat, dum avidus inhiaret damnatorum pœnis, carnificem agebat potius quàm Principem. Adhæc oneroſum ſe importuna ſedulitate præſtabat, cùm aſſiduus circunſtaret tribunalia judicum, & cognoſcentibus plerumque ſe offerret conſiliarium, ſederetque miſtim, vel ex adverſo.

Nunc quod caput eſt artis, tetrum illum contrà propinquos pro imperio livorem, cùm maximè tegere vellet, deformiter prōpſit. Germanici qui jam omnium animos ſui amore atque admiratione compleverat, dicta factaque oblique perſtringebat, ſemper ambiguus calumniator, aut laudator frigidus. Nihil arte tam putida proficiebat, niſi ut affectus & deſideria magis accenderet. Poterat ejus claritatem acerrimi cujuſdam æmuli gloria premere, poterat ipſum ab exercitu dimovere, poterat quod Saul adverſus Davidem ſtruxit, per hoſtium cum quibus bellum gerebat, inundantes copias ſecretâ factione opprimere. Sed poſtquam Germaniam victoriis illuſtrarat, poſtquàm famâ occidentem perfuderat, delegavit in orientem, quò delicias ſuas orbis uterque amplecteretur.

Sentiebat ſe inviſum omnibus, dum Romæ iners ſederet, & glorioſiſſimi juvenis facta jam ſupra omnem aleam poſita imbecilla cavillatione infuſcare niteretur. Tandem Piſonem illi adhibuit legatum perfidioſum & inſidiatorem, qui omnia ejus curioſe obſervaret & veneno (quod ajunt) extingueret, idque in mandatis arcanis datum à Tiberio. Haud equidem illud mihi unquam perſuaſerim; nam & accuſatio in iſto titubavit, & defenſio viſa eſt prudentibus crimen diluiſſe, ſed tamen creditum, quia credi atrocia jubebat tenebricoſum Principis ingenium. Illud etiam fuit tyranni rudis & imperiti, quòd defuncti cineres per Agrippinam uxorem Romam deferri & tam ſuperbè oſtentari permiſit. Nihil æque eum penetravit (inquit Tacitus) quàm ſtudia hominum in eam accenſa, cum decus patriæ, ſolum Auguſti ſanguinem, unicum antiquitatis ſpecimen appellarent, verſique ad cælum ac Deos, integram illi ſobolem ac ſuperſtitem iniquorum precabantur.

Tiberius à fœmina triumphatus. Tacit. l. 3.

Mirum quanta in tam fero animo imbecillitas! Animoſa mulier quæ ducem egerat in bello pro Tiberio, judicem agit cōtra Tiberium, ad ſuum conſpectum Romam

Digitized by Google

mam facit modò per ſilentiũ vaſtam, modò ploratibus inquietam , ſenatores inflammat, irritat populos, ubique ira & miſeratione ardentes. Citatur Piſo, & per Piſonis latus, Tiberius petitur, ipſe clauſus & ſilens, amabiliſſimum ſui ſceleris miniſtrũ, ſibi de ſinu eripi, & Germanici manibus immolari patitur invitus & trepidus. Pro Plancina rei uxore & adminiſtra cum pudore & flagitio differit, matris preces obtendens, omnia demiſſe & ſerviliter agit, à potentiſſima muliere domitus. Ita omnis ſævitia ex imbecillo eſt, & tyrannis per ipſam audaciam timida.

Quis deinde excuſare poſſit Principem acrem ingenio & ætate tam maturum, qui ex Ariſtotele didicerat haud expedire Regem, quenquam in ſuo imperio maximum facere; tanta ſocordia ſe ſuaque omnia Sejano homini deterrimo commiſiſſe. Hic ejus filium Druſum tantæ ſpei juvenem veneno necavit: Hic ejus uxorem imperatoris nurum execrando adulterio ſtupravit: Hic ſe adjutorem imperii , & collegam, imò dominum conſtituit: Hic caſtra & milites, præfecturas & fiſcum uſurpavit, ſpoliator orbis, & in Auguſtalem domum ſævus. Hunc de tanto poſtea faſtigio non ſolers Tiberii cura, ſed ſua vecordia depulit, ita anxia & confuſa in hoc fuere Principis conſilia.

Quis non miretur inconſultam ſenectutem, & abditum antro regnatorem , dum per mancipium Roma calcaretur. Nam & in eo callida ſegnities , quod urbem reliquit, & caput rerum amiſit, obliquis rumoribus famam prodens, & vitam periculis, non adeo tuta receptus, arce ut opprimi à conſpirantibus non poſſet, cùm præſertim contemptus & fœda luxuriè maculoſus illic viveret.

Tandem quò priſtina calliditas, quò dolus & exercita tot laboribus vita recidit? Qui Germanici domum adeo exhorruerat, omnia in eam refundere cogitur. Tota regnantis pompa & tam immanes gazæ quas ſedulitate avara & ſervili contraxerat, in Germanici filium Caligulam ceſſere, qui hærentem vivo adhuc cadaveri animam fertur eliſis faucibus extudiſſe. En quo Tiberianæ artes grandes illos politicos ducunt, qui dum cæleſtis inanes ſapientiæ Chriſtiana tractant imperia , adeo infirma faciunt, adeò pudenda, ut deſipere eos, nemo niſi furentes negent.

DISSERTATIO Sexageſimaprima.

Calliditatem & malas artes nihil ad Regni tutelam facere.

In illa verba. *Tu quoque ſi ambulaveris coram me in ſimplicitate cordis , & in æquitate ponam thronum regni tui ſuper Iſraël in ſempiternum.* 3. Reg. 9. 4. & 5.

HONESTATEM regnantis evertit calliditas, hoſtis æterna probitatis, hanc ſapiens damnavit, hanc à ſe ſuiſque alienã eſſe voluit: *Ne amuleris*, inquit, *viros malos, nec deſideres eſſe cum eis , quia rapinas meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur.* Mirũ quòd in tanta Dei ignoratione hæſit apud antiquos humanæ fidei religio, bonarum hoſpes mentium, & odiũ adverſus deceptores. Cẽſura perſtrictus Athenienſiũ Euripides quod dixiſſet in tragœdia, *lingua juravi, mentem injuratam gero*: hoc eſt enim à fundamentis jus humanum, & civilis omne commercium ſocietatis evertere , ſi cuique liceat fingere quæ velit, & adverſus mentem loqui.

Prov. 24. 1. Calliditas hoſtis æterna probitatis.

Euripides cenſura perſtrictus ob dolosam mentem.

Deinde habet hoc omnis verſutia ut ſit tacita confeſſio imbecillitatis, invalidioribus belluarum indita, & cum ſervilibus inge-

Verſutia tacita confeſſio imbecillitatis.

Servile vitium. ingenlis nata. Itaque & in comœdiis producuntur in ſcenam ad mentiendum ſervi, ut furiæ in tragœdiis, ad venena, cædes, & incendia.

Sed hæc Philoſophantium, dicet aliquis, ſcrupuloſa deliria ſunt, nõ ſtatuta regnantium. Nam ſi dolis omnibus præcluduntur imperia, quid aliud erunt quàm verſutorum ludus, & exuviæ rapacium? Equidem exiſtimarim in tanta verſipellium ingeniorum multitudine, ſine dolo ſervari atque augeri regna non poſſe.

Non omnis dolus malus. Sed ut non omnis cædes injuſta, ita nec omnis dolus malus. Cur enim Apoſtolus *2.Cor.12. v.16.* dixiſſet, *cùm eſſem aſtutus, dolo vos cepi*, ſi per ſe res eſſet illicita, & pernicioſa. *Dolus* *Mol. de juſt. & jure tract 2. diſp. 293.* (ut ajunt Theologi) *eſt executio ſolertiæ, dicendo, faciendo, aut omittendo aliquid quo rectè, aut non rectè, alius decipiatur in aliquo, vel cum damno, vel ſine damno.*

Unde Labeo & Ulpianus, cæterique juriſconſulti, duos diſtinguunt dolos, unum *Doli militares, ſeu ſtrategemata laudata.* bonum, alterum malum. Doli igitur quidam non tantum permiſſi, ſed etiam laudati, ut militiæ ſtratagemata.

Laudatur Epaminondas quod in Arca- *Iulius fronto.* dia, die feſto, effusè vagantibus extra mœnia fœminis, pleroſque ex militibus ſuis muliebri ornatu immiſcuit, qua ſimulatione illi intra portas ſub noctem recepti ceperunt oppidum. Laudatur, Hannibal qui ut Fabium infamia diſtringeret, agris ejus abſtinuit, cæteros populatus. Contrà ille ne ſuſpecta civibus fides eſſet, magnitudine animi effecit, publicatis poſſeſſionibus ſuis. Laudatur Cæſar qui dictitabat hoſtes ut morbos, fame potiùs quàm ferro ſuperandos.

Mentiri nunquã licet. Innumera ſunt ejuſdem generis, quæ Chriſtianis bello juſto certantibus licent, quanquam mentiri nunquam lex conſcientiæ permittit; quia ex ſe malum eſt, ut ait ſanctus Auguſtinus. Bellantibus etiam fœdum, aut veneno fontes inficere, aut per *Quæ in bello etiã fœda?* ſicarios hoſtium duces impetere, quia hæc extra Martem ſunt. Allicere autem ad ſuas partes qui in æmulorum miniſterio ſunt, aut caſtris, non eſt incongruum, quia hæc bellorum natura & conſenſus patitur gentium.

In pace non licet Principibus Chriſtianis alios per calliditatem inſidiari. At verò ubi pax eſt inter Principes Chriſtianos, inique ſubdolum, & flagitioſum, corrumpere alterius miniſtros, diſtrahere, ſervos, miſcere diſcordias, ordiri factiones, promittere non facienda, facere non toleranda, per ſpeciem officii ſe rebus ingerere, ſpargere beneficia quæſtuoſa, & per inſidioſas illecebras faſcinare mentes, divertere ſocios, opes infirmare, libellis & calumniis inceſſere, & ſi quæ hujus naturæ ſunt, non tantùm à moribus Chriſtianis, ſed humanis etiam abhorrent.

Religioſius plerique Ethnicorum ſervavere fidẽ, quã aliquot Chriſtiani. Pudet dicere, religioſius Ethnici tractabant bella quàm plerique Chriſtianorum Principum amicitias. Quis non obſtupeſcat quod Camillo Phaliſcos obſidenti, ludimagiſter liberos Phaliſcorum tanquam ambulandi cauſſa extra murum eductos tradidit, dicens repetendis eis obſidibus neceſſariò civitatem imperata facturam. Camillus nõ ſolùm ſprevit perfidiam, ſed & reſtrictis poſt terga manibus magiſtrum virgis agendum ad parentes commiſit pueris.

Noluit hic facere quod per jura belli licebat, ne faceret quod per generoſitatem Romanam non decebat. An idcirco invalidior? Imò adeptus eſt beneficio victoriã quam fraude non concupierat. Nam Phaliſci tantę magnitudinis attoniti ſpectaculo, ultrò ſe dediderunt.

Quàm diſſimiles hodie qui adverſus hoſtes feri, amicis etiam inſidioſi, undiq; captant occaſiones nocendi, ignava mente, lacera conſcientia, fama etiam decocta. Impudentiæ majoris eſt, & omnibus mortalibus

talibus

Digitized by Google

Fœdera cum hoſtibus nō licet per calliditatem eludere. Julius Frōtinus. Periclis fraus deteſtanda.

talibus exoſæ, fœdera etiam inter hoſtes icta frangere, aut per cavillationem eludere. In quo Periclis deteſtanda fraus eſt, qui affirmavit incolumes futuros hoſtes ſi deponerent ferrum, eiſque obſecutos conditionibus, univerſos qui in ſagulis ſibulas ferreas habuiſſent, interfici juſſit. Non eſt hoc periti factum imperatoris, ſed Sophiſtæ ac vitiligatoris. Nemo non carnifex ſponte fieret in eorum pœnas, qui fidem ſanctiſſimum humani pectoris bonum ita dilacerant, & ipſimet, ſævis poſtea vindicibus dilacerantur. Fides, inquit Auguſtinus, quando promittitur, etiam hoſti ſervanda eſt, contra quem bellum geritur, quantò magis amico pro quo pugnatur?

Aug. ad Bonifacium.

Fides non debetur non ſervanti.

Quod ſi adverſarius promiſſis cum eo conſtitutis non ſtaret, neque tum ſtare ratio juberet, cum mutua utrique parti pactorum obſervatio eſſe debeat. Quis enim ferat eum qui poſt juratas inducias patret hoſtilia, & violari ſacramentum queratur, ſi furenti quis reſiſtat. Si tamen fœdus cū hoſte, ex ſua natura iniquum eſt & perverſum. Dei legibus & honeſtati contrarium, ſervari omnino non poteſt, quia juramentum non eſt vinculum iniquitatis. At quæ oneroſa ſunt, ſi juſtè ab hoſtibus exigantur, ſunt perſolvenda, ubi ſemel fide promiſſa atque ſancita ſunt. Etiam injuſta juramenti addita religio ſervari præcipit adverſariis. At texere, retexere, facta infecta, decipere, pejerare, nefarium eſt, nec patrantibus tutum.

Oneroſa ſunt perſolvenda ubi fide ſancita ſunt. Molin. tract. 2. diſ 111.

Lyſandri vox execranda.

Abſit illa vox Lyſandri verùm falſo eſſe melius, ſed utriuſque præſtantiam ex uſu decerni. At dices: ubinam igitur, prudentium ſenſus, ubi induſtriorum exeret ſe dexteritas in tractando Reipublicæ clavo, ſi omnia candidis animis & incallidis geruntur? Imò multa ſunt quæ illam prodāt. Nā primo licet diſſimulare quod Tiberius in ſuis virtutibus numeravit, & regno apprimè neceſſarium Ludovicus XI. indicavit. *In ore fatuorum cor illorum, in corde ſapientum os illorum*, ait ſapientia. Itaque nō tantùm permittitur, ſed expedit maximè eſſe occulta Principum conſilia, nec inſcite Metellus pius interrogatus quid poſtera die facturus eſſet, *tunicam*, inquit, *meā ſi id eloqui poſſet, comburerem*. Multi & calamitoſi exitus optima ſæpè conſilia conſequuntur, per conſultantium incurioſam linguę laſciviam aut proditorum venalem fidem.

Licet mentem velare, & diſſimulare. Eccl. 21. 29.

Occultare conſilia expedit.

Metelli illuſtre exemplū.

Hamilcar in arcanis tegendis providus.

Unde & Hamilcar Pœnorum imperator claſſem emittens, tabellas gubernatoribus obſignatas dabat quas nemo niſi præſcripto tempore reſeraret. Præterea occurrunt tam ſæpè negotia in quibus cōſultiſſimum eſt dolorem ſpe, gaudio velare triſtitiam, ſecuritatem in metu fingere. Hoc Cajus Cæſar naviter admodum præſtitit, qui cùm in Ægypto multa à turbidis populorum ingeniis timeret, imparatus ad bellum licentioribus conviviis, & ſolutiori vitæ ſe dedit, ne quid moliri videretur, præſidia interim comparans quibus perfidioſam gentem occuparet.

Ars tegendorū conſiliorum.

Premēdi ſunt omnes animi affectus dominantibus, celandæ cogitationes ut quæ agitant, feciſſe potiùs quàm facere deprehendantur. Non tantum diſſimulare, ſed ſimulare quoque multa natura negotiorū ſuadet, & ferire ſæpè, ubi deſtinare te nemo putet. Sic Domitianus Germanos bello aggreſſurus, cum ſciret longè maiori molitioni comparaturos omnia, ſi ejus adventum preſciviſſent, profectionem ſuam cenſu obtexuit Galliarum & inopinato affuſus impetu immanium nationum ferociam contudit.

Explorare ſenſus adverſariorū induſtria res eſt.

Adde jam quod cavendi nulla rerum potientibus dimittenda occaſio, ex quo fit, ut ſi formidoloſæ exterorum vires immineant, poſſint eorum conſilia & facta ex-

ex.

Digitized by Google

explorare, quod Carthaginenſes fecere, cum vi prævalida ſurgentem Alexandri potentiam cernerent, timentes ne aliquãdo Africæ impenderet, unum ex ſuis civibus Hamilcarem Rhodium ſimulato exilio ad Regem ire iuſſerunt, atque in eius amicitiam pervenire, qua is potitus arcana Græcorum conſilia ſuis civibus prodidit.

Chriſtianis non licet turbare res vicinorum Principũ ob vanos metus, & in conſultas ſuſpiciones.

Sed planè iniuſtum eſt Chriſtianos placidas & lætas res vicinorum Principum calliditate aut vi peruertere, vanis ſuſpicionibus, ne in detrimentum noſtrũ creſcant; ſic enim nulla eſſet ab inſidiis, nulla à bellis ceſſatio. Tandem poſſumus deceptoribus & curioſis qui res noſtras maligno animo expiſcantur, ambiguis verbis illudere, nec inermi ſimplicitate omnia ad eorum mentem loqui. Si enim ſancto Athanaſio licuit immiſſos ſibi milites ambiguitate reſponſi fallere, quantò magis iſtud in hac civili vita conceſſum arbitramur, ad avertenda pericula, reſque ſalutares procurandas. Sed ingens error eſt eorum qui quod iuſtitiæ & neceſſitati tribuitur, ad frequentiſſimos uſus trahunt in communi fere convictu verbis ſemper ambigui, ſemper inſidioſi. Qui modicâ, inquit Ariſtoteles, diſſimulatione utuntur, utique gratioſi ſunt, qui immodicè & ineptè fatui.

Ambiguitate verbi curioſè malignos adverſarios aludere non eſt iniquũ.

Omnes fermè qui cavillationes iſtas odere, magnanimi ſunt omnium amoribus chari, & plenis rerum ſucceſſibus læti. E contrario qui nectendis dolis ſtudẽt, puſilli, infelices, odioſi. Achitopel poſt tot laqueos, induit laqueum, quò contaminatam animam infami morte extudit. Iugurtha Romanorum triumphis ludibrio fuit: Tiberius ab hærede ſuffocatus, Andronicus Imperator Conſtantinopolitanus qui pupillum vafrè deceptum interemerat, effoſſis oculis, nudus aſino vectus, & dirum in modum laceratus à populo. Ludovicus Sfortia cùm tutelæ ſpecie Mediolanenſem Principatum uſurpaſſet, ſpe potiundæ Apuliæ, Gallos in Italiam accivit, ut Alphonſi ſibi imminentis arma diuerteret. Mox idem quos evocarat ſocios peſſimis artibus prodidit præcipuus dolorum omnium tum in Europa faber. Sed tandẽ poteſtate exutus, ſpoliatus libertate, in arce Lochienſi concluſus per decennium pœnas veritati dedit, & extremum ſpiritum exhauſit in carcere.

Infelix exitus callidorum.

DISSERTATIO

Sexageſima Secunda.

Perfectiones Regis & ſubditorum, magnum ad tutelam inſtrumentum.

In illa verba. *Et ero perfectus cum eo, & cuſtodiam me ab iniquitate mea & reſtituet mihi ſecundum iuſtitiam meam.* 2. *Reg.* 22. 24.

Honeſtatis autem perfectio, ſi bonus imperet bonis, ſi ſit ipſe ſplendidus, nec viles habeat ſubditos. Prima imperii turpitudo & calamitas Rex vitioſus & fœdus. *facere rectè cives ſuos* (inquit Velleius) *Princeps optimus faciendo docet, cumq; ſit imperio maximus, exemplo maior eſt.*

Prima imperii turpitudo, Rex vitioſus.

At ſi incorruptos defluxerit mores, improbitatis triũphus eſt, & deſperatio virtutis. Latè ſerpunt imperantium contagia, ſicut crinitarum ſtellarum venena, orbe infecto elementiſque confuſis. Nec immeritò Antiochus appellatur in ſacris radix peccatrix, quod ex flagitioſis Regibus in apertum erumpant omnia vitiorũ germina. Non tantùm amantur, ſed cõſecrantur ſcelera, quæ in apice regnantium

Exempla malorum Principum inſtar Cometarum

Machab. 1. Scelera per improbos Reges conſecrantur. Iul. Fir. de errore prof. rel.

inter fulgentes gemmas ſedent. *Adulterio delectatur aliquis* (ait Iulius Firmicus) *Iovem reſpicit, & inde cupiditatis ſuæ fomenta conquirit.* Inde labes morum, converſioneſque regnorum Aſſyriorum Monarchia, quæ per mille & trecentos annos ſteterat, defecit in Sardanapalo, quem ad muliebria penſa ſocordis ingenij laſcivia relegarat. Non tulere diutius fortes effœminatum, mulierem viri, occupavere ferrum, quando ille colum occupaverat. Sic per Vindicem. & Galbam, mota in Neronem arma, jam ſpurcum, & omni dedecore contaminatum.

Diſſoluti luxu Principes inſidiis patēt.

Qualis debeat eſſe honeſtas Regis.

Quiſquis igitur imperat, mores ad omnia honeſtatis momenta componat. Optimè Agapetus diaconus ad Iuſtinianum Imperatorem, mentem Regis dixit inſtar ſpeculi, quod deterſiſſimum eſſe oportet, ut divinis radiis accendatur. Inſertus eſt regno quaſi oculus corpori, ut luceat, ut regat, ut tenebroſis lumen, errantibus monſtret viam. *At verò lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Vide ergo ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint.* Pro exiguo eſt ſi quis nautarũ erret in navi, ſed ex gubernatoris lapſu tota & maxima pernicies impendet. Nō magni in Republica momenti ſunt delicta privatorũ, ſola purpuratorum criminum contagio præſentiſſimum orbi venenum eſt. Quantum Rex poteſtate cæteros anteit, tantum virtutibus eniteſcat. Regem ſe Alexander cum inaugurarettur nolle eſſe conteſtatus eſt, niſi iuſtitiā, & fortitudine ſuprà cæteros emineret. Sit omnibus formidabilis propter excellentiā maieſtatis, ſit omnibus amabilis propter placidam morum ſanctimoniam.

Luc 15. v. 34. & 35.

Contubernium & comitatus Regis multum ad eius famam confert.

Parum eſt illi frugi eſſe, ſi laſcivo contubernio delectetur. Exterminandæ ſunt ab aulis omnes inquinatæ ſocietatis peſtes, quæ ſi non vrunt, afflatu nocent. Validiſſima eſt in regnantibus fama, quæ per improborum conſuetudinem non tantũ marcet, ſed perit. Vbi præit rector exemplis proclivis eſt omnibus ad virtutem via: *facilius eſt*, inquit Caſſiodorus, *errare naturam quam Principem diſſimilem ſui formare Rempublicam.* Audacius dictũ quam verius. Nam ſæpè ſub bonis Principibus mali cives, & bonis ciuibus præſunt mali Principes. Ita providentia diſpenſat ſemina virtutum, ut dum per malos exercentur boni, nec merita hominibus, nec coronæ meritis deſint.

Caſſ. lib. 3 var. epiſt. 12.

Sed tamen conatu non impigro efficiendum eſt, ut Regem optimum nō tantùm ſubditi colant obſequio, ſed factis imitentur. Gravi infamiâ laborant regna in quibus tolerantur impii, ſacrilegi, fures, ebrioſi, helluones, adulteri, præpoſtera libidine infames, fœdifragi, deceptores, vitiligatores, percuſſores, violenti, aut qui adulterata aut etiam abraſa moneta ſanguinolentum lucrum captant. Omnia iſta hominum propudia niſi ſeveriſſimè coerceantur, affluunt, & regnantium decus infuſcant.

Peſtes regnorum exſcindendæ à quibus omnis creatur infamia.

Pugnandum eſt, non modò cum flagitiis, ſed cum ſordibus. Abſit à Rege tenacitas, & pigræ ad largitiones manus. Regnare neſcit, qui neſcit dare, nec dignus imperiis hominum, cui pecunia dominatur. Quicquid illiberale, quicquid demiſſum, quicquid ſordidum, magnis obſtat natalibus in Principe, & ſæpè dum parcitur nummis, fama prodigitur.

Rex optimus & honeſtiſſimus non tantum cum vitiis, ſed cū ſordibus pugnat.

Verendum eſſe oportet quiſquis honeſtati ſtudet, aſpectu, auditu, habitu, inceſſu, nihil ſit quod non prodat, non loquatur imperantem. Nemo laudarit in Ludovico XI. plebeiam veſtem, & neglectam corporis curam. Nimis curata ſæpè arrogantia, eſt affectatio incurioſa. Congreſſus cum Rege Aragonum riſus utrinque excitavit in dominos, alterius

Sic verendus & ſplendidus.

veſtis

Digitized by Google

veſtitum, alterius ſpeciem abiectam & ſervilem increpantibus.

In quæ ſumptus collocandi.

Ad Reges attinet magnos ſumptus concinnè facere, non vanitatis cauſſa, ſed honeſti: per hos conſtruantur à fundamentis templa, templis inferantur donaria, palatia excitentur, accipiantur hoſpites, celebrentur nuptiæ, parentur convivia, fulgeant ædes, ludi & venationes dentur, omnia magnificè, omnia regiè, nec tamen diſſolutè.

Spectacula quæ deceant.

Spectaculum magnificentiæ dedit Aſſuerus in epulis vanis potiùs rumoribus quàm virtuti regiæ ſerviens. Inde temulentia, & laſcivientes oculi, indigna Rege mandata, & Reginæ abdicatio. Quantò atrociores qui funeſtis dapibus addiderunt mortes hominum, & effuſum inter pocula ſanguinem. Celebravit Titus natalem Patris multa Iudæorum millia feris obiiciens, ad ſaginam crudelium oculorũ. Non honeſtas hic fuit, ſed fera Lapitharũ vita. Nec modeſtior Mahumetes ſecundus qui poſt captam Conſtantinopolim duces ad lautiſſimã cœnam invitavit, quã triſtis laniena conſecuta exſectis Chriſtianorum inter ferales menſas capitibus. Quid aliud Polyphemus egiſſet? Non eſt magnificum quicquid monſtruoſum eſt, ſed pudendum. Si ſumptus & deliciæ piorum Principum virtutis limites excedunt, honeſtatis amittunt.

Reges nunquã honeſtè regnant, ſi ſoli honeſti ſunt.

Præterea nunquam honeſtè regnant, ſi ſoli honeſti ſunt, ſoli ſplendidi. Ornant eos proceres, optimates, duces, purpuræ, ut ſua folia roſas. Magni & ſplendentis imperii populum quoque oportet eſſe ditem, generoſum & lætum. Quis honor eſt ſi prodigioſo capiti ſubiiciantur pedes deformes & exeſi. Vbi maieſtas dominantis ſi viliſſimis dominatur, ſenſu, opibus, animo, ad infimam mortalium ſortem abiectis? Itaque inhoneſtiſſimè regnant qui populos atrocibus tributis exhauriunt: ſic enim domi mœſtitia, ruri ſolitudines incumbunt, ſola, & vacua, ſine cultore loca, homines pauci, & ſpectris ſimillimi.

Sufficere aiunt populo, ſi ſua brachia habeat. Convenit iſta vox Mahumetanis do minis non Regibus Chriſtianorum, qui poteſtatem tranquillitate diſpenſant, & dũ Reges audiunt, patres, ſe meminere. Nemo populum timet, niſi quem timendum ferocia populis fecit. Quis pedem, quis manus, quis artus ſuos formidat, niſi qui furere incœpit? Quid ſudas? Quid æſtuas? Quid terras, & maria inquietas? Tibi creſcunt, tibi vigent, tibi militant omnia, ſi amore dominaris. Si odio, nec illa tua, nec tu ſtas tibi. Conſtantius Conſtantini magni pater divitias habere gloriabatur in ædibus & marſupiis ſubditorũ: avebat illos videre opulentos & alacres, quia noverat ſuos eſſe. Si quid opus eſſet, vix digito increpuerat, cùm omnes illi theſauri benignitate amantium, amore certantium influebant in ſinum. Hæc demum honeſtas eſt, honeſtatem omnibus impertiri.

DISSERTATIO

Sexageſima Tertia.

De utilitate boni communis.

In hæc verba. *Vnges eum* (Saulem) *ducem ſuper populum meum Iſrael, & ſaluabit populum meum.* 1. *Reg.* 9. 16.

SÆpe perplexa ſunt apud homines de adminiſtrantium virtute iudicia, aliis omnia per aſſentationem efferentibus, aliis per odium carpentibus. Sola boni cõmunis

Sola communis

Digitized by Google

litas bonis communis diſcernit regnantes bonos à malis. Matth. 7.16.

munis utilitas multiplices controverſiarum nodos diſſoluit. *A fructibus eorum* (ait veritas) *cognoſcimus eos.*

Ægyptiorum mos notabilis in iudicio de Regibus ferendo. Diodorus Siculus.

Sapienter olim Ægyptij de Regum adminiſtratione iudicaturi, expectabant ſupremum diem & Rege iam in loculo conſtituto, diſſertabant quid Reipublicæ contuliſſet, quid eius auctum operâ, quid negligentia deperditum, inde conſultantium arbitria, inde & reſponſa.

Sæua ingenij peſtis in regnando ſtrepitum amare, & moderationem fugere.

Sæva humani ingenij peſte non rarò contingit, ut qui rebus præſunt, moderata omnia oderint, & quieta, nec putent regnare, niſi ſonitu magno per capita ferantur mortalium, & armorum ſtrepitu attonitum concutiant orbē. Auent fieri domitores gentium, & in his conatibus exhauriuntur opes, infiniti homines conteruntur, marmora ſudant, laborant elementa. Vndique tumultus, & pauor vndique, corpus civile intus debile & exſectum, perſultat foris.

Alexandri inconſulta Politica in bellis continuo trita.

Hæc fuit Alexandri libido qui ſcivit imperia quatere, neſcivit conſtituere. Agebat feſſum annis, & contritum laboribus militem, per ignotas mundi plagas, damnis maximis, nullo compendio. Inde illi ingemiſcentiū adulterinæ fælicitati queſtus. *Reſiſte, orbis te tuus revocat, vicimus qua lucet Tempus eſt Alexandrum cum orbe & cu ſole deſinere. Non quærimus orbem, ſed amittimus. Maria ſequimur, terras cui tradidimus? Num pudor eſt orbem quem vicimus relinquere, quærere quem non novimus? Prioribus aſſidue periculis nova ſuperveniunt: Dum ſequor, quis mihi promittit hoſtem, quis terram, quis diem?*

Suaſor. Senec.

Exitus infelix.

Pergit adhæc immotus Macedo avīditate latiſſimè regnandi. Quo ſucceſſu? Ipſe ſuorum factione quos æternæ illius militiæ tædebat, eripitur rebus humanis, orbe victo ſed incompoſito. Quæ una erat ſpes poſteritatis, filiolus opprimitur. Mater occiditur fera domeſticorū rabie. Abſumitur Alexandri genus. Ipſi interfectores ipſi parricidæ domini, eius inter ſe ſpolia dividunt, & immerſum orbis viſceribus ferrum ſuo deinde cruore eluunt. Quantò ſapientius Alexander fortunæ poſuiſſet modum, conſtituiſſet regno limites, ſoboli conſuluiſſet & vitæ, ingeniorum ferociam mitigaſſet legibus, & feſſos otij dulcedine recreaſſet?

Tamerlanes conſultius à bellis quievit.

Olim eodem ardoris impetu actus Tamerlanes. Regem Sinarum inter hominū trecenta millia pugnantem cepit, Baiazethem domitum caveâ concluſit, Ægyptios vicit, pervaſit Perſas. Sed maturus ævi reverſus in regnum, omnia placidiſſimis legibus compoſuit. Quanquā nec ſtetit filijs imperium, quia nec Patris ætas conſtituendo ſuffecit, & moli tam prodigioſæ impares adoleſcentium humeri. Conſultius Othomani quæſiere per gradus, & quæſita vinxere. Alaricus & Attila in ipſis conatibus oppreſſi. Sed tamen illi omnes hoſtium ſumptibus militavere. Poſtremi hominum ſunt Valerianus & Numerianus qui domitorum nomini dum inhiāt, ſua exhauriunt, ut occuparent aliena.

Valerianus & Numerianus imperatores poſtremi hominum qui ſua exhauſere dum alienis inhiāt. Suet. in Aug c. 25. Similes Martichoriquæ de abſciſſo corpore tela faciunt.

Non fabuloſior Cteſiæ Martichora, quæ de lacerato corpore ſumit in hoſtem tela. Sapientiſſimè Auguſtus apud Suetonium Prælium quidē aut bellum ſuſcipiendum negabat, niſi cùm major emolumenti ſpes quàm damni metus oſtenderetur: Nam minima commoda non minimo ſectātes diſcrimine, ſimiles aiebat eſſe aureo hamo piſcantibus, cuius abrupti damnum nullâ captura penſari poſſit. Itaque vir ille qui omnium ingenia tractandi generis humani prudentiâ ſuperavit, imperium Romanum certis finibus clauſit, nec abire voluit in immenſum.

Olim domitoribus orbis proclivior via, quā nunc.

Olim armis domitorum patuit tellus ab auxilijs nuda, nec firmiſſimis arcibus frequens, nunc undique propugnacula, & nul-

Digitized by Google

nullum penè indefenſum latus. Terenda ferro multa ſæcula, & ſæpè cum fortuna rixandum, ut vel modica gens victoribus accedat. Blanda & fallax fere ridet in principijs ſerenitas, quam tetra poſtea nubes involuit. Dum capere, dum tenere quis putat, capitur, & tenetur. Ex modico æterna ſurgunt ſeminaria bellorum, quæ vivos lacerant, obruunt etiam mortuos. Nihil per tumultus regno conſulitur, de parandis ſolùm pecunijs cogitatur, & de ſanguine miſerorum luditur, quibus parcit hoſtis, ſpoliat fiſcus, calamitas intolerabilis eſt, & invisa fœlicitas.

Vtilis regni argumentum in conſervatione eſt rerum & legum.

Primùm igitur utilis regni argumentum in conſervatione eſt, quæ ipſa acquiſitione rerum longè operoſior; nam multa per audaciam parantur iniuſta, iuſta nonniſi per prudentiã conſervantur. Rapere prædones & piratæ poſſunt, continere legibus Provincias & regna nonniſi periti ſolent: prædæ in exiguum tempus ſunt partæ, rerum tranquillus atq; indefinens ſtatus æmulatur cæleſtis regni æternitatem. Servari autem oportet non tantum muros & vrbes, ſed leges & mores antiqnorum qui ſalubriores fuere. Bene monet Ariſtoteles cavẽdum eſſe maximè ijs qui præſunt, ne minima etiam majorum inſtituta contemnant. Vt enim parui ſumptus ſi ſæpè fiant, magnas facultates exhauriunt, ita paruæ mutationes Reſpublicas diſſoluunt, dum occultè ſerpit, ac ſe paulatim inſinuat legum violandarum conſuetudo.

Ariſt. politic. libro 2. cap. 8.

Non expedit tamen regnantes páruas & multas legere condere.

Ex quo legiſlatoribus expedit nõ multa & ſcrupuloſa ſancire, quia parvitas ſæpè contemptui eſt & multitudo oneroſa. Plerique regnare ſe utiliter exiſtimant ſi bonorum affluentia cumulent imperia & neglectos popularium mores eſſe patiantur. Sed dum ſtudent opibus, virtuteſque deſerunt prædam hoſtibus parant, quia nihil tam mortiferum ingenijs, quàm iners abundantia, quæ rapaces omnium in ſe ſtimulat manus. Quamobrem Auguſto & Tiberio ingens cura ſervandæ majorum diſciplinæ domi, militiæque, ut tanti imperij magnitudini pares viri naſcerentur.

Pax vtiliſſima ad regnum componendum.

In hoc plurimum iuuat pax alta, ordinis & iuſtitiæ mater, quæ feſſis reb' ſubſidiũ, robur infirmis, obſcuris lucem, vigorẽ obſoletis affert. Nec ulla in re commodiorẽ ſe rebus humanis Princeps impendit, quã ſi regnum ab extero hoſte tutum placidiſſimè regat. *Bellum* (inquit Auguſtinus) *habeat neceſſitas, pacẽ voluntas*: Nulla unquã arma in vicinos niſi neceſſaria, & iuſtiſſimas ob cauſſas moveat, quia dum ineſcat prædæ illecebra, dum gloria titillat, dum vindicandi libido inflammat, facilè diſſidiorum iaciuntur ſcintillæ, quæ in magna & pœnè æterna creſcunt incendia. Dira fortè aliquando dulcedo primos conatus allicit; ſed multa ſecum amara; multa trahit infecta; mutatur fortunę ludus, & beatulos reſtantes agitant venti, obruuntur nepotes bellis, quæ per laſciviam ingenij patres accendere. Civilia non tantùm vitanda, ſed acerrima vi præfocanda ſunt in fomite, abſciſſis cauſis quæ illis ortum, illis alimentum præbent.

Bella nũquam temere movenda quia viſcoſos habent exitus.

Militia poteſt exerceri in colonijs, in armis ſocialibus

Ne tamen otioſitate regna torpeant & rixis populantium ſint obnoxia, deſtinari oportet colonias in novos orbes, auxiliares copias ad ſocios, exteraſque nationes, quibus alieni ſæpè periculis nobis milites erudiuntur.

Iuſtitia præcipuè excolenda Plat. lib. de rep.

Pace compoſita operæ pretium eſt animum ad regendos cives adjicere, & iuſtitiam primùm & maximum Principis poſt pietatẽ negotium excolere. Æqualia inæqualibus attribuere (ait Plato) magnam inæqualitatẽ importat. Diſtribuenda omnis in ſuos ordines Reſpublica quæ vario-

Ignominioſum in regno aliis et pecudibus miſeriores viuere.

rum membrorum compage in unũ coaleſcit. Sed tamen plurimùm haberet utilitatis ſi nuſquam Princeps pateretur tantam eſſe inter homines iiſdem principiis procreatos diſparitatem. Sunt enim in aliquot regnis miſerrimi, & infrà pecudum conditionem abjecti, aliis abundantia & luxu diffluẽtibus. Quòd cũ in omni mortalium genere turpe ſit, in Chriſtiano eſt fœdiſſimum, Dei, ut credimus, filios nobiſcum eius corpore & ſanguine ſaginatos, deteriori ſorte quàm quodlibet brutũ vivere. Nõ ferunt hoc Sinæ, apud quos nemo mendicus naſcitur, omnes egeni procurante magiſtratu aluntur à propinquis, uno, vel pluribus, pro cujuſque facultate, ſi alendo ipſi non ſufficiant, fiſcus ſuſcipit. An quia filii lucis ſumus, ſegnior nobis charitas & animus rigidior?

Totus imperii ſtatus componendus. nec infima negligenda.

Rex providus quaſi pater familias per omnia curas affectuſque diſpenſat, Auguſtus ſua manu totum imperii ſtatum deſcribebat, cives, ſpes numerabat, expendens quibus, unde, quomodo ſuccurreret. Non ſunt infima negligenda, quæ ſupera ſæpè ſuſtentant. Prima circum Deum iuſtitia eſt, quem ſenſu & cultu venerari addecet, ſummotis, quantum fieri poteſt, qui novas ſectas inculcant, à quibus omnis imperiorum labes.

Omnes ordines curandi & demerendi.

Tum ſingulari ſtudio enitendum ut clerici fulgore morum authoritatẽ profeſſioni concilient, & qui animarum ſaluti præſunt, vigilantiſſimè ſua munia obeant. Idcirco regia protectione muniẽdi, & beneficia providè diſpenſanda, ut non ſint qui bonis atque induſtriis egentibus, de altari luxurient. Sic conſtabit clero ſuus decor, & in totam Eccleſiam manabit utilitas.

Clerici.

Nobiles.

Sentient autem Principem commodũ nobiles, ſi ſuo ordini aſſerantur, ſi exſtẽt in turba, ſi honoribus efferantur, ſi præmiis invitentur ad decus, ſi ſuſcepti pro Republica labores non oſcitãter prætereantur. Si de ſuis habeant qui ſupremis curiis, qui ſanctioribus Regis conſiliis interſint, ſi eorum filii publicis muneribus ornentur. Hoc curavit Auguſtus qui liberis ſenatorum quò celeriùs reipublicæ aſſueſcerent, protinus virilem togam, latum clauum induere, & curiæ intereſſe permiſit, militiamque auſpicantibus non tribunatum modò legionum, ſed & præfecturas alarum dedit.

Suet. in Aug. 38.

Iudices & officiales.

Sentient beneficium Senatores, ſi pro magno habeat jura reddi, ſi viros eminentes benevolentia proſequatur, ſi ſuus ordini ſplendor, ſi ſacris oraculis conſtet vigor, ſi nemo de eorum dignitate nundinetur. Sentient omnes qui in officijs verſantur, ſi affluentem adſcititiorum collegarum numerum, & inconditam turbam falx æqua reſcindat, ſi in exigenda ab ijs pecunia temperetur.

Populus.

Sentiet populus, ſi commodè vivat, ſi iuſtitiâ vigeat, ſi rapaces inhibeantur manus, ſi graſſatores & prædones acerrimo vigore reprimantur. Si immodica tributa reſcindantur, ſi commercio, ſi artibus ſua ſint emolumenta, ſua ſecuritas. Nil opus eſt ſtomacho diſſertatione ut de cibo judicet & potu, quicquid noxium, quicquid ſalubre eſt, ſtatim percipit. Sic nec populo longa de iudicio regni utilis controverſia, in annona ſentit, ſentit in vectigalibus, in æqua iuſtitiæ lance ſentit.

Literati.

Sentiunt denique literati, & experiuntur imperium ſalutare, ſi ſua ſtudijs claritas, ſi ſtipendia, ſi præmia, ſi eminentibus ingenijs honos. Agnoſcunt omnes proficuum, ſi largitionis & pœnæ ſacra moderatione in bonos atque improbos, poteſtatem æque diſpenſet.

Ædificia.

Ad hæc iuuat ædificia nõ inſana, ſed publicis utilitatibus commoda moliri, quibus

ſe

Digitized by Google

ſe magni ſæpè Principes poſteritati commendarunt. Hæc Octavij Cæſaris cura, qui gloriabatur ſe urbem quam lateritiã inveniſſet, marmoream relinquere. Hæc eadem Traiani & Conſtantini, quorum monimenta annos vicere, mentes admiratione compleverunt. Sic regnatur utiliter, ſic itur in alta civium pectora.

Longe nobiliores qui componunt quã qui vaſtant imperia.

Armis omnia circum tonare, per lucentes vrbium flammas incedere, vaſtare, exſcindere, indicere agris ſolitudinem, civitatibus mœſtitiam, & Attilæ & Totilæ potuere. Iacentes erigere, ſolari mœſtos, recreare languentes, condere & ordinare Reſpublicas, omnia in ſalutem publicam dirigere, nonniſi Heroes poſſunt. Sine Numa, ſine Anco Martio, ſine Tarquinio Priſco, ſine Servio Tullio, qui ceremonias, qui leges, qui ædificia, qui cenſum, qui ornamenta procurarunt, quid erat in populo Romano, quod non à prædonibus & piratis præſtari potuiſſet? Tota vis regnandi in veneratione Regis, & utilitate ſubditorum eſt. Hoc non tantum magnificum, ſed operoſum Nam ut ait Livius, *excellentibus ingeniis citius defuerit ars qua civem regant, quam qua hoſtem ſuperent.*

Livius lib. 2.

Dissertatio
Sexagesima Quarta.
De iucunditate vitæ paranda populis à Principe.

In hæc verba. *Habitabatque Iuda, & Iſrael abſque timore vllo, unuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua. 3. Reg. 4. 25.*

Restat iucunditas humanæ vitæ cõdimentum, hanc natura per omnia ſparſit, ut tot aſpera mitigarentur. Hæc (ut aiebat Syneſius) vinculum eſt animæ ad corpus, alioqui fugituræ, ſi dura vbiq; & formidoloſa nullo lenimento ſortis incurrerent. Sine hac nec labores diu tolerantur, & ægrè retinetur vita, res omnium dulciſſima. Infundit ſe vltrò doloribus, cũ flendi gaudium eſt, & lachrymis evaporatus relaxatur affectus. Sola hanc Tyrannorum regna non habent. Illic tot terribiles viſu formæ, iræ, invidiæ, tot ſcelerũ fælix turba & cũ immenſitate potentiæ vitiorũ immanitas. Illic frementis officina ſævitiæ, edicta cruore ſcripta, innocentiæ tormenta, proſcriptioneſq; virtutum, omnia trepida, omnia mœſta, atq; confuſa, quæ latè cunctos feriunt, & in ipſos redeunt authores. Quam diſpar aula Chriſtianiſſimi Principis, in qua placida velut Halcyonum ſerenitas, & deterſi cæli riſus. Illic nulla recti ignorantia, nulla inuidia eſt, libertas & principatus ſociabili iure vniuntur: illic optima ſentire non tantũ licet ſed eloqui. Nemini claritas damnoſa eſt, nemo in ſocordia quærit ſapientiam. Itur per ardua virtutum in verum decus, & apex gloriæ eſt imitari quòd videas in Principe. Mens ſine nubilo eſt, & ſine aucupijs verba. Placent optima quia fiunt. Illic ingenua lætitia eſt, & ſimplices ludi, nec inſidioſa comitas, nec fallax amicitia: E regia domo in totum funditur regnũ hæc morum amœnitas, & redit quædam aurei ſæculi facies, quam faciunt boni, amant etiam improbi.

Iucunditas vinculum animæ ad corpus.

Sola hãc tyrannorum regna non habent.

Quam tetra eorũ forma.

Quam diſpar ab iis aula optimi Principis.

Eius ſtatus & ſpecies.

Videntur hæc tempora indicaſſe ſacra eloquia, cum dicunt, *Erat autem populus iucundus ſecundum faciem ſanctorum.* Sed plenius Iſaias regnum Meſſiæ deſcribens ait, *lætabitur deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium, germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans. Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron: Ipſi videbunt gloriam domini & decorem Dei noſtri. Confortate manus diſſolutas;*

Iudith. 16. 24.

Iſai. 35. v. 1. 2. 3. 4. 7. 9. 10

Typus regni Dei.

Digitized by Google

tas, & genua debilia roborate. Dicite puſillanimis: confortamini, & nolite timere. Deinde *in cubilibus, in quibus dracones prius habitabãt, orietur viror calami & iunci. Non erit ibi leo & mala beſtia. Ambulabũt qui liberati fuerint & redempti à Domino, convertentur & venient in Sion cum laude & Lætitia ſempiterna ſuper caput eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt & fugiet dolor & gemitus.* Hæc regnantis Chriſti facies, hæc lætiſſimi imperii forma, quàm concupiſcere omnibus in promptu eſt, aſſequi difficillimum.

Iucunditas non eſt in ſpectaculis, qualia fuere Ethnicorum

Exhilarari regna multitudine ſpectaculorum crediderunt Imperatores antiqui. Inde circi furor, amphitheatri ſæva immanitas, & infamis theatrorũ laſcivia, *ſed quid hoc eſt niſi* (ut ait Tertull.) *ſuffragiorũ impiorũ æſtuariũ, cathedra peſtilentiarũ, ubi aer qui ſuperiacebat ſceleſtis vocibus cõſtupratus. Sint dulcia licet, & grata, nemo venenũ tẽperat felle & belleboro, ſed conditis pulmentis, & bene ſaporatis, & plurimum dulcibus id mali inijcit ita & diabolus lethale quod conficit, rebus Dei gratiſſimis & acceptiſſimis imbuit.* Inde iuſtè exclamat, *figulã & ventrẽ ab inquinamentis liberamus. quãto magis auguſtiora noſtra, oculos & aures ab idolothytis, & necrothytis voluptatibus abſtinemus, quæ non inteſtinis tranſiguntur, ſed in ipſo ſpiritu & anima digeruntur*

Honeſtæ voluptates à Principe attrectãdæ, & populo concedendæ.

Non ſint igitur illæ Chriſtianorũ voluptates toties damnatæ, & ſemper damnãdæ Sed ſi quæ ſint innoxiæ, ſi quæ honeſtæ, animi remiſſiones, has interdũ Principes attrectare, has cõcedere lubẽter ſubditis debẽt Sic inaugurationes Regũ, ſic natales filiorũ, ſic nuptiæ, ſic victoriæ meritò ludis & gaudijs celebrantur. Sic certis tẽporibus ſua feſtivitas, & privatis quoq; lętitia eſt. Nimis rigidi sũt qui decẽtes choræas, ornatus veſtiũ, grataſq; luſiones in perpetuũ proſcribũt. Hoc ſpiritu agebatur Poſſidius Epiſcopus qui veſtẽ molliorẽ, aũt etiã auratã ferri à Chriſtiana muliere flagitium putabat. Quantò ſapientius Auguſtinus ad eundẽ ſcripſit. *Nolo ut de ornamentis auri, vel veſtis præproperam habeas ſententiã, niſi in eos qui non coniugati ſunt, neque coniugari cupiũt, cogitare debent quomodo placeant Deo.* Bene vir prudẽtiſſimus vidit in eadẽ fide diverſũ vitæ genus, nec ſęcularibus diſtrictos curis, in mores Anachoretarum cogẽdos. Sua cuiq; cõditioni, ſua cuique ætati oblectamenta conveniũt nemini invidẽda, cũ intra modeſtos limites cõſiſtũt. Miſcebatur Auguſtus voluptatibus vulgi, & capiebat populos, ꝙ capi eũ ſuis delectationibus crederent, tacebat animorũ ſimilitudinẽ ſimilitudo deſideriorũ, & tantò plus plebs amabatur quantò magis pro eius gaudiis exultabat.

Poſſidius à S. Auguſtino reprehenſus quod nimis aſperos cultu Chriſtianos vellet Aug. ep. 76 ad Poſſ.

Vera gaudia Chriſtianorum in puritate conſcientiæ.

Sed leviora sũt omnia ludorum genera, ſi cũ ſolidioribus cõparentur. Alia ſunt quibus ſuos iucundè habere Principes & poſſint & debeãt. Facit iſtud imprimis honeſta vita, moderata, conſtricta legibus, è qua neceſſariò lætitia conſurgit, quæ mẽtem tacita fælicitate circũfluit. Habet mala cõſcientia ſẽper aliquid inquietũ, multiforme, & lacerũ. Vnde ait S. Zeno. *Quomodo gaudeat quẽ æſtuantiũ delictorũ fax incenſa omnibus modis exurit? qui pudorẽ ſui ſecũ carceris portat, qui carnificẽ ſentit antequã videat?* At verò innocentiæ ultro iucunditates affluunt, *nobis ſabbatum indixit Deus* (ait S. Aug.) *intus in corde ſabbatum noſtrum. Multi vacant membris & tumultuantur conſcientia. Omnis homo malus ſabbathum habere non poteſt, ipſa tranquillitas ſabbatum cordis eſt.*

S. Zeno. homil.

Aug. in pſalm. 91

Concordia ciuium ad lætitiam multum prodeſt.

Ad hoc accedit concordia ciuiũ, & mutuus Principis in ſubditos & ſubditorũ in Principẽ amor. Mirus hic artifex lætitiæ: eſt enim quidam divinitatis ſapor intimis pectoribus affuſus, qui lætã ubiq; ſerenitatẽ parit. Quid dulcius ſubditis quàm amantiſſimi Principis conſpectus, de quo iurę

Item optimi principis aſpectus. Plin. li. 1. c. 6.

Digitized by Google

jure dici poteſt quod Plinius de maximo & maximè benefico ſidere. *Hic vices temporum, hic annos ſemper renaſcentes ex uſu natura temperat. Hic mundi triſtitiam diſcutit, & humani animi nubila ſerenat, præclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens.* Tantum in eo momenti poſitum eſt, ut inter ipſa miſeriarum incendia populus è vultu regnantis, & ſuos amice complectentis ingens capiat ſolatium.

Appareat infelix licet, appareat è naufragio nudus, magis exhilarabit ſuos, quā faſtidioſus & tumens, inter triumphorum pompas. Redeuntem Franciſcum I. poſt clades poſt carcerem, poſt tantam regni jacturam tota Gallia humeris tulit, quia redamare didicerat amantès, comis eloquio & aſpectu gratus.

Libertas moderata lætitiæ mater.

Delectat autem maximè populos chariſſima libertas, & decor ineſt imperiis, quibus non auſtera facies dominantis, nō triſte ſervitutis jugum, non conſtrictus formidine, & vix unquam ſe relaxans animus, nec inſidiantes alloquiis emiſſarii, ſed ſoluta mens curis, & vita ſuſpicionibus deterſa, & quod probabat Tiberius in libera civitate, liberum pectus, libera etiam lingua.

Nihil æque anxios ac triſtes facit, quàm grandis poteſtas & ſęva, miſerorum cervicibus incumbens. Ubi diſcuti cœpit, expromit ſe ultrò ridens hilaritas Unde tanta ubique & tam exuberans ex interitu acerborum Principum lætitia quaſi tum regna vocentur ad pileum.

Moderatio tributorum jucunditatis vitæ ſocia.

Præterea ut multis hodie pro vita & ſanguine eſt pecunia, magna vulgo jucunditas affluit ex moderatione tributorum, major ex relaxatione, quod cum Majorianus imperator auſpicaturus Principatum feciſſet, cunctorum animos amore ſui atque admiratione complevit. Innumeræ ſunt artes induſtriis regibus, quibus mulcere ſubditorum animos poſſint.

Non Chriſtianus in hac vita perfecta jucunditas expectanda.

Sed tamen nemo in hac mortalitate ſperet Chriſtiana præſertim regna adeo læta, ut non in multa ſæpiùs aſpera, in multa triſtia incurrant. Sic ſe habet rerum humanarum conditio, ſic noſtra exigit profeſſionis magnitudo *Animas* (inquit Tertull.) *noſtras auctorati in has pugnas acceſſimus.* Si de terreni hujus imperii felicitate tantùm cogitamus, *ſolida negligimus æternorum* (ut cum ſancto Fauſto dicam) *& ludibria ſectamur umbrarum: Viam pro patria miramur, & ſomnia pro veritate complectimur, regnum diſponimus in exilio, & portum collocamus in pelago.* O quam fluxę mortalium ſpecies ad vibrantem illum radium æternitatis! Quam ridicula tota curſantium & frementium pompa, ad conſpectum throni illius à quo procedunt fulgura, voces, & tonitrua? *In civitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges.* Tot bella, tot victoriæ, tot opes, tot ludi, tot triumphi, quaſi ſpectra diffugient ad primigeniam lucem. Quin imus igitur in illud regnum, ubi meta ſine termino, uſus ſine faſtidio, refectio ſine cibo, requies ſine motu, ubi totum ſtat & nihil fluit, totum viget & nihil marceſſit. Ubi univerſitas eſt decoris, & decus univerſitatis, regnans in omnibus Rex Regum, & Dominus dominantium, cujus æternitas vita, & imperium ipſa immenſitas.

Tert. in Scapulā.
Hom. S. Fauſti apud Euſeb Deſiderium cæleſtis Patr. 4.
Pſal. 72. v. 20.

* * *

TRACTATUS QUINTUS. PARADIGMATICUS.

IN QUO POST EXPLICATUM STYlo commentarii, regni Judaici ſtatum, à Deo fundatum, ſubjiciuntur Regum qui eundem tenuerunt, exempla, & quid in quoque laudandum, quidve reprehendendum breviter oſtenditur.

DISSERTATIO SEXAGESIMA QUINTA.

An Reges fuerint de mandato Dei.

In hæc verba. *Dominus judicabit fines terræ, & dabit imperium Regi ſuo.* Lib. 1. Regum, cap 2. verſ. 10.

FUIT Hebræorum Gens Regum cupida, & Regiæ poteſtatis inimica: Regem nempè à Samuele clamoribus extorſit magis quàm impetravit; eligendi avida, imperita ſerviendi, damnavit ſæpè quòd elegerat ſemel, ſuiſque laboravit votis. Qui primi inter illos nominis Doctores, negant fuiſſe in mandatis Dei, ut Gens Hebræa Regum ditioni ſubeſſet, quod illi Deus in omnia ſufficeret.

Sic Bechaius legis doctor ad librũ judicum. *Non erat voluntas Dei, ut eſſet rex in Iſrael alius quàm ipſemet; ipſe enim altiſſimus Rex ille, qui ambulat in medio caſtrorũ & providè attendit ad minutiſſima quæque: nec opus erat illis rege alio. Nã populus electus, cujus rex eſt Dominus univerſi,* quid faceret cũ rege, *qui caro tantùm eſt & ſanguis?*

Rabbini quidam Regiæ poteſtatis inimici.

Digitized by Google

gnis? Addit primum regem nempè Saulem, per iracundiam datum, ultimum Sedeciam per furorem Dei depoſitum.

Aſſeritur Regia poteſtas cõtra zelotas impugnantes. Hæc ille zelotarum ſpiritu, & ſapientia tumens, quæ Deum regem dum videtur aſſerere, deſtruit; niſi enim viſibili potentia continerentur res humanæ, quid reſtaret, niſi ut conculcato Dei cultu omnia in fœdam Anarchiam reſolverentur? Qui in omnia ſufficit, & ſuperabundat Deus, ubique cauſſarum ſecundarum utitur miniſterio, ut univerſum moderetur, per Solem nos illuminat, per ignem calefacit, per aquam lavat, inſpirat per aërem, per præceptores docet, per magiſtratus gubernat, non eſſent omnia, ſi æqualia eſſent omnia.

Eccli. 33. 7. 8. *Quare dies diem ſuperat, & iterum lux lucem, & annus annum à ſole? à domini ſapientia ſeparati ſunt, facto ſole, & præceptum cuſtodiente* (ait ſapiens)

Quòd ſol in firmamento, hoc eſt rex in imperio, à Deo conſtitutus, ut terrori ſit improbis, bonis præſidio.

Prover. 8. 15. *Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*, inquit ſapientia.

Rom. 13. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi à Deo*, ut monet Apoſtolus.

Abſit ille ſui tenax ſpiritus, & in ſuam perniciem natus: dum nulli ſubjici Hebræi concupiſcunt, omnes dominos ſunt experti, nullos ſeipſis ſæviores. Ipſi reges ſunt qui portant orbem, ut ait S. Baſilius Seleuciæ. ipſi qui olim ſedebant in clypeis, teſte Nicephoro Gregora, quia clypei terrarum cenſentur.

Ier. 2. 24. Ridiculè Nachmoninus ex loco Hieremiæ, *Onager aſſuetus in ſolitudine*, Judaicã tentat vendicare libertatem; aſſerens cæteras gẽtes à principibus, tamquam pecora à paſtoribus regi, Judæos inſtar ferarũ eſſe libertimè circumquaque vagantium. Quod Propheta in opprobrium dixit cervicoſæ gentis, hoc vertit in legem, & facinus edictum dei vocat.

Cautius Gerſchonius argumentatur ab effectis, oſtendens pauca admodum bona, multa undique à regibus ſuę genti mala eſſe importata, præſagiente hoc Samuelis ſpiritu qui tantopere, totque perſuaſionibus creationem novi regis eſt dehortatus. Verùm quòd creati ſint reges, conſilii divini fuit, quòd improbi fuerint, ipſorum culpæ adſcribendum.

Quæcumque ab Iſraelitis doctoribus allegantur, validè proſternit Dei mandatum Deuteronomii *cap. 17. v. 14. 15. Cum ingreſſus fueris terrã quam Dominus Deus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaverisq́; in illa, & dixeris: conſtituam ſuper me regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes, eum conſtitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum: non poteris alterius gentis regem facere, qui non ſit frater tuus.* *Præceptũ Dei de Rege conſtituendo.*

Non vetat igitur Deus fieri reges, ſed vetat ex alienis fieri, approbata poteſtate, indicto delectu.

Itaq; & iſtud apertiſſimè faſſus diligentiſſimus Rabbinorum Moſes Ben-Maymõ in reges, ubi tria innuit Iſraëli in deſerto injuncta, electionem regis, exciſionem Amalech, extructionem templi, idem quoque Maymonides, ait Iſraelem triplici corona gloriari, legis, ſacerdotii, & regni, ut jam minimè dubium ſit reges de mandato Dei fuiſſe, non tantùm ex ſcriptura, ſed ex celeberrimorum etiam apud Hebræos doctorum approbatione & conſenſu. *Tom. 1. Hal. Talm.*

Nec immeritò Gelaſius Papa in epiſtola ad Anaſtaſium imperatorem dixit, duo ſunt, imperator Auguſte, quibus hic principaliter regitur mundus, authoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas. Addit *Regum excellentia.*

Μέγιστα δῶρα ἄνωθεν διδόμενα in authē-ti part. 1. titul 6. Marc 6. Θειότατον ἔα-σιλαῦς. Ecphantes de regno.

dit Juſtinianus duo maxima dona à largitate divina Hominibus eſſe conceſſa, Sacerdotium & Regnum. Ecphantes verò ait divinorum quæ in terra ſunt, Regem eſſe *diviniſſimum*, qui ſi nomini reſpondeat, ſit animatus & ſpirans character ſupremæ Majeſtatis.

DISSERTATIO
Sexageſima sexta.

Quomodo creati Reges Hebræorum, & quibus eligendi jus competebat.

In illa verba. *Dixit autem Dominus ad Samuelem, audi vocem eorum, & conſtitue ſuper eos regem.* 1. Reg. cap. 8. verſ. 22.

Rabbini Monarchia inviſi.

STATUM regni Judaici non fuiſſe planè Monarchicum Rabbini ſumma vi contendunt. Inducunt quippe magnum Synedrion, virorum 72. penes quos jus eligendi regis fuiſſe ſtatuunt, & ſine quibus regem nihil in gravioribus cauſis decreviſſe memorant. Id ex tenebris eruit Siccardus in libro de jure regio Hebræorum, & ex multis teſtimoniis doctorum hujus gentis prodidit.

Magno Synedrio plenā authoritatem aſcribunt.

Vnde illud? Numeri 11. 16. & 17.

Principium eſt à Moyſe, quem divina vox monet, *congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti, quod ſenes populi ſint ac magiſtri, & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, facieſque ibi ſtare tecum, ut deſcendam & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris.*

Hal. Sanhed. c. 1. Quale fuerit illud Synedrion.

Moſes Ægyptius eum qui ſapientia præſtaret cæteris, præſidem totius cœtus deſignatum fuiſſe tradit, huic additus qui natu maximus, vocaturque conſiſtorii pater. Legebantur illuſtri genere, natalibus, immaculatis, integro corpore, mente ſana & vigili, conſcientia proba, cum manuum impoſitione certiſque verborum formulis. Atque ut res auguſtior haberetur in templi parte quam Gazith appellant, conſedere.

Conditiones judicum electorum. Aſſiduitas circa munia.

Conveniebant autem quotidie in Senatum à ſacrificio jugi matutino, ad juge veſpertinum, hoc eſt ab ortu ſolis, ad horam nonam, quæ nobis eſt tertia. Si quis neceſſario impedimento avocaretur, licebat abeſſe; ſed ea lege ne collegarum numerus plus juſto minueretur, nec infrà viginti tres decreſceret, licuit hoc mediocri conſeſſu minora quædam agitaſſe, tractare grandia, niſi pleno omniũ cœtu, nefas.

Cognitio.

Magnum hoc Synedrion cognoſcebat de rebus magnis ad religionem & rempublicam pertinentibus, puta de controverſiis legalibus, de anno intercalari, de Pſeudoprophetis, de Apoſtatis, de excommunicandis, de judiciis ſingularum tribuum vel urbium, de Pontificibus. Addunt Rabbini, ſed falsò, judicaſſe de rege, de bello, de fœderibus, de legatis, de vectigalibus, de publicis ædificiis, de magiſtratibus. Haud dubium quin ſenatus ille in iſtis ſpirarit grandia. parva potuerit, Regibus, ut par erat, civilia moderantibus, ſacris Synedrio relictis, & ſi quid de aliis cognoſceret, haud quaquam ſine Regis authoritate feciſſe.

An de eorũ fuerit poteſtate Regem conſtituere.

Quod autem ait Maymonides ad eos ſpectaſſe regem conſtituere. votum potius quàm factum, ſiquidem invenimus omnes Judæorum reges, aut per Prophetas Deique miniſtros extraordinariè declaratos, ut in Saule, Davide & Jehu notum eſt; aut per ſucceſſionem à parentibus ingreſſos: nuſquam legitur in regum libris, ullum fuiſſe in regios apices allectum, quem iſte ſenatus deſignaſſet.

Sub-

Digitized by Google

Deut. 17. 15. Subrepit nobis Avenezra, illud Deuteronomii, *Eum conſtitues quem Dominus tuus elegerit*, callidè interpretatus. Vult enim indicari Reges vel ore Prophetarum, vel per *Vrim* Pontificis, qui ſynedrio præerat. *An per Vrim Rex indicatus.* De Prophetis conſtat in ſacris, de *Vrim* adhuc ignotũ. Liquet certè omnibus, *Vrim & Thumim*, ornamentum fuiſſe ex gemmis in pectore ſummi ſacerdotis, quod diu populis pro oraculo ſtetit.

Qualiter verò indicaret futura, adhuc in ambiguo eſt. *Ioſephus Antiquit lib. 3. c. 9.* Joſephus putat, cùm læta nunciaret gemmas ſereno fulgore promicuiſſe; cùm triſtia, defecta luce, obſcuratas.

Qualiter per Vrim Dei mens indicaretur. Rambamus Judæus aliter explicat, *ſtat inquit Pontifex facie in arcam obverſa, qui conſulit retro eſt, ſciſcitatus juſſa divina, voce ſubmiſſa. Confeſtim ſpiritus ſacer induit Pontificem reſpicientem ad pectorale, in quo cernit futuros rerum eventus, Deique nutum, per viſionem Propheticam, litteris pectoralis in faciem promicantibus.*

Scribunt enim alii in eodem pectorali ſummi Pontificis nomina duodecim tribuum ſcripta, variaſque literas expreſſas, & tum ex iis aliquas fuiſſe à gemmis illuminatas, è quibus interpres voces ſignificantes colligeret, Deique voluntatem petentibus denunciaret.

Bechai in Exod. 18. Sed hoc eſt in ambiguo ludere: quid fecerint in ea interrogatione Pontifices, incertum: Certiſſimum tamen eſt, nullos regum ſic creatos, ſed ut dixi, aut per miſſos à Deo Prophetas deſignatos, aut jure ſucceſſionis ut ex hiſtoria regum liquet, ad culmen regium conſcendiſſe.

***

DISSERTATIO Sexageſimaſeptima.

Quod ſignum fuerit Principale poteſtatis Regiæ apud Hebræos.

In hæc verba. *Ecce unxit te Dominus.* 1. Reg. cap. 10.

Omnibus fermè regibus familiare, quædam poteſtatis inſignia ſibi vendicare, quibus majeſtatem veneratione, aut terrore circumfundant. *Poteſtatis inſignia cuique Regno propria.* Fuit Perſarum Principibus ſua Cidaris, ſuus ignis, Romulo ejuſque ſucceſſoribus prælati faſces, fortunam auream quæ eſſet velut imperii fatum ſequenti ævo Imperatores addidere. Id ex Julio Capitolino qui ſic de Antonino pio in extremis poſito ſcripſit, facilè colligitur. *Iulius Capitolinus in Antonino pio.* *Tertio die cùm ſe gravari videret, Marco Antonino rempublicam & filium præſentibus præfectis commendavit, fortunamque auream quæ in Principum cubiculo poni ſolabat, transferri ad eum juſſit.*

Hebræorum regibus peculiaris unctio, *Hebræorum unctio.* quæ ſtatim in Saule cœpit, de quo Reg. 1. cap. 10 *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus, & deoſculatus eſt eum*, & ait, *ecce unxit te dominus, ſuper hæreditatem ſuam, in principem.*

Et de Davide, *ſurge, unge eum, ipſe eſt*, *1 Reg. 16. 12.* & de Salomone, *ungat eum ibi Sadoch*: *3 Reg 1.* inde factum, quòd Deus voluerit Hebræorum Regnum eſſe quodammodo ſacerdotale, ut in poteſtate regia emineret ſanctitas ſacerdotis. *Nihil illis ſine unctione ſacrum.* Nihil apud populum Dei ſine unctione ſacrum, tota ſupellex templi uncta, uncti potiſſimum ſacerdotes, Deo ita Moyſi præcipiente, *Aron & filios ejus* *Exod. 30. 30.*

Quanti fuerit. *Exod 30. 32.*

ejus unges, ſanctificabiſque eos, ut ſacerdotio fungantur mihi.

Tanti autem fuit hæc unctio ut capitale fuerit, in prophanos uſus transferri, *caro hominis non ungetur ex eo, & juxta compoſitionem ejus non facietis aliud, quia ſanctificatum eſt, & ſanctũ erit vobis: homo quicumque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo.*

Compoſitio ejus.

Compoſitio eodem exodi capite deſcribitur, ex Myrrha prima, Cinnamomo, Calamo, Caſſia, & oleo de olivis expreſſo.

Abſurda opinio Rabbami de myrrha.

Abſurdè quod hîc Hebræi מר nos myrrham interpretamur, Rabbamus pro muſco ſumpſit: *ſanguis eſt*, inquit *concretus in beſtia quadam India notus omnibus, quia eo condiunt ſe homines ubique locorum.*

Acutius vidit Scholiaſtes ejus in gloſſa. *Ajo ergo mihi non videri, quod compoſitionẽ ſacram ingrediatur ſanguis ullius feræ in mundo, ne dum immunda, quin potiùs intelligendum de frutice, cujus odor fragans.*

Minores ſacerdotes qualiter uncti.

Aſſervabatur autem in arca tam religioſa confectio, nec promiſcua omnibus qui altari deſerviebant: ſi quidem Lyranus ſcribit quoſdam minores ſacerdotes, non fuiſſe unctos hoc unguento, ſed aſperſos mixtione facta olei & ſanguinis victimæ.

Unctio à ſacerdotibus ad Reges traducta.

Traducta à ſacerdotibus ad Reges, quos tantæ dignitatis faſtigium longè ſupra cæteros hominũ extulit. Nec tamen id Deus conceſſum eſſe illis voluit, libidine gloriæ, ſed cupiditate ſanctitatis, ut unctio ſacerdotum admoneret: coronam fulgore virtutum accendere, infringere moderatione potentiam. Unguento ſacro Reges ex familia Davidis unctos, Hebræi interpretes paſſim innuunt, licet Beccanus commune illis oleum tantùm concedat, quod Regiæ impar majeſtati videtur.

Quid deſignarit?

Deſignavit hoc chriſma unctum Dominum Chriſtum Regem, longè antequam naſceretur, paternæ amplitudinis donis omnibus delibutum, ad cujus exemplar ſe pontifices Regeſq; conformare deberent. Inde ad Chriſtianos ritus propagatũ: nec immeritò quoque Apoſtolis à Chriſto traditum, in ſuprema cœna, Fabianus Pontifex ſummus exiſtimavit: Leve eſt quòd Campegius de Monarchia unctionem ad quatuor tantũ Reges Hieroſolymæ, Franciæ, Angliæ, Siciliæ pertinuiſſe ſcribit. Nam conſtat ex Niceta Choniate, imperatoris quoque Græcorum, chriſma inter inaugurationis varias cæremonias uſurpaſſe: ſic enim de Alexio narrat ὅπως κατὰ τὸ ἔθιμον εἰς βασιλέα χρισθῇ.

Fabianus in epiſtola ad Epiſcopos orientales ex traditione opinatur. *Campegius.* *Nicetas in Alexio.* *An imperatores uncti.* *Forma Regis ungendi.*

Non eſt ſupervacaneum annotare, quod diligentiſſimus ſcriptor Hebræorum Maymonides tradidit, novum regem ductum ſtatim ad ſcaturignem fontis ubi ungeretur. Notum ex Salomone, de quo Grandævus parens præcipit, *tollite ſervos Domini veſtri, & imponite Salomonem filium meũ ſuper mulam meam, & ducite illum in Gihon, & ungat eũ ibi Sadoch ſacerdos.* Gihon autem, teſte Rabbi Salomone, eſt rivus Paleſtinæ prope Hieroſolymam ſcaturiens, qui in torrentem Cedron exonerabatur. Cõſultò nõ intra urbis impuræ mœnia, ſed ad camporum læta, ſylvaſq; innocentes, juxta limpidos aquarum fontes unctio deſtinata, ut admonerentur Reges pura & caſta mente numini deſervire.

3. Reg. 1. 33. *Quare ad fontes uncti.*

Siccardus putat in perennitate fontis, perennitatem imperii auſpicatos. Addiderim inde commendari beneficentiam, qua Principes inſtar fluviorum in mortalium commoda à Deo jubentur effluere. Nec immeritò Veſpaſianus imperator Ægyptios invitabat, ut à ſe tanquam à ſuo Nilo haurirent; Unde Emanuel Commenus à Niceta θάλασσα φιλοδωρίας, *mare beneficentiæ* nuncupatus.

Philoſtr. in vita Apollonii l. 5. c. 10.

Quis unctionis character?

Character verò unctionis erat, ut unguentum in formam circuli capiti illineretur,

retur, quia & hæc figura perfectiſſima eſt, & Deũ nobis exhibet, qui circulus appellatur, cujus centrum ubique eſt, circunferentia nullibi.

Pontifices ut uncti. Iuſtinus Apologet. 2. Myſticũ Platonis verbum.

Pontifices aliter ungebantur literâ χ, ſive crucicula, inter ſupercilia deſcriptâ, non vano Meſſiæ augurio, qui crucem unctione ſui cruoris poſtea conſecravit. Juſtinus martyr refert myſticum Platonis verbum ex Timæo, ἐχίασεν αὐτὸν ἐν τῷ παντὶ, quo ſignificat filium Dei, ut ipſe interpretatur, undique in univerſo decuſſatum, ita nobis omnia ferè crucis formam oculis ſubjiciunt, quod latiſſimè Patres in ejuſdem elogio proſequuntur.

Balſami unctio fragilem potentiã denotavit. Schindlerus in rad. כפר *Plinius l. 12 c. 25. Baronius ad annum 73.*

Schindlerus exiſtimat Saulem non unguẽto ſacro, ſed balſamo fuiſſe inunctum, quod & plerique Hebræorum factum in Samariæ Regibus tradunt, ex quo conjiciunt fragilem Regni gloriam. Balſami ſiquidem arbuſcula à Judæis in Romanos per Titum Veſpaſianum translata, quàm ſui imperii veluti fato innexam, plerique Judæorum putavere.

Saul & Iehu lenticula tantum uncti cur? S. Gregorius l. 4. expoſit. in reges c. 4.

Simile eſt quod Kimxhius è veteribus annotat in ſecũdum Regum, Saulem & Jehu unctos lenticulâ, brevis Regni indicio, Davidẽ verò & Salomonẽ è cornu illitos, perennis Imperii nota: Quàm obſervationẽ Gregorio magno etiam placuiſſe video.

An una unctio toti proſapia Regum ſuffecerit?

Nimiam unguenti ſacri parſimoniam faciunt Rabbini, qui dicunt unicam unctionem toti proſapię ſuffeciſſe, nec in filiis repetitam, niſi æmulorum invidia periclitãtibus: nam cùm hęc cęremonia, Regem ſacrum & inviolabilem præſtaret, non eſt credibile ab ullis fuiſſe neglectam. Miraculo tamen imputant, quod initio nõ plus eſſet ex iſto liquore, quàm menſura liquidorum continens ſex ova; inde tamen inunctum fuerit tabernaculum, atque vaſa ejus, Aaron cùm filiis, Pontifices, ſucceſſores & Reges in tanta ſerie ſæculorum.

Quando defecerit. Quinque miranda antiquo ſtatus Hebræorum.

Defecit tandem inter cætera, quæ ſecundo templo defuiſſe memorat Kimxhius in Aggæum Prophetam. Quinque autẽ ſunt quæ ipſi vocant miranda, divina pręſentia, quæ ad propitiatorium reſpondebat. Afflatus ſpiritus ſancti in Prophetas, ignis ſacer, *Vrim & Thumim*, arca Dei in qua erat præter reliqua Lecythus unguenti à Moyſe conſecrati.

DISSERTATIO
Sexageſimaoctava.

De ſapientia Regis & inſtitutione.

In hæc verba. *Dedi tibi cor ſapiens & intelligens.* Lib. 3. Reg. cap. 3. v. 12.

Pſalm. 2. v. 10.

Non immeritò clamat Propheta *erudimini qui judicatis terram.* Ad quos enim magis ſpectat erudiri, quàm ad Principes, quorum ſapientia par eſt, tot mortales Regi, tot provincias adminiſtrari. *Sapientiam autem hic loquimur*, (ut cum Apoſtolo dicam.) *non hujus ſaculi nec Principum hujus ſaculi, qui deſtruuntur: ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio.* *Corint. 1, 2, 6.*

Deut. 17. v. 18.

Mirum certè quod Reges ſibi peculiariter addictos ſacerdotali ſcientia præditos Deus eſſe voluerit, dum libros ſacros ſuo veluti digito deſcriptos, ab iis edisci, & indefeſſo ſtudio ſẽper evolvi præcipit. *Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus, in volumine, accipiens exẽplar à ſacerdotibus Levitica tribus, & habebit ſecum, legetq; illud omnibus dieb9 vita ſua ut diſcat timere Dominũ Deum ſuũ, & cuſtodire verba, & caremonias ejus, qua in lege pracepta ſũt.*

Non tantum unum legis exemplar, ſed duo à Rege deſcribi oportuiſſe nonnulli contendunt, ſed iſtud tantùm obſervatũ, cùm Rex nullum à parẽtibus traditum, aut priva-

Digitized by Google

Legem Dei Rex ſuâ manu deſcribere à Deo jubebatur.

Maymonides Halmolac.c.3.

privato ſtudio antea deſcriptum haberet, tunc enim jubebatur unum aſſervare in theſauris, alterum circumferre ſecum, ſive in conſilio, ſive in prælio, etiam prandendo in conſpectu habere, tantùm monebatur ne in balneum, aut ad loca impura deferret.

In eo quoque Regum ſtrictior fuit conditio, quòd privatis, ſi ipſi eſſent litteratum expertes, liceret ab aliis emere, ut domi tenerent. At Reges cùm primum poterāt, etiamſi innumeros à parentibus relictos codices habuiſſent, manum tamen admovere debebant operi, & impigrè ſcribere, quod nonniſi arduo labore, propter Hebræorum ſcopuloſam in exarandis libris moroſitatem præſtare poterant.

Ex eo duo facilè eſt colligere, primum quo in pretio Hebræi ſacram ſcripturam haberent! Alterum quanta cura cuperent Regibus commendari.

Scriptura honor ingens.

Novarinus l. 2.

Certè illam, teſtamentum, fœdus, pactum ſuum appellabant: nihil præ illa, arare, navigare, negotiari, architectari, bella gerere, Reſpublicas diſponere, Regna adminiſtrare, ducebant. Nefas fuit apud illos litteras ſacras in cute animalis immundi depingere, mundiſſimas oportuit parare membranas, & à puris tractari. Piaculum fuit illotis manibus ſacra biblia attingere, piaculum ea veſtire panno, qui ad res prophanas adhibitus fuiſſet. Si quis libro legis obambulās occurriſſet, ipſi ſtatim aſſurgebat, ſtabat in illius conſpectu, nec ſedere fas erat, antequam ſubduceretur oculis. At ſi fortè impii libros legis arreptos in ignē mitterent, omnes qui aderant ad hoc ſpectaculum, horrere, lacerare veſtes, luctum aſſumere jubebantur.

Inde factum ut furente Antiochi perſecutione, nihil inter tot dira moleſtius Judæis fuerit, quam libros ſuos exquiri, & rapi, ut in iis deorum gentilium ſignaretur effigies. Hoc habetur Machabæorum l. 1. c.3.v.48. notatu digniſſimum, & valde à latino interprete involutum, *& expanderunt libros legis de quibus ſcrutabantur gentes ſimilitudinem ſimulachrorum ſuorum* Quis hæc ſine textu Græco intelligat, ubi apertè, *τοῦ ἐπιγράφειν ἐπ᾽ αὐτῶν τὰ ὁμοιώματα τῶν εἰδώλων αὐτῶν.*

Locus inſignis ex libro Machabæorum.

Addit verò Maymonides, non licuiſſe coram libro ſacro expuere, aut inhoneſta corporis revelare, nec ipſi dorſum obvertere. Si quis verò equitaret, prohibebatur jumento imponere, niſi metus eſſet à furibus, ſed manu tenere, aut cordi circumpoſitum geſtare. Nunquam permiſſum vendere, niſi quis ejus pretio legem diſceret, aut duceret uxorem. Haud quaquam abſtinere poſſunt Talmudiſtæ, quin ſeriis multa levia & nugatoria miſceant.

Longè meliùs noſtri honorem erga teſtamentum Domini profeſſi, Concilio florentino ſic loquente *Sedebat magnus & juſtus Judex Dominus noſter Jeſus Chriſtus, hoc eſt ſanctum Evangelium*, cui prima & honorificentiſſima in patrum cœtu ſeſſio fuit. Nolebat S. Auguſtinus ſortes ex Evangelio ad negotia ſæcularia traduci. S. Chryſoſtomus codices ſacros ad arcendos dæmones, reverenter in domibus fidelium haberi, nec niſi lotis manibus contrectari voluit.

S. Bonifacius Trajectenſis Epiſcopus cū carnificis gladio colla pro fide ſubderet, Evangeliorum librum capiti impoſuit, ut ejus præſidium haberet in morte, cuius lectionem dilexerat in vita.

Heldburga Regis Anglorum filia, infans trima, poſitis antè ſe ex una parte monilibus, & quæ pueritiam vehementer allicere poſſunt, oblectamētis: ex altera bibliis objectis, torvo vultu cętera deſpiciens, ad ſacrum volumen adreptans adoravit.

Theodorus Metochita Evangelium quod

quod præſulum capiti, dum ordinarentur ſolebat imponi, dixit ὡς γλῶσσα προσπηκειμένη τῇ κεφαλῇ linguam illis ſupra caput ſtetiſſe, ſicut Apoſtolis, ea luce qua ſpiritus ſancti profuſione ſunt repleti.

Cùm tanti igitur ſit lex Domini, non mirum ſi tantoperè Regibus commendata, ut ea veluti uncti & perfuſi in omne genus hominum eructarent.

Sapientia 6. v. 2. 3 4. 10. 21 Idcirco clamat divina vox, *Audite Reges & intelligite, diſcite judices finium terra, prabete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationū, quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo. Ad vos, Reges ſunt hi ſermones mei, ut diſcatis ſapientiam, & non excidatis, concupiſcentia ſapientiæ deducit ad Regnum perpetuum.*

In ſola autem ſcriptura contineri omnem ſapientiam Hebræi contendebant, nec permittebant curioſorum ingenia extra hunc ſcopum vagari. *Iſmaelis dictū notabile.* Idcirco Iſmaël doctor hujus gentis celeberrimus, ſororis filio quærenti, an percepta lege Moyſis, Græcorum leges poſſet legere, reſpondit, potes, ſi eam horam impenderis, quæ nec diei ſit, nec noctis, quia ſcriptum eſt: *in lege Dei meditabitur die ac nocte.*

DISSERTATIO
Sexagesimanona.

De poteſtate Regis.
In illa verba.

Hoc erit jus Regis qui imperaturus eſt vobis: filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis.

Agros quoque veſtros, & vineas. & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis &c. 1. Reg. c. 8. v. 11 & 14.

Regiam poteſtatem minuunt qui nimis laxant, & qui ſolutum legibus omnibus faciunt, omnia poſſidentem, omnia pro libidine agitantem, non Regem nobis, ſed hominis prodigium obtrudunt. Quid tot gentes in ea re fecerint nō inquirimus, ſed qualis in populo Dei & ex divina mente Regis poteſtas fuerit, perſcrutamur.

Plerique Rabbinorum ſed pauci, contendunt, exolutam omni lege, Regum ſuorum fuiſſe potentiam, ſed argumentis ut ſolent, infirmis & abjectis. *An Reges jure omni exoluti, ut pro libidine omnia illis facere liceret.*

Primum eſt ex Pſalmo 16. v. 2. in quo David ſic Deum alloquitur, *de vultu tuo judicium meum prodeat: oculi tui videant æquitates* ibi Nachmoninus commentator, *à vultu Dei prodire ſuum judicium poſtulat, quia nulla creatura judicat Regem, niſi Deus optimus, maximus.* *Rabbinorum rationes infirmæ.* Fingit ſibi in hoc Pſalmo Davidem, jam ſplendidum, jam triumphantem, jam throno inſidentem, qui edicta de abſoluta poteſtate imperii ſui pronuntiet, & ſubditos omnes infimæ ſervitutis vinculis adſtringat; at tum neque Dominus, neque Rex fuit, ſed exul & miſer, Saule dirum in modum perſequente. Non de ſuo dominatu loquitur qui nullus erat, ſed de interiori judicio conſcientiæ ſuæ, quo judicari à Deo cupit inter ſe, & Saulem perſecutorem ſuum. Ita Didymus, & Aſterius antiquiſſimi patres explicant, nec aliud, totum hunc pſalmum percenſenti occurrit quam gementis oratio, non edictum dominantis.

Alterum plus coloris habet, ſed non minus virium. Ubi cum ab invito, & reluctāte Samuele, Judæi Regem importunè poſtularent, ut eos à propoſito deterreret, ait. *Hoc erit jus Regis, qui imperaturus eſt vobis: filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum, & conſtituet ſibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum. & fabros* *1 Reg. 8. 11.* *Quomodo intelligenda verba Samuelis de jure Regū.*

armorum & curruum ſuorum. Filias quoque veſtras faciet ſibi unguentarias, & focarias, & panificas, agros quoque veſtros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis.

Qui hunc locum accuratè interpretantur, duo ex Hebræis Scholiaſtæ, Jehuda, & Levi, negant omnino hæc regi licita, ſed hanc Samuelis vocem diſſuaſoriam potius eſſe terrentis, quàm edictum præcipientis. *Non exiſtimo* (ait uterque) *quod conceſſa ſint regi talia, ſed quod voluerit Samuel Judæis terrorem incutere, demonſtrando, non quod rex facere ex officio deberet, ſed quod auſurus eſſet, poſtquam corroboratâ poteſtate imperare cœpiſſet.*

Nam ſi hæc verba tamquam Dei ſtatuta eſſent accipienda, videretur Deus ipſe ſuis legibus contrarius, qui in Deuteronomio, ubi non tamquam diſſuaſor iratus, ſed legiſlator pacificus ait de rege præci-

Deut. 17. 16. & 19. piens. *Cumque fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos nō habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, neq; argenti & auri immenſa pondera Habebit ſecum Deuteronomium legis hujus, legetq; illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & cæremonias ejus, quæ in lege præcepta ſunt, nec elevetur cor ejus in ſuperbiam ſuper fratres ſuos.*

Quàm diſſimilis hic Rex, ex mente & inſtitutione Dei expreſſus, qui totam Deuteronomii legem impleat, ab eo quem fingunt, qui poſſit undique impunè rapere, ſubjugare, & omnia ad libidinem pervertere!

Abſit à piis regibus hîc error, qui nunquam ſe beatiores, nunquam potentiores exiſtimant, quàm cùm Deo ſe perfectè ſubditos, & in genus humanum beneficos præſtant.

Certè ſi hoc jus eſſet regium, omnia ſibi vendicare, & ex arbitrio uſurpare, neq; Saul peccaſſet in Davidem imperii ſævitia, ut pote ſubditum; qui perdi & perire poterat ad pacandum Principis animum, ſi effrenatus ille quem laudant dominatus in populo Dei valuiſſet, nec erat quòd propter raptam Nabuthis vineam, Rex Achab apud Dominum reus conſtitueretur, tantiſque afficeretur pœnis. *Reg 4. l. 2 de regimine c. 9.*

Quid exiſtimet S. Thom. de jure Regio. S. Thomas libro ſecundo de regimine Principum, cenſet leges regales per Samuelem Prophetam Iſraelitico populo eſſe propoſitas, quæ verè ſervitutem importarent, ſed in pœnam delicti à Deo latas fuiſſe, & cap. 11. libri tertii ejuſdem operis apertiſſimè dicit. *Principes ſuis debent eſſe contenti ſtipendiis, nec ſubditos ſuos gravare poſſunt in bonis eorum & rebus, niſi in duobus caſibus, videlicet ratione delicti, & pro bono communi ſui regiminis.* *Ibid. lib. 2. c. 9.*

Diſcurſus S. Thomæ. Primò inquit ratione delicti, nam ibidem duo imperia in homines invecta ſtatuit, unum quidem politicum quòd longè præſtantius eſt, & ſtatum integrum naturę humanæ ſpectat, in quo eſt tantum præeminentia in diſponenda & gubernanda multitudine, pro cujuſq; meritis, rege in omnes influente, pro congruentia naturę: Alterum eſt deſpoticum in quo vis & durę leges, id quidem deterius, ſed aliquando neceſſarium, quia perverſi ut ipſe ait, difficilè corriguntur, & ſtultorum infinitus eſt numerus; idcirco regimen regale acriori dominatu invaluit, *ut naturam humanam ſic diſpoſitam, quaſi ad ſui fluxū limitibus refrenaret.* Quamobrem Samuel bonatum rerum tædio ferocientibus, & cervicoſis populis jura indixit, quæ huic tempori cōvenirent. Aliter niſi boni communis neceſſitas exigat, non illa quidem fictitia, ſed vera & patens, cogi non debent ſubditi, ut ſe ſuis ſpolient facultatibus: unde & leges

à Sa-

Digitized by Google

à Samuele traditas, judicat eſſe planè deſpoticas,non regales; ſi quidem ut ibidem diſſerit ex octavo Ethicorum Ariſtotelis,tria ad regem ſpectant, primò ut principaliter bonum ſubditorum intendat, ſecundò ut per ſe ſufficiens reperiatur,& omnibus bonis ſuper excellat, ne ſubjectos ſibi populos ſine boni communis neceſſitate premat,tertiò ut curam habeat omnium, ſicut paſtor ovium, quo quiſque bene operari, & ad felicitatem dirigi valeat.

Ibid.l.3. c.11. Addit *regnum non eſſe propter regē,ſed regem propter regnū, quia ad hoc reges providit Deus,ut regnum gubernent, & unumquemque in ſuo jure conſervent.*

Quaſtio de Davide. At dices ſi nihil aliud juris rex habet, cur David, rapta Berſabæa & Uria immaniter interfecto Deum alloquens, ait, *tibi ſoli peccavi.* Num ſatis indicat uſum ſe erga ſubditos jure ſuo,nec habere quod incuſent,ſoli Deo utpote ſuo & rerum omnium domino, reddendam à ſe facti rationem.

Abſit à ſana mente tam lęva,tam futilis interpretatio, germana & facilis explicatio eſt,quàm Ribera tuetur,*tibi ſoli peccavi*,hoc eſt coràm te ſolo:nam ſolertiſſimè providerat ut intentatam Uriæ cædem tegeret,in aciem mittens, & periculoſæ implicans aleæ,ut ſuo fato potiùs, quàm Davidis fraude mortuus videretur. Idcirco

2.Reg.12. 12. Nathan increpans regem,ait,*tu feciſti abſconditè; ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael, & in conſpectu ſolis.* Cùm igitur Deum ſolum haberet ſui criminis conſcium, reveretur ſuum judicem,& maximam peccati pœnam exiſtimat peccaſſe.

Aliter S. Ambroſius explicat, Davidem non negare ſe flagitium in Berſabæam,ſcelus in Uriam patraſſe, ſed præ offenſa Dei, cæteros quoſque nihil ducere.

Satis etiam cordatè enarrat eundem locum R. Joſephus. *Si Vrias exſtaret, debitor illi eſſem, & tibi At nunc quando ille mortuus eſt, tibi ſoli ego confiteor, quod totum crimen meum tibi ſoli relinquatur, nec ab alio quàm à te ſolo remiſſionem expectem.*

Auguſt. q 55. in Deuter. In eadem ferè ſententia eſt ſanctus Auguſtinus, qui ſic loquitur, *Et ſi peccaviſſet David in Vriam, & in Berſabaam, atque blaſphemare feciſſet nomen Domini, dixit ſe ſoli Deo peccaſſe, videlicet quod ſolus Deus peccato medicinam poterat adhibere.*

2. Reg. 24.22. Quî fieri poteſt ut Rex tam grandi ſcelere admiſſo obſtringi ſe ſubditis injuriam perpeſſis non putaret, qui ne aream quidem ad ædificandum Dei altare, gratis à poſſeſſore etiam ultrò offerente habere noluit? Cùm enim Areuna dixiſſet, *Accipiat & offerat dominus meus Rex, ſicut placet ei, intulit David nequaquam ut tu vis, ſed emam pretio à te, & non offeram Domino Deo meo holocauſta gratuita.*

Ex iis igitur manifeſtum eſt, uſitatum non fuiſſe apud Judæorum Reges, peſtiferum illud axioma *licet, ſi libet*, nec ullos ex jure in ſubditos ſæviiſſe.

At nunc conſiderandum occurrit, an Moſaicis legibus, ſicut cæteri hominum obſtricti tenerentur, an conveniri, corrigi,& à quibus poſſent. Quod legi Moſis ſubeſſent, teſtimonium ex Deuteronomio allatum ſatis confirmat, ut *diſcat cuſtodire verba, & cæremonias ejus quæ in lege præcepta ſunt.* Deut. 17. 19.

Rex Moſaica legi ſubditus in præceptis cæremonialibus non tamen in politicis omnibus. Sed cùm legis præcepta alia fuerint cæremonialia,quæ ad religionem purè ſpectabant,alia politica, in divinis quidem obeundis prælucere cæteris exemplo Rex debuit,in civilibus quædam erant, quibus faſtigium Regium ſubmitti nefas erat.

Nam quis credat attigiſſe Reges legem illam,quę jubet ut defuncti fratris viduam Deut. 25.

 ſuper-

Digitized by Google

ſuperſtitem frater ducat, aut ſi nolit, calceum ſibi extrahi, & cum infami exprobratione in os expui patiatur: certè ipſi ſe veriores magiſtri agnoſcunt Principem nunquam *fratriare*, & licet in pleriſque Rex honori ſuo renuntiaret, non tamen, ut ajunt, honor ejus renunciaretur.

At ſi quid in divinis, & in rebus majoris momenti contra juſtitiam & religionem ſanciret, aut faceret, tum Synedrion illud magnum ex primariis hominibus compoſitum, & potuit & debuit illi jus faſque reverenter opponere.

2. Paralip. 26. 16 Exemplo eſt Rex Uzias qui cùm thuribulo manum admoviſſet, ut incẽſum adoleret, Azarias ſacerdos & cum eo ſacerdotes Domini 80 reſtiterunt ei viri fortiſſimi, & lepra per ultricem Dei manum ſtatim correptum, ejecerunt è ſanctuario, è quo egreſſus in ſeparata domo, juxta legem Moyſi vitam conſumpſit, ſubrogato in regnum Joathamo filio.

Quòd ergo Caſaubonus in Baronium contendit, reges Hebræorũ ſui juris fuiſſe, nec ullis legibus ſubditos, ipſum quo nititur Talmud intelligit de Samariæ regibus, qui veri Dei religionem & cultum per ſummam impietatem abjecerant, non autem de Regibus Judæ, qui intra ſacrorum limites caſto pudore tenebantur.

Sic enim de hac abſoluta poteſtate loquitur. *Hoc accipiendum de Regibus Iſrael duntaxat, qui tranſgreſſores erant in Regno, nec laudabant humilitatem, aut ſe legi ſubjiciebant: At reges domus David omnino judicant & judicantur, quia noverunt legem, nec turpis eſt in oculis eorum hac humiliatio & ſubmiſſio legalis.*

* * *

Dissertatio Septuageſima.

An regibus Judæorum divitiæ ingentes à Deo permiſſæ, & probatæ fuerint.

In illa verba. *Dedi tibi divitias, & gloriam ut nemo fuerit ſimilis tui in regibus, cunctis retro diebus.* 3. Reg. 3. 13.

AD frugales divitias primum regem ſuum divina mens inſtituit, ut patet ex illo Deuteronomii loco, *non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animũ ejus, neq; argenti & auri immenſa pondera.* Hebræã ſecuti literam ſic reddidere, *argentũ & aurum non multiplicet ſibi valde*, atque ut eludant præceptum divinum, vim faciũt in illa voce *ſibi*, ajuntque non vetari ingẽtes divitias, ſed tantum ne Rex ſibi paret, aut ſervet, imò in uſum regni ſpargat, & effundat: ſed leve iſtud effugium; nam certè habere ſibi quiſque dicitur, cujus dominium habet, etiamſi aliis poſtea impertiatur. Nec aliter de Ezechia rege laudatiſſimo ſcriptura loquitur. *Fuit Ezechias dives & inclytus valdè, & theſauros ſibi plurimos congregavit argenti & auri.* *Deut. 17. 17.* *Reges primò ad frugales divitias inſtituti.* *Paralip. 2. 32. 27.*

S. Thomas lib. 2. de regimine principum aptè ad præſentem rerum ſtatum omnia dimetiens, principẽ ſuum multifariis vult abundare divitiis, tam iis quas natura offert, quàm quę ab arte fiunt. Ad locum verò Deuteronomii reſpondet c. 7. non prohiberi abundantiſſimas opes, ſed tantùm faſtum & oſtentationem. *Divitiæ Regum, magnæ & multæ laudantur ab interpretibus.*

Eandem ſententiam arripiunt Toſtatus 2. Paral. 1. q. 28. Cornelius Janſenius, & Palatius quam his nituntur confirmare rationibus. *Rationes.*

Prima eſt quòd divitiæ illæ immanes, à Deo

1. Paral. c. 1. 12.

Deo promiſſæ & donatæ Salomoni fuerint. *Divitias, & ſubſtantiam, & gloriam dabo tibi ita ut nullus in regibus, nec ante te, nec poſt te ſimilis fuerit tui.*

Altera, quòd ante defectionem ejus in ſacra hiſtoria commendatur à divitiis quę & magnificè recenſentur, & cum apparatu deſcribuntur.

Tertia, quia hæc fœlicitas, & divitiarum copia, iſtis temporibus, inter divini amoris argumenta numerabantur.

Repugnat lex Deuteronomii.

Sed hæc quæ objiciuntur, non ſatis validè confutant tam expreſſum Deuteronomii mandatum, quo hæc opum imměſitas Iſraeliticis principibus videtur interdicta. Nihil enim ad rem attinet dicere, quod à Deo promiſſæ, à Deo donatæ ſint, omnes enim terrarum divitiæ Dei creatori; dona ſunt & improbiſſimi quique divites non aliis quàm Dei beneficiis gloriantur. Nihil in iſta dæmoni ſine ſupremi Domini imperio & facultate licet: Dei fuere Crœſi divitiæ, Dei Neronis opes: Artes quidem peſſimè quibus ſæpè conquiruntur, ad perverſam hominis conſcientiam ſpectant. At bona in ſe ſpectata de theſauris ſummi rerum conditoris effluunt. Quis neſcit dari malis? dari etiam ſæpè in pœnas? ſi quidem (ut ait S. Auguſt.) *Deus iratus dat amanti quod malè amat.*

Seneca de providentia, non ſunt divitiæ Dei bonã Itaq; habeat illas, & Ellius leno, nullo modo magis, poteſt Deus concupita traducere, quã ſi illa ad turpiſſimos defert, ab optimis abigit. c. 5

Nec refert quod regum hiſtoria tam magnifice Salomonis opulentiam narret, nõ enim probat omnia quæ deſcribit, alioqui & ſcelera ipſa quę ſæpè tam apparato ſtylo exprimuntur, commendari viderẽtur. Voluit inde fontes malorum aperire, quæ Salomonem obruêre: voluit in deſcriptione divitiarum initia prodere corruptelarum & calamitatum quæ poſtea conſecutæ.

Quòd ſi in veteri teſtamento bona quæ fortunæ vulgus aſcribit, mercedis divinæ locum obtinuêre, fatendum quidem illud de iis quæ innocenti labore quæſita, aut divina magnificentia oblata in inſtrumẽta virtutis Abrahamo, Iſaaco & Jacobo fuere, non quæ per avaritiam ad luxum alendum congeſta ſunt.

S. Auguſt. in Deut. q. 7. cenſet peccaſſe Salomonem in hac immenſa divitiarũ copia.

Itaque longè candidiùs S. Auguſtinus, quàm recentiores interpretes, aſſerit, Salomonem contra legem Dei egiſſe, tum in fœmimis, tum in auro & argento.

In eodem ſenſu eſt S. Gregorius Nyſſenus Homilia 4. in Eccleſiaſten, οὐκέτι πρὸς τὸ ἀνεύθυνον τοῦ συναγαγεῖν διάνοια φέρεται. *Mens congregandi nõ poteſt eſſe à culpa immunis.* Adjuvat etiam Procopius qui in eandẽ Deuteronomii legẽ ſupra memoratã ſcribens, tres ob cauſas à Deo latam cẽſet. Primò ne Reges opulentia freti, in ſumptus immodicos fræna laxarent. Secũdò ne vivaciore avaritia, ut ſæpè fit, ex affluẽtia creſcente, iniquis vectigalibus fiſcum augere ſtuderent. Tertiò ne humanis opibus innixi, divina præſidia contemnerent.

Conſentit in hoc Bechai, *ſi colligeret theſaurum auri & argenti, transferret in illum fiduciam, quam in* Deo *præſtat reponere. Deinde opes rectè aſſimilantur igni, ſi quis multiplicat ligna multiplicat flammas & ubi reditus ampliores, grandiores quoq; fiũt sũptus, quos divina lex voluit coërcere.*

Regis ſine opibus miſeria.

At dices ſi theſauros eripis regi, regem ipsũ ſibi eripis. Quid erit aliud rex pauper, quam ſpectrum miſerandi principis, quẽ cives derideant cui hoſtes inſultent, quem nudet egeſtas, & quem ubiq; calamitas comitetur? unde illi reditus? unde famuli? unde milites? unde munitę civitates? unde tectum? unde cibus & veſtis? unde in proſperis ornatus, in triſtibus perfugium? abdi ſatius in tuguria paſtorũ, in vepres & ſpinas, quam regẽ eſſe ſine fiſco, corpus ſine nervis, ſine anima & ſanguine. Quo nummoſior eſt, eò felicior & regis & populi ipſius conditio, cui aut alta pax, aut bellum felix, ingens fiducia, pavor nullus.

Quomodo reſolvenda quæſtio.

Ad hæc reſpondere facile eſt Deuteronomii legem non eripere divitias regi, ſed moderari, non vetat comparari theſauros ſed immanes vetat cogi. Hæc fuit divina mens, ut à rege ſuo ablegaret pompam, faſtum, luxuriam; voluit quippe, innocentia fretum, pietate venerandum, juſtitia tutum, & ſua protectione formidabilem. Si intra iſtos limites rex conſtitiſſet, nihil opulentius, nihil fortius.

Vaſtæ & immanes divitiæ non faciunt, ad Imperii, felicitatẽ

Errant qui per ingentes divitias, regni ſecuritatem, & felicitatem parari putant. Non ſunt hæc munimenta, ſed illecebræ, quæ prædonum manus invitent, quæ longinquas claſſes advocent, quę arma in ſuos lares, in ſua viſcera ſollicitent.

Herodotus in Clio.

Ὦ βασιλεῦ ἐπὶ ἄνδρας τοιούτους στρατεύεαι οἳ σκυτίνας μὲν ἀναξυρίδας φορέουσιν.

Nihil egentius, nihil miſerius illis hominibus, qui intra ſuos agros vident aurum naſci, cæteros paupertas à rapinis & ludibrio vindicavit. Nec inſcite Sandanides Cræſo arma in Capadoces moventi dixiſſe fertur apud Herodotum.

Scin tu Rex, adverſus homines coriaceos te expeditionem parare, quos ſi ſuperaveris quid eis eripies? ſin ab iis ſuperatus fueris, quot bonorum jacturam clades ea tibi allatura eſt?

Itaq; illi Coriacei à noxa immunes, noxam opulentiſſimis imperiis intulere, & gazas florentiſſimi orbis toties deprædati ſunt, quos natura patriæ, ab omnibus ferè nudos conſtituerat.

Quid tũ? ſentis igitur reges ad frugalitatẽ illam, quę in Deuteronomio pręcipitur, miſeriã nempè rumoris boni revocandos?

Status præſens Regũ vix aptari poteſt antiquæ frugalitati De iis ut de Adamo reſpondendum.

De iis ut de Adamo reſpondeo, ſi manſiſſet ille inter divini ſtatuta conſilii, in ipſa nuditate omnium hominum fortunatiſſimus extitiſſet. At poſtquam ferali plaga ſui ipſius peccati percuſſus eſt, tũ medicamẽta vulneri comparanda, tum fomenta & remedia undique conquirenda, non tantum veſtes inventæ, ſed animantes poſtea, Deo ita diſpenſante, in eſum homini datæ, non utique feliciorem facturæ ſed egentem atque infirmum proditur æ.

Pari ratione dico beatiſſimos principes cenſendos fuiſſe, ſi intra illum, quem Deus deſtinabat ſtatum, atque auream innocentiam fixo pede conſtitiſſent: ſed poſtquam in res mortalium, ſtatuſque imperiorum ſubingreſſa cupiditas, & dolus, & vis, & morbi ingentes, quærenda fuerunt ſubſidia, quæ languentibus indulgentia numinis ultro conceſſit.

Probantur in Ezechia divitiæ quæ in Salomone damnatæ.

Quamobrem, licet cum S. Auguſtino exiſtimem Salomonẽ peccaſſe, quòd nulla neceſſitate urgente, ſed laſcivia, & vanitate mentis, tam grandes divitias undique conquiſierit, non puto tamen Ezechiam & Joſaphatum erraſſe, imò valde laudabiles fuiſſe, quod jam immutata rerum facie & Deo priſtinum legis rigorem propter acerba tempora, hoſteſque plurimos regno imminentes relaxante, providè theſauros fecerint, quibus ſe ſuoſque adverſus ſubita rerum, & prædantium rapinas, tumultuſque bellantium munirent.

De Ezechia quidem ſic ſcriptura loquitur; *Fuit Ezechias dives, & inclytus valdè, & theſauros ſibi plurimos congregavit argenti, & auri, lapidis pretioſi, aromatum, & armorum univerſi generis, & vaſorum magni pretii, Apothecas quoque frumenti, vini, & olei. & præſepia omnium jumentorum caulaſq; pecorum, & urbes ædificavit ſibi. Habebit quippe greges ovium & armentorum innumerabiles, eo quod dediſſet illi Dominus ſubſtantiam multam nimis.* 2. Paral. 32.27.

Iſaias autem Propheta qui principis conſcientiam moderabatur, non arguit quod florentes gazas congeſſiſſet; ſed quod Babyloniis tumore ſpiritus, & libidine gloriæ, nimis facilis oſtentaſſet. Inde Paleſtinæ divitiæ aucupia fuerunt Chaldæorum, & Ægyptiorum regũ, à quibus toties ſpoliata, Reg. 4.20

liata,&tandem ſævo bellorum turbine fe-

Prov. 18. 11. raliter obtrita eſt. *Subſtantia divitis*, ait Sapiens, *urbs roboris ejus, & quaſi murus validus circundans eum.* Ex quo divitias oſtendit pro muro regibus, non pro inani oblectamento conceſſas.

Vnde parari divitias Deus voluerit. *Eccl. 2.* Unde autē parari Deus voluerit, ſatis in regū libris oſtendit, & primo quidē ex latifundiis,& magno agriculturæ ſtudio. Sic enim Salomō prędicat, *Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, & plantavi vineas,* & cętera. Deinde ex fodinis, nō tamē ut illic tot mortaliū animæ ſub jugo ſervitutis cōterāntur, ſed moderatè exerceātur. Ita ſine furto rapiuntur opes, quas in ſuo ſinu tellus reconditas habet, nullo crimine, aut oppreſſione populorum. Hanc artem Moſes indicabat, cùm Paleſtinæ feracitatem prædicans ajebat,

Deut. 8. 9 *Cujus lapides ferrum ſunt, & de montibus ejus, æris metalla fodiuntur.*

Commendabat quoque liber Machabæorum in Romanis. *Et audierunt quan-*

Macch. c. 8. v. 2. & 3. *ta fecerunt in regione Hiſpania, & quod in poteſtatem redegerunt metalla argenti & auri.*

Tertiò ex commercio populorum &

3. Reg. 10. v. 22. navigationibus: *Sic claſſis regis per mare cum claſſe Hiram ſemel per tres annos ibat in Tarſis, deferens inde aurum & argentum, & dentes elephantorum.*

Rom. 13. 6 Tandem ex tributis moderatis, nam & hoc Apoſtolus monuit, *ideo & tributa præſtatis miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſervientes.*

Tributorū, apud Iudæos ratio. Judæorum celeberrimus Maymonides ſcribit ad fabricam tabernaculi primum ſemiſiclum ſeu didrachma à ſingulis ephebis fuiſſe exactum, id poſtea in jus ordinarium ceſſit, & quotannis menſe Februario repetitum uſq; ad urbis & templi excidiū, & quia leve videbatur privato quotannis decē fermè aſſes fiſco pendere, nemo inde exemptus, exigebatur viritim etiam à ſacerdotibus, levitis, peregrinis, mercenariis, pauperibus. Ideo Chriſtus ſolvit pro ſe & Petro Matthæi 17. tandem everſa republica cenſus iſte à victore Tito, in Capitolium Romanum translatus.

DISSERTATIO
Septuageſima prima.

Quis fuerit ſtatus & ſplendor aulæ regiæ.

In illa verba. *Magnificatus eſt Rex Salomon ſuper omnes Reges terræ.* 3. Reg. 10. 23.

Moderatio primorum temporū. CERTISSIMUM illud eſt de mente divina fuiſſe, ut primis temporibus Judaici populi rectores ad modeſtiſſimū ſe ſe ſtatum componerēt. Quamobrem primò ſub judicibus fuere qui procul à pompa & faſtu dominantium, nomen ipſum utilitate publica mitigantes, amorem potius quàm terrorem ingenerare populorum animis ſtudebant. Statim verò ubi de rege creando placuit numini definire, illum ſeveris modeſtiæ legibus adſtrinxit, Deuteronomii 17. 16. 17. *Cumque fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos, nō habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus.* Intelligunt Hebræi de equis vacuis qui tantum ad voluptatem & ſpectacula otioſi, juxta neceſſarium equitatum deducuntur.

Luxus in equis prohibitus cur. Quatuor maximè ob cauſas multiplicari equos præceptum divinum vetuit. Primò quia magnatum ſolent in hac re potiſſimum luxuriare ſtudia, teſtis ille Olympicorum certaminum furor, teſtes Circenſium ludorum ſtrepitus, teſtes tot imperatores, qui fere divinos equis honores decrevere. Caligula *Incitato* ſuo

Suet. in Calig. 55. præ-

Digitized by Google

præter equile marmoreum, & præſepe eburneum, præterque purpurea tegumenta, ac monile è gemmis, domum etiam & familiam & ſupellectilem dedit quo lautius nomine ejus invitati acciperentur, conſulatumque traditur deſtinaſſe. Phidolæ equæ Elei ſimulachrum decreto ſanxere. Equos carnibus humanis Diomedes pavit. Cimon mortuos juxta ſepulchrum ſuum conſtitui voluit. Oppidum Bucephalo Alexander dedicavit. Quo igitur ab iſtis ineptiſſimis deliciis ſuos magiſtratus Deus ſevocaret, otioſam equorum multitudinem interdixit; ſed ablegatâ etiam hac inſaniâ, ſumptuoſum erat equos multos alere, unde & quia impenſas aulæ à ſe conſtitutæ modicas Deus eſſe voluit, abſtinere juſſit ab equitatu ſuperfluo, quo ſubditi gravarentur. Tertiam rationem addit Moyſes Nachmani, vetat equos multiplicare ſibi etiam è terra noſtra, etiam è terra Babylonica, ne ſcilicet confidat in equitatu ſuo, ſi multus eſt, aut in equitibus ſi fortes ſunt; ſed fiduciam ſuam habeat in ſolo Deo: inde canit ſanctus Pſaltes. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei noſtri invocabimus* Quartam ſubindicat textus ſacer. *non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Ægyptum equitatus numero ſublevatus*; ſatagebat quippe ſapiens legislator Hebræos à convictu gentium, maximè verò Ægyptiorum qui periculoſiſſimus erat abſcindere. Bechai tamen putat temporariam hanc prohibitionem fuiſſe, recenti poſt exodum tempori accommodatam, quia tunc Ægyptii erant notoriæ & propalatæ impietatis. Nam poſtea in Ægypto ſynagogas ſancti etiam Iſraelitæ habuere, quas omnis ævi ſapientes tolerarunt Maymonides ſignantiùs etiam diſtinxit, *licet in Ægyptum reverti propter mercimonia, vel ut ſubigatur bello, at immerſum ibi diutius manere nefas eſt.*

Pſal 16.

Equi quoque vetiti propter Ægyptũ, & de cõmercio Iudæorũ cum Ægyptiis.

Deut. 17. c. 16.

Amor patriæ in Iudæis.

Tantus autem erat amor patriæ in Judæis, ut eodem atteſtante, ſi quando pulſi illuc redirent, oſcularentur limites, baſiarent rudera, in illius pulvere ſe volutarent, credentes peccata remitti omnibus, qui in ea morerẽtur, dignos vita æterna qui quatuor tantùm ulnas in ea deambularent, inſtar magnæ felicitatis æſtimabant ibidem ſepeliri, vel pugillo illius pulveris poſt fata conſpergi.

Luxus circa fœminas interdictus curt

Pergo ad ſecundum articulum legis regiæ in Deuteronomii decimo ſeptimo capite conſtitutæ, *non habebit uxores plurimas quæ alliciant animum ejus.* Peſtiferum ſic aulæ malũ avertit numeroſa Gynecæa, & ſolutos fœminarum greges. Quid enim in deliciis mollius? ſumptuoſius in impenſis? quid feracius rixarum? quid funerum fœcundius? Unam regere ſatis plerumque operoſum: quid efficient multæ blanditiis, technis, pellacibus conſiliis, & zelotypis amoribus? Una ſtatum mundi evertit, res aularum quomodo ſuſque deque vertere plurimæ non poterunt? His facibus Sardanapalus præluſit incendio, quo cum tota regia feraliter abſumptus. A mulieroſo rege una nocte everſum, quod per tredecim ſæcula ſteterat imperium. Inde ad barbaros idolorum cultus, ſtupendâ omnibus ruinâ, Salomon lapſus, de theſauris Dei & Domini, Columnas & altaria, Chamos, Aſtarot, & Melchom ædificavit. Inde Samſon ex ferreo cereus evaſit. Inde Antiochus deus mutatus in belluam. Inde cruentatum ſanguine Adoniæ Davidis ſolium.

Ipſi qui toties calcati orientis victores fuere Saraceni, numquam magnos in Gynecæis Regis aluere, qui in tam vagam venerem proni, ſocordiâ conſenuere Quot ex hoc incendio flammæ, quot diſcordiæ,

quot

Digitized by Google

quot imperia muliebria Deinde non pudor eſt generari, quos fratrum gladijs immani lege crudelitas immolet.

Deut 17, c.v.17. Numerus vxorum qui apud Hebræos Reges. Benè igitur in iſtis cavit divina mens, ut Rex *non haberet vxores plurimas, quæ allicerent animum eius.* Rabbini determinare numerum voluere, conceſſis octodecim ſatis prolixa luxuria; ſed levi & garrulo ut ſolent fundamento.

Dicunt enim Davidem ſex primum conjuges habuiſſe, deinde illi à Deo dictum fuiſſe, *ſi parum eſt, addam tibi ſicut illa, ſicut illa,* qua voce repetita, ſex per tria multiplicari contendunt. Hæc autem inferunt ex verbis Prophetæ Nathan ad

2. Reg. 12.8. Davidem. *Ego erui te de manu Saul, dedi tibi domum domini tui, & vxores domini tui in ſinu, dedique tibi domum Iſrael & Iuda, & ſi parva ſunt iſta, adiiciam multo maiora. Quare ergo contempſiſti præceptum Domini, ut faceres malum in conſpectu meo?* Plusquam œdipum eſſe oportet, ſed inſulſum Vatem, qui inde coniecerit Davidi octodecim coniuges fuiſſe promiſſas.

Luxus circa ſatellitium & miniſtros. De ſatellitio autem & miniſtris, haud dubium quin Rex quos vellet, aſſumeret, ita tamen ut nec paucitate Principem nudarent, nec numeroſitate faſtum proderent. Maymonides in Reges hoc ſatis apertè ſignificavit. *Emittit in omnes Provincias Iſrael, & conquirit à populo fortiſſimos quoſque, & militares viros quos adiungit curribus, & equitatui ſuo, conſtituit aliquos qui coram ſe ſtent, alios ordinat qui antè ſe currant.*

Circa ædes, aulæa, veſtes, gemmas, picturas. Nulla autem hic mentio ſuperbarum ædium apud Architectonicæ artis tum ignaros, nulla veſtium, aulæorum, picturarum, gemmarum, & tam numeroſæ ſupellectilis, quia tum hæc ignorari magis quàm vetari Deo placuit. Salomon primus omnium paſtoritias ferè Saulis, &

Salomon ſplendorem & delicias in Regnum Dei primus invexit. Davidis aulas in immane decus evexit: nam ut ait ſacra hiſtoria. *Erat in ditione ſua habens omnia Regna à flumine terræ Philiſtim, uſque ad terminum Ægypti offerentium ſibi munera.*

Reg 3. cap. 4. 21. Menſæ eius & Profuſio in omnibus contra Dei legem. Menſæ illi tam pingues, ut videretur cælo, terræ, & mari, graue & internecinum bellum ad inertiſſimi ventris saginam indixiſſe.

Is ipſe qui ex libro Deuteronomij à ſe deſcripto audiebat numeroſos equitatus prohiberi, adeò in hanc inſaniam exarſit, ut haberet quadraginta millia præſepia, equorum currilium, & duodecim millia equeſtrium, nutriebantque eos Regis præfecti: ſed & neceſſaria menſæ Regis v.26. Salomonis, cum ingenti cura præbebant in tempore ſuo.

Is ipſe qui de coniugibus non multiplicandis præceptum acceperat, adamavit mulieres alienigenas multas, Moabitidas Ammonitidas, Idumæas, Sidonias, Hethæas, Ægyptias, fueruntque ei vxores quaſi Reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ.

Regias ſibi æſtivas & hyemales inde extruxit magnificentiſſimas de quibus ſacer textus, *domum autem ſuam ædificavit tredecim annis, & ad perfectum uſque perduxit, ædificauit quoque domum ſaltus Libani, & quatuor deambulacra inter columnas cedrinas.* 3. Reg. c. 7 v.1. & 2.

Addita ſuppellex exquiſitiſſima, quæ in eodem libro cenſetur his verbis: *ſed & omnia vaſa, quibus potabat Rex Salomon,* erant aurea, & universa ſupellex Libani de auro puriſſimo. Non erat argentum, nec alicuius pretij putabatur in diebus Salomonis.

Thronum præterea fecit, viſendo opere, & ſæculis omnibus ſtupendo, quem cætera Regna ſemper mirarentur, numquam æquarent. 3. Reg. Ca. 10. v. 24.

Atque ubi ad Ophir aperta navigatio,

inde

Digitized by Google

inde Gazæ advectæ innumerabiles, deferebant ei quoque munera, vaſa argentea, & aurea, veſtes, & arma bellica, aromata quoque, & equos, & mulos, adde pavos ſimias, ebur, gemmas, & ligna pretioſa & tum de comitatu infert. *Congregavit Salomon currus, & equites, & facti ſunt ei mille & quadringenti currus, & duodecim millia equitum.*

3. Reg. 10. v. 27. Ad ſummum fecit, ut *tanta eſſet abundantia argent. in Hieruſalem, quanta & lapidum.*

Stupendum certe an miſerandum, quod Salomon quaſi alter Tantalus, in medijs aquis ſitiens, populatore luxu omnia depaſcente, converſus tandem ad rapinas, etiam miſellæ peculio plebis infeſtus fuerit.

Non mirum ſi perierit, qui ſecum habuit tot funerum inſtrumenta.

Senſus & verba quæ auro penſari non poſſint. Pulcherrimè Saluſtius in oratione ad Caium Cæſarem de republica ordinanda. *Sæpè ego animo reputans, quibus quiſque rebus clariſſimi viri magnitudinem inveniſſent, ac deinde quibus cauſis, ampliſſima regna & imperia corruiſſent, reperiebam omnes victores divitias contempſiſſe, ac victos cupiuiſſe; neque aliter quiſquam extollere ſe, & divina mortalis attingere poteſt, niſi omiſſis pecunijs, & corporis gaudijs, animo indulgens, non aſſentando, neque concupita præbendo, perverſam gratiam gratificans; ſed in labore, patientia, bonisque præceptis, & factis fortibus exercitando.*

* * *

DISSERTATIO
Septuageſima Secunda.
De Maieſtate & veneratione Regis.

In illa verba. *Adeſt Nathan Propheta, cumque introiſſet in conſpectu Regis & adoraſſet eum pronus in terram.*
3. Reg. c. 1. v. 23.

Regni Salus & tutela, majeſtas eſt Regis, quem ut immortalem colere mortales debent. Præclariſſimè enim dixit Ecphantes libro de Regno. *In terra optimus quidem inter cæteras animantes eſt homo, diuiniſſimus autem Rex, ſimilis quidem corpore reliquis hominibus, ſed coeleſtem referens authoritate virtutem; Deique imaginem repræſentans qui eum mirificè produxit Archetypo uſus ſeipſo.* *Regis dignitas magnificè expreſſa.*

Itaque præcipuè apud Hebræos maieſtas Regis curæ fuit, quem ſacro delibutum vnguento ſacerdotali affinem ſanctimoniæ coluere.

Cunæus libro de republica Hebræorũ. Regis inſignia poſt captiuitatem etiã ſancta. Honor Regum. Tanti apud eos Regia fuere inſignia, ut deletis etiam Regibus per captivitatem Babylonicam, ſi quando maiorum cõſeſſus haberetur coronam & ſceptrum de aulæ lacunari ſuſpenderent, illiſque honorem haberent, veluti mortuæ dignitatis vmbram venerati. Inde Maymonides ſcribit. *Honorem maximum Regi deferunt, tribuentes ipſi toto pectore reverentiam, & venerationem: ſi quidem ſcriptum* Deuteron. 17. *ponendo pones ſuper te Regem, ſcilicet ut terror eius ſit ſuper te,* ſicut pavor Adami ſuper cætera fuit animalia. Addit verò *omnes populi veniunt tempore quo ipſi placuerit, ſtantes coram illo, & adorantes verſus terram.*

An Pontifices & Prophetæ Regem adorarint. An Pontifices quoque & Prophetæ hoc fecerint quærunt Scholiaſtæ, & reſpon-

pondent Regem quidem in divinis, cùm oraculum conſuleret, coram Pontifice ſtetiſſe, ob reverentiam Vrim & Thumim in cæteris vice verſa Regi Pontificem cultum detuliſſe,

De Prophetis quidem Viris, notum etiam ex libro 2. Regum, ubi Nathan adorat Davidem, *pronus in terram*, nec de minoribus etiam Pontificibus dubium. At de ſummo ſacerdote alia quæſtio eſt, de quo idem Maimonis filius. *Summus ſacerdos numquam accedit ad Regem niſi voluerit, nec ſtat coram eo: ſed potius Rex ſtat coram Pōtifice, ſicut dicitur Numerorum 27. v. 20. Coràm Eleazaro ſacerdote ſtabit: quamvis alias præceptum ſit Pontifici, honorare Regem & aſſurgere advenienti. Non enim ſtabit Rex corã illo, niſi quando conſulit iudicium lucis.* Ita planè Sichardus qui fideliùs Maymonidem reddidit quàm Cunæus lib. 1. c. 14. qui ita ex ſenſu ſuo ſcribit. *Sanctum fuit uti Pontifex maximus Regem veneraretur, & locum illi ſuum ad ſedendum cederet, atque ipſe ſtaret ſi quando veniret ad eum Rex.*

Alia quæ Regis eminentiam commendant. Seſſio in atrio.

Multa autem alia ſunt quæ Regis eminentiam commendant, atque imprimis ſeſſio in atrio, de qua Maymonides cap. 2. in *Halacha Melachim*, & in cap. 7. *Hal Beth Habbechira*, nulli fas fuiſſe, in toto templi atrio ſedere, præterquam Regi qui ex familia Davidis eſſet. *Si intret atrium*, inquit *& ſit de familia Davidis, ſeſſio ei ſit.* Erat quidem atrium certis ſpatijs diviſum, ut pars hæc ſacerdotibus, illa populo eſſet aſſignata; ſed tamen conceſſum ſibi locum nō aliter ſacerdotes quàm ſtantes tenebant: quod ſi magni Synedrij ſenatoribus ſedendi ius fuit, non iſtud quidem ſibi vendicabant in atrio ſacerdotum, ſed in medio eius loci qui promiſcuum vulgus capiebat. At ſacratiora atrij ſpatia, neminem ſedentem niſi Regem aſpexere, ingredi verò in ſancta ſanctorum ſoli Pontifici reſervatum.

Cunæus lib. 1. de Republica Hebræorum.

Cura de ſacris moderata & decens.

Alterum eſt quod eius curæ incumbebat, ut ſacerdotes & miniſtri ſua munia placidè obirent, ſecundùm datas à Moſe leges, nec omitterent quæ ad decorē domus Dei, ſacra & cæremonias, attinebant. Vnde & Rex Ioas vocavit Ioadam Pontificem & ſacerdotes, quæſiuitque ab eis, quare ſarta tecta non inſtaurarent templi, prohibuitque ne amplius acciperent pecuniam iuxtà ordinem ſuum, ſed eã ad inſtaurationem templi redderent. Tum Ioadas Pontifex tulit Gazophylacium vnum, apertoque deſuper foramine poſuit illud iuxta altare, mittebantque in id ſacerdotes omnem pecuniam quæ deferebatur ad templum Domini: impleto demum Gazophylacio, aſcendebat ſcriba Regis, & Pontifex, effundebantque & numerabant, ut ijs qui præerant operibus templi, iuxta numerum & menſuam traderent.

Reg. 4. c. 12. v. 8. & 9.

Non tamen Rex religioni & cæremonijs præfuit.

Hæc erat civilis functio, quæ à regis officio nullo modo erat aliena. At verò tolerandum non eſt, quod annotat Cunæus iam citatus libro 1. de republica Hebræorum cap. 14. p. 87. *Reges non modo res civicas domi militiæque moderatos, ſed religionibus etiam & cæremonijs præfuiſſe, ita vt ſacrorum ſumma poteſtas, & iudicium penes illos fuerit. Miniſterium & curatio tantum Pontificem & Sacerdotes ſpectaret.* Imò ex toto Pentateucho conſtat ſupremam authoritatem in divinis maximo Pontifici fuiſſe delatam, & multa illum ex munere feciſſe, quæ nec rex, nec ipſi ſacerdotes facere poterant. Solus ille ſemel in anno ſanctuarium introibat, ſolus ille publicam expiationem totius populi ſuſcipiebat. Solus conſecrabat Levitas, & ſacerdotes. Solus in controverſiis legalibus, de ſummo ſuggeſtu pronunciabat, eiuſque ſen-

Pontifici ſumma authoritas in divinis.

Eius privilegia. *Hebr. 9. 7* *Levitic. 16.* *Exod 19.* *Levit. 8.* *Num. 8.* *Deuter. 17. 8.*

Digitized by Google

ſententiæ acquieſcere omnes, indictâ etiam contumacibus capitis pœnâ cogebantur. Solus in rebus gerendis, quæ maioris erant momenti, Deum conſulere, & ab eo reſponſum accipere poterat.

1. Reg. 13. 9. 2. Paralip. 26.

At reges nec incenſum adolere, nec victimas offerre poterant, ut ex Saulis & Oziæ regis hiſtoria notum eſt. quamquã hoc minoribus etiam ſacerdotibus fuit familiare.

Gravis Cunæi error.

Surrepit tamen nobis Cunæus per cuniculos, & larga manu omnem ſacrorum regibus Hebræis poteſtatem concedit: *Quid quod ipſe David* (ait) *quem pridem antea Vatem & Regem fecerat, adeo veritus non eſt, ſummi Pontificis decus vſurpare, uti ſacrũ eius amiculum, quod Ephod appellant, indueriт ſibi, ac mox quæſiuerit ex numine, an auſpicato educturus copias in hoſtem eſſet.*

Cunæus lib. 1. De Republica Hebræorum 88.

David non vſurparit munus Pontificis.

1. Reg. 30. 7.

Deceptus eſt ambiguitate verbi in eo textu, ubi David ſciſcitari cupiens an hoſtes perſequi deberet, ait ad Abiathar ſacerdotem *Applica ad me Ephod, & applicauit Abiathar Ephod ad David, & conſuluit David Dominum.*

Ad hæc Cunæus, *locus ille illuſtr ... in commentarijs Samuelis, quem omnino peuerterunt nuper interpretes, viri hercle eruditiſſimi, ſed qui hic dormitauiſſe, aut egiſſe aliud videntur. Iudices ego eos omnes fero, qui vel leuiter has literas attigerunt.*

Mallem ipſe dormitaſſet, quàm tã præpoſterè vigil fuiſſet, in tam levi enarratione proferenda, quæ piorum omnium & eruditorum ſenſibus adverſatur, ſcilicet David tam prudens, tam religioſus princeps, detractam ſummo Pontifici veſtem indueret, & eo præſente rem ſacram faceret?

Quis hoc ita concipiat, quis hoc aſſerat niſi religionis parum intelligens aut inimicus? Nimis hæc diſcreyit Deus, nimis inquam. Pontifices à Rege diſtinxit, nec fruſtra tam operosè habitum Pontificis ordinaſſet in ſacris, nullâ Regis hic factâ mentione, ſi Regibus communem eſſe voluiſſet. Vbi hoc præſcriptum? Vbi auditum? *in illo*, inquit, *loco applica ad me Ephod, & applicavit Abiathar Ephod ad David. Ad me?* hic eſt *pro me in meam rem, in meam vtilitatem.*

Exod. 8.

Quod autem conſuluiſſe David Dominum dicitur, ita accipiendum, quod dubium ſacerdoti propoſuerit, ad Dei oraculum per ſacerdotem ipſum referendum, cuius operâ & voce reſponſum eſſet accepturus. Ita ſanè utrumque locum explicat peritiſſimus ſacrarum literarum Alphonſus Toſtatus, qui vehementer explodit illam ſententiam, quæ habitum Pontificis Davidi tribuit.

Toſtatus in eum locum.

At dices quid tam præpoſterum ſi David Ephod geſtaverit, cùm ſcriptura manifeſtè illi conceſſerit ſecundo Regum? *David ſaltabat totis viribus ante Dominum, accinctus Ephod lineo.*

1. Reg. 30. 7. 2. Reg. 6. 14.

David an Ephod induerit.

Bene reſpondet Beccanus noſter Analogiæ cap. 7. duplex fuiſſe Ephod, ſeu ſuperhumerale in veteri teſtamento. Vnum cõtextum ex auro, purpura, hyacintho, cocco bis tincto, è byſſo retorta. Alterum ſimplex, lineum, candidum: priori ſolus Pontifex utebatur, poſteriori etiam alii. Ita S. Hieronymus epiſtola 127. ad Fabiolam, & epiſtola 130. ad Marcellam.

Nil deperit venerationi Regum, ſi quod ſacerdotum eſt, relinquant ſacerdotibus habent ipſi propria dignitatis ornamenta quibus mirum in modũ fulgeant, ipſum nomen ſacrum eſt, & poteſtas inviolabilis, unde & ſolo verbo lædere Principes populi capitale apud Hebræos fuit, ſi quidem ſcriptum Paulo atteſtante, *principem populi tui non maledices.* Nec alia Nabuthẽ ſceleſtior calumnia perdidit, quàm quòd Deo & Regi maledixiſſe perhiberetur.

Actor. 23. v. 5. 3. Reg. 21. toto cap.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO
Septuageſima tertia.
De lenitate Imperij Iſraelitici.

In illa verba. *Et venerunt univerſæ tribus Iſrael ad David in Hebron, dicentes: Ecce nos os tuum, & cara tua ſumus. Dixit autem Dominus ad te, tu paſces populum meum Iſrael. Reg. 2. cap. 5. v. 1. & 2.*

Consilii divini fuit, Regnum quod ipſe conſtituebat, humaniſſimis tẽperare legibus, & ſummam potentiam ſumma clementia moderari, patet iſtud ex arcano Dei cum Moſe colloquio. *Cur impoſuiſti pondus univerſi huius populi ſuper me? nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum. Unde mihi carnes ut dem tantæ multitudini? Impoſuiſti pondus univerſi huius populi ſuper me*, ait ſcriptura, ut intelligant Reges ſe à Deo conditos, non ut populos premant pedibus, ſed humeris portent. *Nunquid ego concepi vel genui, ut dicas mihi: porta eos in ſinu tuo?* *Numer. 11. 12. 13.*

Intelligebat igitur Moyſes hoc exigi à ſe, Deo ita præcipiente, ut ſubditis ſuis inſtar matris, & gerulæ eſſet, *unde mihi carnes ut dem tantæ multitudini?* Principem factum ſe eſſe audiebat, non ut aliena pro arbitrio invaderet, ſed ut largiretur ſua.

Reges Beneſici dicti. Ideo reges Chriſto atteſtante dicti olim εὐεργέται benefici, quòd eorum eſſet opes, & beneficia largiri.

Lucæ. 22. 25. Iſaiæ. 3. 7. Vnde ille quem in thronum rapere populi feſtinant, clamat reluctans apud Iſaiam Prophetam: non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum, nolite me conſtituere principem populi.

Itaque inter cætera quæ de rege futuro Moyſi Deus præcepit poſt divinum cultum ſtatim ſubjicit: *non elevetur cor eius in ſuperbiam, ſuper fratres ſuos.* *Deuter. 17. v. 20.*

Hoc in Saule ſtatim ſe prodidit nondum aulæ venenis infecto: erat enim infantis in eo benignitas, nec à paſtoralibus curis aliena vita, cùm legati gentium deprehenderent regem de agro redeuntem, boveſque ſequentem ut antea, omni faſtu regio procul ablegato.

At poſtquam dira regnandi percitus zelotypiâ, alienæque impatiens virtutis, ad ſævas artes deflexit, factus ex paſtore lanius, tyrannus ex rege. *1. Reg. 11. 15.*

Quid verò Davide lenius, quem ſic interpellant cives, *ecce nos os tuum, & caro tua ſumus*, hoc eſt quod Adamus de Eva pronunciavit. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, ut & intelligant reges populi Dei, ſe ſubditos quaſi in coniugium aſſumere, & ſincera fide deſponſare quos regant non ut mancipia, ſed ut viri amicabiles ſuas vxores ſolent. Dati ſunt in adiutorium ad multiplicandum regnum, his ut oculis, ut manibus Rex vtitur. Ex ſuo labore & ſua induſtria dotem afferunt amplas pecunias, opes immenſas, quibus imperii robur, & ſplendor mirificè paratur: has autem in grandis illius familiæ utilitates diſpenſari par eſt, non intempeſtivis largitionibus effundi. Adpunt legati illi, *Dixit autem Dominus ad te, tu paſces populum meum Iſrael.* Rex factus non recedit à paſtore, cuius nomen & munus vſurpat. Placuit Deo hæc comparatio paſtoris ad regem, qui Ioſephum à paſtoritia vita, ad tractandà regni Ægyptiorum gubernacula traduxit. Nec aliter Moſen tantis imperiis & curis præfecit, quàm paſtorum diſciplina diutiſſimè

Geneſ. 2. 23. *Populi dati Regi velut in coniugium.* *2. Reg. 5. v. 2.* *Gubernatores à Paſtoritia vita ſeligi Deus voluit, vt inſtar paſtorum populum regerent.*

Digitized by Google

Matth. 9. 36. mè eruditum. Hæc Chriſti maximi omnium regis mens & ſenſus, *videns turbas miſertus eſt eis quia erant vexati & iacentes, ſicut oves non habentes paſtorem.*

Quomodo olim expreſſa Chriſti imago. Itaque Dominus olim in ſacris calicibus expreſſus, non fulmina iaciens, non leonina pelle amictus, non terrorum ſimulachris imbecilli populo illudens, ſed paſtoris habitu, ut notat Tertullianus, libro de pudicitia, *ubi eſt ovis perdita à Domino requiſita, & humeris eius euecta? procedant ipſæ picturæ calicum veſtrorum, ſi vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius : & cap 10. Paſtor quem in Calice depingis.* Quo pacto autem paſcere populos reges debeant, diſcimus ex pſalmo. 77. v. 72. *pavit eos in innocentia cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarum.* Hæc prima lex ut innocentiam, atque probitatem Rex habeat, intimis ſenſibus inditam, deinde ut intelligentes faciat manus, quod ipſe ſenſerit promens operibus; ſi quidem docere factis, ſola norma doctrinæ.

Tertull. libro de pudicitia cap. 7.

Reges quomodo paſcere debeant.

Tertull. lib. 2. contra Marcionem c. 4. *Dixit Deus: fiat & factum eſt, ut tibi totus Deus commendaretur dicere, & facere,* [ait idem Tertullianus.)

Atque ut paſtores impendunt gregibus alimenta, protectionem, directionem. Ita navis principibus incumbit curare diligenter, ut quæ ad vitam civilem tuendam ſunt neceſſaria, commodè ſubditis affluant: ideo tradunt Hebræi, Regum Hebræorum imagines in menſa panum propoſitionis fuiſſe inciſas, quo diſcerent munus ſuum eſſe, vigili ſolertia providere plebi nutrimenta, commeatusque neceſſarios. Hanc ſtatim curam conſequitur protectio à violentia externorum, internorumque iniuſtitia, quam inſinuare moderantibus ingenioſo exemplo ſatagebat gens Dei, cum ex more natis primùm regibus arbores velut illis coæuas plantabat, & quibus iam adultis, illis quoque thronos regios fabricaret, & iſtud quidem non tantum ut regibus, *dies arboris*, hoc eſt vitam admodum prolixam apprecarentur, ſed ut ipſos quoque monerent arbores imitari, quæ viatores & foliis tegunt, & fructibus nutriunt.

Imagines Regum in menſa panum propoſitionis ex traditione Hebræorum.

Notabilis conſuetudo in nativitate Regum Notarius lib. 4. ex Thargum.

Ne verò in amœna vitæ, ſaginamque corporis mens propendeat, coronat opus Regum directio, quæ rigida in cervicoſos, lenis in manſuetos eſſe præcipitur. Ideo monebat Propheta, *& aſſumpſi mihi duas virgas, unam vocaui decorem, & alteram vocavi funiculum.* Nempe Chriſtus ipſe qui tanta ſuavitate paſcebat humiles, fecit quaſi flagellum de funiculis ut ſacrilegos coerceret. Pœnam habeat neceſſitas, ſed manſuetudinem ſervet voluntas. Nam ſcriptum, *miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementia thronus eius.*

Zachar. 11. 7.

Ioan. 2. 15.

Proverb. 20. 28.

DISSERTATIO
Septvageſima Quarta.
De iuſtitia Iſraeliticorum Regum.

In illa verba. *Dabis ergo ſeruo tuo cor docile ut populum tuum iudicare poſſit, & diſcernere inter bonum & malum.*

3. Reg. 3. v. 9.

NON alio fine conſtitutos ſibi reges Hebræi exiſtimarunt, quàm ut adminiſtrarent iuſtitiam, & bella gererent: ſic enim inſtant, Regem à Samuele poſtulantes, *Rex erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes gentes : & iudicabit nos Rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis.* 1. Reg. 8. v. 20.

Itaq; conceptis votis orabant, ut dirigerentur omnia opera eius ad honorem Dei ut omnis eius intentio, & cogitatio incum-

Votum Hebræorum pro Rege.

incumberet in id, ut exaltaret legem veram, repleret mundum iuſtitia, confringeret brachium improborum, & prælia retur prælia Domini.

Valentinus in pentaglotto: Cur in throno Salomonis leones;

Prima igitur circa iuſtitiam cura, quã non molli, & ignava manu reddere ſatagebant, qui modò Regnum ſuum curabant glorioſis facinoribus illuſtrare, idcirco ut notavit Valentinus, leones erant in throno Salomonis effata quædam iuſtitiæ geſtantes, ut à fortibus coli, à fortibus vindicari hanc virtutum Reginam demonſtrarent.

Nec inſcitè Rabbini referunt, regi primùm thronum conſcendenti, ad ſingulos gradus qui ſex erant, variis ſapientiæ monitis acclamatum, ad primum, *iudicium non inclinato*. Ad ſecundum, *perſonam non reſpicito*. Ad tertium *munus non accipito*. ad quartum, *noli plantare lucum*, ad quintum, *noli erigere ſtatuam*, ad ſextum, *ne mactato bouem*.

Rex primum in thronum conſcendens quibus monitus acclamationibus.

Penes Regem ſumma iuſtitiæ authoritas.

Tria hæc ſuprema monet, ut idololatriam, & ſacrilegos gentium ritus toto pectore devitet, qui religionem primam, & maximam iuſtitiæ partem ergà Deum violare poterant.

Nec dubium quin ſumma iuris poteſtas penes regem eſſet, à quo vis & authoritas in adminiſtros emanabat, dubitant tamen, an Rex haud communicatâ cum magiſtratibus voluntate, & ſine iudicii formulis, potuerit iuſſu ſuo homines interficere. Affirmatiuam inſinuare videtur Amalechitæ exemplum, qui cum Davidis dignitati favere ſe putaret, ſi Saulem ſua manu interfectum gloriaretur, hanc ſibi audaciam aſſumpſit, & ſpe mercedis, & libidine gloriæ. At rex non ferens hominem, cruore Regio, ſuâ ipſius confeſſione pollutum, ſtatim eum ab uno ex ſatellitibus ſuis interfici imperavit, *irrue in eum, qui percuſſit illum, & mortuus eſt*.

An iuſſu ſuo potuere ſine formulis iudicij occidere; 2. Reg. 1. 15.

Maymonides de ſynedrio

Sed Maymonides apertè ſignificat illud exemplum eſſe extraordinarium, nec unquam in ius commune trahenda eſſe, quæ certis temporum & perſonarum circumſtantiis ſunt conſtricta.

Primùm enim agebatur de homine in flagranti homicidij ſcelere, ut ipſe fatebatur, deprehenſo. At homicidas, ut idem author ſcribit, ſine ulla præuia diſſertatione, teſte vnico, & ubi propalata res in hominum oculis, ſæpè nullo, de medio tollere ſuis imperijs Rex licitè poterat.

Deinde non de qualibet hic perſona diſceptabatur, ſed de Regia, de Saule, quem licet magnis criminibus obſtrictũ, propter ſanctitudinem dignitatis violari nullo modo oportuit.

Tertiò aliter Reges paludati, aliter togati iudicabant, multa crimina quæ lentius in vrbe, & in toga fuiſſent examinata, in procinctu, & in acie, ſubitaneo iudicio vindicabantur, quia tunc tempora non permittunt, multa pernicioſi exempli facinora, per cunctantes & otioſos iudicari.

Sed tamen etſi nullum aliud crimen extaret, in Principis poteſtate fuit, Regiæ voci obtrectantes, iuſſuſque illius vel contemptu, vel ſocordia negligentes, morte præcipiti ſine aduocato conſilio mulctare, quod acutiſſimus Hebræorum Maymonis filius, ſuis in Reges commentarijs non omiſit. Sic enim ait, *quicumque rebellat contra Regem Iſrael, in eum Rex poteſtatem habet interficiendi, etiamſi leue præceptum fuerit, verbigratia mandauerit cuidam è plebe ut abiret, in hunc vel illum locum, is vero non abierit, aut prohibuerit, ne domo egrederetur, is vero egreſſus fuerit, hi mortis rei ſunt, ut ſi modo Rex velit, nec clementiam iuri ſuo præferre malit, eos occidere poſſit.*

Hoc

Digitized by Google

Ioſue 1.18.

Hoc ex iure dato Ioſue à Domino, inſerunt, *quicumque contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis ſermonibus quos præceperis ei, moriatur.*

Magna cautio in cæde hominis.

Cauebant tamen boni principes, ne in pœna mortis inferenda, iudicium præcipitarent, quod apud Iudæos ſumma eſſet cautio in homine occidendo, ut idem Maymonides diſſerit.

Scitote (inquit) quòd multæ pecuniariæ à capitalibus iudiciis multùm differant: illic enim homo ſuas tantum facultates expendit, ut abſoluatur: hic vero cruorem ſuum, à quo tota ipſius poſteritas dependet, uſque ad finem ſæculorum unde in hiſtoria Caini iuxta Hebræos dictum eſt plurali numero, *ſanguines fratris tui clamans*, hoc eſt cum eius ſanguine ſanguis filiorum eius, & nepotum, quorum generationes in hoc homicidio intercepiſti.

Fora & iuriſdictiones Hebræorum.

Quamobrem ſapienter eſt inſtitutum, ut Rex fora haberet & iudicia, in quibus de hominum fortunis diſceptaretur.

Primum fuit magnum illud ſynedrion virorum 72. de quo ſecunda quæſtione, dixi, ad res maioris momenti tractandas inſtitutum.

Præter illud duo minora fuere Hieroſolymis, quorum unum ad portam atrij fuit, alterum verò ad portam quæ aditum aperuit ad montem templi. Vtrumque viginti tres viros habuit, qui de privatorum negotiis, & delictis tractarent.

In ſingulis quoque Paleſtinæ oppidis, aliquis conſeſſus iuri dicundo, rebuſque decernendis conſtitutus erat: in pagis trium virorum collegium, qui has vices obirent.

Levitici c 19.15. Quod iudicibus commendatum;

Omnibus autem lex iſta ſummopere commendata. *Non facies quod iniquum eſt nec iniuſte iudicabis, Nō conſideres perſonam pauperis nec honores vultum potentis, iuſte iudica proximo tuo.*

Iudicia ciuilia quæ;

Erant autem iudicia civilia; qualia de termino moto, de rebus amiſſis, de aberrantibus pecudibus, de fructuum collectione, de contractibus, de mutuo, de pignore, de fœnore, de venditione, de commodato, de depoſito, de coniugiis, de hæredibus, quæ omnia lex Dei fusè proſequitur in pentateucho.

Criminalia.

Alia verò criminalia, in quibus Rex per ſe ſuoſque iudices naviter inſudare debuit, ut de Regno Dei omnes facinoroſos exturbaret.

In hoc numero erant primum idololatræ.

Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino ſoli. *Exod. 22.20.*

Secundò divini incantatores, pſeudoprophetæ, magi, aruſpices, arioli.

Non declinetis ad magos, nec ab Ariolis aliquid ſciſcitemini, ut polluamini per eos, ego Dominus Deus veſter, nec inveniatur in te qui Ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia, atque auguria, nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones conſulat, nec divinos, nec quærat à mortuis veritatem. *Leuitic. 19 31. Deut. 18.11.*

Tertiò blaſphemi. *Educ blaſphemum extra caſtra. & ponant omnes qui audierunt, manus ſuas ſuper caput eius, & lapidet eum populus uniuerſus.* *Levitici 24.14.*

Quartò homicidæ, *qui percuſſerit & occiderit hominem, morte moriatur.* *Leuitici 24 17.*

Quintò adulteri, *ſi dormierit vir cum vxore alterius, uterque morietur, ideſt adulter & adultera.* *Deuter. 22.22.*

Sed & fornicatio vetita, *non erit meretrix de filiabus Iſrael.* *Deuter. 23.17.*

Et nefariæ contra naturam libidines graviſſimis ſupplicijs caſtigatæ.

Ne polluamini in omnibus his, quibus contaminata ſunt univerſæ gentes. *Leuitic. 18.24.*

Sextò ſacrilegi, fures, falſi teſtes, & quo-

Digitized by Google

quocumque modo hominum facultatibus,& famæ injurii, ut habetur Joſue 7. Exodi 22. Deuter.19.

Fuit hoc Regis munus, per ſe ſuoſque miniſtros, has humani generis peſtes perſequi,punire,extinguere

Inde ſapientiſſimus Rex Joſaphat judices à ſe commiſſos alloquens ajebat. *videte quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium ſed Domini, & quodcumque judicaveritis,in vos redundabit.*

2.Paral. 19 6.

Supplicia varia apud Judæos.

Varia porrò fuere ſupplicia, quibus rei puniri ſolebant. Primum & uſitatiſſimum extitit flagellatio, quàm Sichardus ex Rabbinis ſcrupuloſè & latè deſcribit: In ſumma. Reus pube tenus nudatus, & ad columnam manibus alligatus cædebatur in tergo,& pectore,loro vitulino quadrifido. Plagæ in ſimplici delicto, ſi vires ferrent,infligebantur undequadragenæ: debili corpori numerus minuebatur, niſi interdum ſanatus explendo numero repeteretur ad pœnam. Quatuor autem triſti huic miniſterio aderant, unus plagas decernebat, alter infligebat, tertius inflictas numerabat, quartus interim aliquid ex ſcripturis accinebat, quod patienti delicti memoriam, & juſtitiæ ultricem manum commendaret.

Flagellatio.

Gladii animadverſio.

Alterum erat gladii animadverſio, Regibus frequens & pene una, dum ipſi juberent hominem occidi.

Strangulatio, lapidatio, cōbuſtio.

Præter hæc magnum Synedrion habuit in pœnis ſtrangulationem, lapidationem, combuſtionem.

Strangulandi non ſuſpendebantur patibulo, niſi blaſphemi, aut idololatræ extitiſſent, ſed fimeto ad genua uſque inſiſtentes, mappa ſuffocabantur.

Lapidandi non ſemper multis & minutis ictibus petiti; ſed de ferali colle præcipitati,& uno grandi ſaxo fuerunt obruti.

Comburendi non in ſuccenſo rogo cremabantur, ſed liquefacto metallo in os infuſo necabantur.

Hæc author memoratus ex Rabbinorum commentariis laxe proſequitur, quæ pluribus diſtendere, non eſt hujus quod molimur, inſtituti.

DISSERTATIO
Septuagesima quinta.

De bello.

In illa verba. *Judicabit nos* Rex *noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis. Qualia apud Hebræos illa fuerint.* 1. Reg. 8. 20.

NOn ſemper alta pax etiam in Regno Dei extitit, ſed bellum ſæpè ex neceſſitate ſuſceptum.

Duplicia apud eos bella reperio, alia legalia, alia majeſtatis. Legalia fuere quæ præceptis divinis mandata gerebantur cōtra Amalechitas, Hethæos, Gergezæos, Amorrhæos, Chananæos, Pheræſeos, Hevæos, Jebuzæos.

Bella duplicia apud Judæos.

Capitale fuit præſertim in Amalechitas odium, de quo Samuel ad Saulem. Recenſui *quæcumque fecit Amalech Iſraeli, quomodo reſtitit ei in via, cùm aſcenderet de Ægypto. nunc ergo vade & percute Amalech, & demolire univerſa ejus, non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ejus aliquid, ſed interfice à viro uſque ad mulierem, & parvulum, atque lactantem bovem & ovem, camelum, & aſinum.*

Odium in Amalechitas & ejus origo. 1. Reg. 15. 2. 3.

Unde verò tam acerbæ & implacabiles iræ? Primum ex Dei mandantis juſſu, deinde ex ipſius Judaicæ gentis atroci injuria. Ajunt ſiquidem Hebræi doctores, Amalechitas Judæis ex Ægypto fugientibus hæſiſſe à tergo feſſis & invalidis; ne-

que tantum occidiſſe, ſed conciſa occiſorum pudenda, in circumciſionis irriſionē, jactaſſe in aerem, Deum contumelioſis vocibus proſecutos: *accipe quod elegiſti.* Inde exitialis ardor vindicandi, ſi quidem lato vulnere feriunt populos quæ avitæ religioni exprobrantur.

Immanem ſeditionem Ægyptiorum contra Romanos felis interfecta concivit, quòd inter ſacra gentis animalia coleretur: Quid mirum ſi Judæos ſpreta circumciſio non tantùm verbis aculeatis, ſed factis crudelibus, egerit in furias?

In 7. populos cur bellum lethale. In ſeptem quoque populos initio commemoratos Dei zelus exarſit, quòd eſſent Idolis, Magiæ, Sacrilegiis, homicidiis, incantationibus, impuris ſacrificiis Dæmonum immaniter addicti. De his ſapientia veriſſimè dixit.

Sap. 14. 25 *Omnia commiſta ſunt ſanguis, homicidium, furtum, & fictio, corruptio, & infidelitas, turbatio, & perjurium, tumultus bonorum, Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarū inconſtantia, inordinatio mœchiæ & impudicitiæ*, & quia adeò corrupta erant perverſæ gentis ſemina ut nulla emendatio ſperaretur, timeretur verò manifeſta populi Dei corruptio, ſi infida ſocietate cùm illa copularetur: idcirco voluit præpotens Deus iſtius regionis incolas eſſe in anathema oblivionis, & penitus deleri. Sic enim qui lethiferis avibus, aut ſerpentibus liberari plane cupiunt, non tantùm pravos fœtus occidunt; ſed ova quoque difrumpunt, ne quid ex iſto ſemine reſiduum mortales infeſtet.

Bella majeſtatis quare & quemodo geſta. Bella autem majeſtatis nec tam determinatè ſuſcepta, nec tanta ſeveritate geſta: neque enim illa Rex niſi ex conſilio Synedrii magni ſuſcipiebat, & gerebat cum delectu, luſtrans milites, amovens ædificantes, plantantes, neogamos, meticuloſos. Neque tunc victoriam ſequebatur internecio dira, aut combuſtio; ſed viri ſervabantur ſi proſelytiſmum, & ſervitutem lubenter acciperent: in proſelytiſmo autem, non cogebantur circumcidi, ſed tantùm obſervare 7. præcepta Noëmi, quæ jubebant Deum verum venerari, ab idolis abſtinere, homicidium non patrare, non vagis, & inceſtis libidinibus contaminari, non furari, juſtitiam proximo reddere, vivo animali membrum non abſcindere, carnem vivam in ſanguine non comedere. In ſervitute verò poſiti, non tantùm tributa penſabant, ſed corpore quoque in viliſſimis miniſteriis famulabantur.

De iſtis quidem bellis nulla dubitatio eſt; ſed quæritur, an Judæi contra Judæos bellum ex lege ſuſcipere, & gerere ſine peccato potuerint. *Bellum an inter fratres ejuſdem religionis fuerit licitum?*

Hoc indiſcriminatim permiſſum plerique contendunt, atque ut probent, confugiunt primùm ad cruentam illam internecionem quæ juſſu Moyſi patrata eſt à Levitis in fratres Iſraelitas aurei vituli adoratores: *Ite & redite de porta uſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat unuſquiſque fratrem & amicum, & proximum ſuum.* *Licitum fuiſſe plerique cōſent. Rationes. Exod. 32. 27.*

Deinde proferunt cladem illam horribilem Beniamitarum à cæteris tribubus factam, ob mulierem ſtupenda libidine vexatam, quæ in libro Judicum diffusè narratur. *Judicum 20.*

Tertiò Davidis adverſus Abſalonem directas æquo marte acies, præliumq; commiſſum. *Reg. 2. 18.*

Quartò iterata ſæpiùs tribus Judæ, contra Jeroboamum ejuſque ſucceſſores bellorum diſcrimina. Sed hæc ad belli licentiam inter ejuſdem religionis Principes fovendam parùm conducunt. *Contrà alii ſtatuunt nō levi fundamento.*

Nam quod de levitis fratrum interfe-

ctori-

Digitized by Google

ctoribus aſſertur, non eſt bellum, ſed ſupplicium, Deo inſpirante imperatum, ab eo qui jus vitæ & necis habuit, contra hoſtes numinis graviſſimo idololatriæ ſcelere contaminatos. Hoc olim in militia Romana præſtitum, cùm cognatæ legiones ab imperatoribus propter crimina majeſtatis deleri juberentur.

Nec diſſimile quòd tribus fecere contra Benjamitas. Nam cùm ſatisfacere propter immane flagitium recuſarent, fuit Pontificis in illos mortis pronuntiare ſententiam, cui cùm reluctarentur, poterat idem Pontifex cæteras tribus aſſumere, quaſi adminiſtras juſtitiæ, atque improbitatis vindices.

Non fuit igitur deſtinata vis, & juſtum bellum, ſed punitio ſceleratorum, Deo etiam prius conſulto ſic inſtituta; & Pontifice ſummo omnium tunc magiſtratu ſuas partes in rebellem tribum agente.

Quòd verò ad Davidem ſpectat, extra dubium res eſt, & pleniſſimo legis naturalis ſuffragio comprobata, quod filio conſcelerato iniquiſſimis artibus in thronum Patris irrumpente potuerit juſtiſſimis armis occurrere, & vim apertiſſimè paratam vi repellere.

Idem ferè jus Roboamo, & ſucceſſoribus competere videbatur adverſus rebelles, & infidas avitæ religioni tribus, nec tamen Deus fraternas acies perpetuis bellis conteri voluit. *Non aſcendetis*, ait vox divina per Prophetam, *neque bellabitis contra fratres veſtros* Nec fruſtra fratrum nomen intulit, innuens reverentiam & amorem tam miti titulo deberi. Certè nec in veteri, nec in novo teſtamento inveniuntur bella cum fratribus, niſi ob graviſſimas cauſas ſuſcepta, & ægrè ſemper à ſapientibus boniſque viris tolerata.

3. Reg. 12. v. 24.

Nec tamen is ſum qui putem, nulla unquam Principum Chriſtianorum arma in Chriſtianos eſſe movenda, cùm Sanctus Auguſtinus dicat. *Juſta bella definiri ſolere, quæ ulciſcuntur injurias, ſi qua gens, vel civitas quæ bello petenda eſt, vel vindicare neglexerit, quod à ſuis improbè factum eſt, vel reddere quod per injurias ablatum eſt.*

Quid de ea re ſentiendum? S. Aug. contra Fauſtum lib. 22.

Itaque Theologi Scholaſtici juſtè bellum inferri aſſerunt, ſive pro rebus ſuis repetendis, ſive ad ulciſcendam publicam contumeliam, ſive propter violata fœdera, ſive pro defenſione Reipublicæ adverſus invadentes, ſive in eos qui ſuppetias hoſtibus ferunt, ſive adverſus rebelles ſubditos, eorumque fautores, ac propugnatores improborum.

Gregorius à Valentia de bello diſp. 3. q. 16.

Sed ut ait idem S. Auguſtinus, abeſſe à juſtis bellis debent, nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, implacatus & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi quæ ſunt ſimilia quæ tamen nunc permixta bellis Chriſtianorum fere ſemper inveniuntur. Tanta autem per bellum creantur mala, ut ſi quis æqua lance ponderare velit, vix rationes inveniat belli gerendi, quæ excuſare ſcelera, & calamitates poſſint.

Ibidem.

DISSERTATIO Septuageſimaſexta.

De militum delectu, & diſciplina militari.

In hæc verba.

Quemcumque viderat Saul virum fortem, & aptum ad prælium ſociabat ſibi, &c. 1. *Reg.* 14. *v.* 52.

Sopher Princeps exercitus probabat tyrones de populo terræ. 4. Reg. 25. v. 19.

MAGNO ſemper in pretio fuere robuſti milites, & ad rē bellicā expediti.

Nec aliter ruinam Judaicæ genti præpotens minatur Deus, niſi primùm viros fortes, validoſque bellatores auferendo: ſic enim apud Iſaiam. *Ecce Dominus exercituum auferet à Hieruſalem, & à Juda validum & fortem*, virum bellatorem, judicem & Prophetam. Primo loco conſtituit bellatores, quòd eorum robore cæteri fulciantur.

Iſai.3 v.1

Strenuorum militum honor.

Idcirco ſingulari cura ſtrenuos legere oportuit qui militia fungerentur. Hoc ſtatim Saul vidit, licet è paſtoritia eductus vita. Nam & ſi inconditam multitudinem hoſtibus objicere in primordiis rerũ coëgerit neceſſitas, ſtatim verò agnoſcens, quantum momenti eſſet in viris acribus, & induſtriis, quemcumque viderat virum fortem, & aptum ad prælium ſociabat ſibi.

Delectus mirificè juvat.

1.Reg.13.2.& 1. Reg.14.v 52.

Mox elegit tria millia de Iſrael. & erant cum Saul duo millia, in Machmas, & in monte Bethel; mille autem cum Jonatha in Gabaa Benjamin: porrò cæterum populum remiſit unumquemque in tabernacula ſua Itaque ſub Gedeone, cũ eſſet exercitus triginta duorum millium adverſus hoſtes congregatus, jubentur formidoloſi omnes recedere, & ſtatim viginti duo millia è caſtris diſceſſere: decem verò millia quæ remanſerunt, ad aquas probata reducuntur ad trecentos, cum quibus dux fortiſſimus Deo diſpenſante, pugnat & vincit. Non alia de cauſſa ædificantes, plãtantes, neogami, & meticuloſi abeſſe à præliis jubebantur, quod viros omnibus curis expeditos, & rerum omnium animæque ipſius contemptores, militiæ res expoſceret.

Qui à præliis rejecti?

Magna imprimis fuit imperatorum ſollicitudo, ut milites haberent nullis flagitiis & ſceleribus inquinatos, quod per capitales noxas infringi vim militum, atque hebetari crederent. Inde illa vox conteſtantis Dei in furto Acham. *Nec poterit Iſrael ſtare ante hoſtes ſuos, eoſque fugiet, quia pollutus eſt anathemate.*

Milites à ſcelere & flagitiis debuerũt eſſe liberi.

Ioſue 7.12

Non tantum vitiorum, ſed ſordium ipſarum, quæ naturali neceſſitate ſolent egeri, à caſtris exilium: nam & has extra, in ſcrobem exonerare, atque humo obruere per legem divinam jubentur Deuteronomii vigeſimo tertio. Secretiorem hanc ethicam (ut notat Sichardus) prolixiùs tractavit ſpurcus Doctor Jacobus filius Aſer, docens ſuos, quid ante precari debeant, quàm altè nudari, quantum à conſpectu hominum elongari, quas in plagas ſe vertere, utra manu abſtergere, & quo abſterſorio uti, quæ omnia ſuperſtitioſam gentis moroſitatem indicant.

Deut.23. Munditia caſtrorum.

Quæri autem hîc poteſt, an peccatis obſtringi crederentur milites, ſi quando in caſtris leges aliquas non obſervarent, quas religio jubebat.

An milites in caſtris legibus ceremonialibus abſoluti.

Dubitatum imprimis fuit de Sabbatho: nam qui pulicem morſu appetentem, capere eo die licitum putabant, nefas occidere, ex Rabbinorum ſomniis omnia metientes, in eam cogitationem ſunt adducti, ut manum contra hoſtes etiam irruentes ad defenſionem ſui movere illicitum crederent. Inde Macchabæorum primò ſpeluncâ incluſi, ne lapidem quidem emiſerunt, neque cavernas obſtruxerunt, dicere contenti. *Moriamur omnes in ſimplicitate noſtra, teſtes erunt ſuper nos cælum & terra quod injuſtè perditis nos.* Diſcuſſit hanc ſuperſtitionem cordatus Mathatias, & docuit quàm ſtultum & à legiſlatoris mente alienum, præpoſtera pietatis opinione jugulandos ſe ultro hoſti tradere, & legem in ſuis cultoribus fraudare. Itaque ſi occaſio ferret, pugnabant die ſabbathi ad vim arcendam, non tamen inferebant, aut rem aliquam in caſtris extra neceſſitatem aggrediebantur.

An ſabbatho planè ab armis ceſſare debuerint.

1. Mach. 2.36. Factum aliquando. Diſcuſſus hic error ſub Machabæis.

An

Digitized by Google

De ſuilla an comederetur in caſtris? 2. Mach. 6. v. 18.

An verò & ſuillam comedere in caſtris liceret, ambigunt nonnulli: quanto horrori eſſet Judæis manifeſtum eſt, ex venerandi ſenis Eleazari exemplo, qui dirè excarnificari potius tulit, quam porcinas carnes attingeret.

Matth. 8. 30. Vnde greges porcorum in Iudæa, ſi prohiberentur alere.

Hircani etiam temporibus, emiſſum anathematis fulmen in eos qui porcos alerent. Hinc ſubit mirari, unde magnus ille grex porcorum apud Geraſenos ad mare paſcentium, in quem ejecti à Chriſto dæmones intrarunt. Reſpondent quidam permiſſum fuiſſe Judæis, nutrire quos gentibus diſtraherent, quod in tanta gentis abominatione vix credibile. Melius Caſaubonus judicavit, gregem illum ad Græcos qui inibi Judæis permixti habitabant, pertinuiſſe.

Optio undecim Rabbinorum & ebrietatis pernicies.

Eſt quidem ebrietas fœdum apud Judæos vitium, ſed tamen illud admittere, undecim Rabbini maluerunt quam ſuillam comedere. Nam cũ gentilis Rex Prægrãdius triplici optione data illos coëgiſſet, vel ſuillam comedere, vel ethnicum vinum bibere, vel cum meretricibus concumbere: vinum elegere, ſed ut ebrietas omnium vitiorum radix eſt, temulentis immundæ carnes oblatæ, & provocatrices etiam fœminæ adjunctæ, unde unius electione, in tria flagitia lapſi, errore deteſtando. Quod tamen adeo abominabantur, neceſſitas in caſtris aliquando permiſit, ut Maymonides ſcribit. *Expediti ad militiam, cum intraverint fines gentium, & ſubegerint eas, captivaſque duxerint, facultatem habent comedere morticina, & diſcerpta, etiam carnem ſuillam, ſi quis eſuriat, nec aliud quàm cibos vetitos reperiat.*

Suilla permiſſa in caſtris neceſſitate urgente.

Lotiones. Sicardus l. de jure regio.

Præterea lotiones crebræ adeo ſuperſtitioſæ genti in uſu erant, ut Axiba quiſpiam conjectus in carcerem, & ibi aquæ penuria laborans, maluerit illam lavando corpori, quàm extinguendæ ſiti impendere; ab iis & ſimilibus obſervationibus milites immunes fuere.

Leges exercitus à Deo præſcripta.

Leges autem à Deo præſcriptæ erant exercitui, aliæ quando caſtra erant movẽda, aliæ quando eundum ad prælium, & manus conſerenda, aliæ quando civitas obſidenda, aliæ quando parta victoria.

Num. 10.

Quando caſtra erant movenda, lex præcipiebat clangi duabus tubis argenteis, & primò quidem accedere principes, & capita multitudinis Iſrael. Si autem prolixior, atque conciſus clangor increpuiſſet, movebant caſtra primi qui erant ad orientalem plagam. In ſecundo ſonitu levabant tentoria, qui habitabant ad meridiem. Juxta hunc modum reliqui faciebant, ululantibus tubis in profectionem.

Deut. 20. v. 3.

Quando ineundum prælium, ſacerdos ſtabat ante aciem populum ſic compellans *Audi Iſrael, vos hodie contra inimicos veſtros pugnam committitis, non pertimeſcat cor veſtrum Nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos. quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt. & pro vobis contra adverſarios dimicabit, ut eruat vos de periculo.*

Erat autem (ut Doctores notant) Sacerdos Caſtrenſis qui hoc nomine ſpecialiter ſacro unguento fuit delibutus, & belli unctus appellabatur, ut cohortatione ſua dimicaturos accenderet, & eos qui ex privilegio abeſſe poterant, ab exercitu dimitteret.

Huic additi erectores qui ferreas clavas manibus tenentes, ſubterfugientes in ſtationem ſuam retro agerent.

Diſciplina in urbium obſidione. Deut. 20. 19.

In obſidionibus verò urbium, vetabatur immanis illa quæ fieri ſolet vaſtatio, ex Deuteronomio. *Quando obſederis civitatem multo tempore, & munitionibus circumdederis ut expugnes eam, non ſucides arbores de quibus veſci poteſt, nec ſecuribus*

Digitized by Google

per circuitum debes vaſtare regionem; quoniam lignum eſt, & non homo, nec poteſt bellantium contra te augere numerum.

Si quæ autem ligna non eſſent pomifera; ſed agreſtia, & in cęteros apta uſus, non vetabantur ſuccidere, & ex iis machinas inſtruere.

Addunt legiſperiti non fuiſſe conceſſum frangere vaſa, ſcindere veſtes, demoliri ædificia, obturare fontes, perdere cibaria.

Parta victoria quid geſtum. Deut. 20. 13. Parta verò victoria non licebat occidere innocentes, mulieres, infantes, & pecora, ut ex Deuteronomio patet, *percuties omne quod in ea generis maſculini eſt in ore gladii, abſque mulieribus, & infantibus, & jumentis.* Hoc quidem ex lege ordinaria; nam extraordinariè plerumq; mandavit Deus, etiam imbellem ſexum, & ætatem occidi in maximorum criminum, & atrocium injuriarum execrationem.

Mulieres vulgo ad ſervitutem deputabantur, ſed ſi quis miles captæ cujuſpiam pulchritudine faſcinatus eam ſubegiſſet, debuit mox legitimo ſibi copulare matrimonio, ſic tamen ut ejurata patriæ ſuperſtitione, in Judaicam religionem tranſiret: ut fusè deſcribitur Deuteronomii 21. 11.

DISSERTATIO Septuagesimaseptima.

Cur tam pauci Reges boni etiam in gente Dei?

In hæc verba. *Pœnitet me quòd conſtituerim Saul Regem.* 1. Reg. 15. 11.

Gen. 6. 5. Pœnituit Deum feciſſe hominem, pœnituit feciſſe regem: ſic enim Geneſis ſexto. *Videns autem Deus quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum, omni tempore, pœnituit eum quod hominem feciſſet in terra. Craſſum verbum*, exclamat Chryſoſtomus *ſed parvitati noſtræ accommodatum.* *Chryſoſt. hom. 22. in Geneſim.* Non cogitat Deus ſicut homines (juxta Ambroſium) ut aliqua ei ſuccedat nova ſententia, neque iraſcitur quaſi mutabilis; ſed ideo hæc leguntur, ut exprimatur peccatorum noſtrorum acerbitas. Pœnituit feciſſe hominem, non quod improbaret quod ipſe fecerat, ſed ut damnaret quod patraverat homo. Pœnituit feciſſe regem, non quòd regale regimen à ſe inſtitutum pernicioſum utique judicaret, ſed quòd improbiſſimi regis detortam à ſua lege mentem deteſtaretur.

Ominoſum fuit in regibus Hebræorum, tabem à capite cœpiſſe, inde infecta membra, & tota regum poſteritas contaminata, præter David, & Ezechiam, & Joſiam omnes peccatum commiſerunt, ait Eccleſiaſticus, *Eccleſ. 49. 5.* nil mirum ſi in tanta regum gentilium ſerie, tam magna ſcelera, tam diræ criminum peſtes extitere, cùm ipſi gravia quæque facinora de ipſorum deorum meditarentur exemplis.

At in populo Dei, ubi veri notitia numinis, ubi lex, ubi religio, ubi ſanctuarium ubi Pontifex, ubi norma cæleſtis, & ſummi protectio conditoris, cur tam perditi, tam immanes extitere domini, ut impiorum facta non modò ęquaſſe, ſed ſuperaſſe etiam videantur?

Rationes cur tam perverſi Reges in populo Dei. Prima, ob agnitã & contemptam veritatem. Primùm hoc accidit, ut agnitæ & contemptæ veritatis pœnas luerent: Magnum ſiquidem veritas numen eſt, quam nemo quærit niſi admonitus, nemo inventam deſpicit niſi perditus, torquetur amiſſæ, nec poſtea recuperandæ veritatis ſupplicio ſæpius improbitas, & hoc habet ut veritatem quam monentem deſpexit, non ſentiat niſi punientem.

Præcla-

Digitized by Google

Auguſt. Confeſſionum 10 c.24. Præclarè S. Auguſtinus, animus humanus cæcus ac languidus, turpis atque indecens latere vult, ſe autem ut lateat aliquid non vult: contra illi redditur, ut ipſe non lateat veritatem, ipſum autem lateat veritas, inde error in hoc veritatis exilio, & ſalutis naufragium. *Hebr.6.4.* *Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel illuminati guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt ſpiritus ſancti, guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus revocari ad pœnitentiam.*

2. Lapſus ex alto. Altera ratio eſt, quod lapſus ex eminentiſſimo loco ſint omnes periculoſi, & lethiferi: qui ex humili cadunt, ſtatim ſurgunt illæſi, ex ſublimi ruentes fœda præcipitia lacerant; At quiſquis in veram religionem, & ſanctorum ſcientiam aſcitus graviter peccat, velut è culmine ſapientiæ labitur caſu horrendo & vix reparabili; *Chryſol. ſerm. 26.* unde aptiſſimè concludit ſanctus Chryſologus, *de cælo cadit, in cæleſtibus qui delinquit.*

3. Ingratitudo. Adde jam ingrati animi labem, ſcelus haud vulgari pœna dignū: nec inſcitè *Ammianus l.21.* Ammianus Marcellinus intulit, *numen perenni ſuffragio damnat ingratos*, molliori brachio plectit Deus ethnicos reges, ut potè qui veritati agnitæ non reſtiterunt. At in rebelles luminis longè acrior animadverſio, quæ conſummatur in horrenda abdicatione, & cæcitate proſtitutę mētis, è qua projecta quæq; ſcelera ſolent ebullire. *Pſal 54. 13. & c. 40.v.10.* *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique, homo pacis meæ magnificavit ſuper me ſupplantationem.*

4. Pernicies exempli. Accedit pernicies exēpli quæ latè propagat ſcelera, & quandam eis æternitatem largitur, nunquam deficientibus, qui peſſima illuſtrium genere perſonarum facta imitentur, ubi præſertim veræ religionis aliqua ſpecies, nec aperta infidelitatis profeſſio. Inde tamen querelæ & blaſphemiæ in deum, ubi ſub pietatis nomine peccatur, & ſic flagitia creſcunt in immenſum. *Quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini*, ait Propheta. *2. Reg 12. 14.*

5. Iuſta punitio inobedientia. Denique hanc pœnam indicit Deus regibus ingratis, ut qui imperarunt hominibus, cùm ipſi Deo non parerent, minus ſint quam homines, & velut è mortalium contubernio dejecti, in brutorum vitam tranſeant, quæ frena laxat voluptatibus, & magnam omnium criminum congeriem facit. *Daniel 4. v.12.* *Ejicient te ab hominibus, & cum beſtiis feriſque erit habitatio tua.*

Tres cauſæ particulares corruptela Regum Iudaorū. Lubet etiam addere tres cauſſas illius nequitiæ quæ regibus Judęorum tam pertinaciter inhæſit, à Tertulliano non ignoratas, corrupta videlicet ſemina, deſerta ſtudia, exarmata jura. Multum illis veneni infudit promiſcua conjugiorum licentia; inde gentiles fœminæ omni impietate, luxuria, & audacia famoſæ, in regum thalamos invaſere, & dedere partus ambiguos, qui patrum relictâ ſæpè religione, in matrum ſuperſtitionem earum blanditiis edomiti declinarunt. Ad hæc legis divinæ ſtudia deſerta, fatale laſcivientibus imperiis otium, & peremptor magnarum cogitationum luxus obſeſſos ſubjugarunt. Nec jam aderant qui violentis regum conatibus obſiſterent, magno illo de quo diximus ſynedrio, vel terroribus proſtrato, vel per fœdam adulationem emollito. Si qui adhuc divina ſpirantes Prophetæ ſe ſe rebus tam præpoſterè fluentibus opponerent, aut morte aut exiliis vexabantur. Inſtabat quoque Aſſyriorum, & Ægyptiorum regum vicinia, qui omnes idolis devincti Judæorum reges in ſuæ impietatis commercium abripiebant utilitatis ſpecie delinitos. Hæc igitur mores illorum infecere, mox contagio latè in popu-

Digitized by Google

populis ſerpſit & ex optimis peſſimi quique devenere.

SAVL.

DISSERTATIO SEPTUAGESIMA OCTAVA.

De Saule, in hæc verba.

Saul electus & bonus: Et non erat vir de filiis Iſrael melior illo. 1 *Reg 9. v. 2.*

Judicium de laudandis atque vituperandis ejus facinoribus. 1 Reg. 9 2.

ITA fert hominum conditio, ut in optimis ſit aliquid mali, in peſſimis nonnihil boni. Saulis extrema totam vitam atrocitate criminum & nominis infamia polluerunt; ſed tamen ut in alta quoque nocte faculæ lucis intermicant, ita & in iſtis moribus tam caliginoſis nitent aliqua ſimulacra virtutum.

Prima laus Saulis ex cõmercio Samuelis Omnes ferè magni Principes ſapientum conſilio enixi ad decus. Regum præceptores.

Prima illi claritatis laus, quòd Samuelis congreſſum appetierit, conſilio ſervi familiaris inductus, quem aſpernari poterat, vereri tamen maluit. Inde plurimi Principes ad altum decus enixi, tum verè cœperunt imperare, cum ſapientum monitis parere didicerunt. Alexandri magna mens Ariſtotelis præceptis ſtimulata, ingentium rerum fundamenta jecit. Auguſtus ſe Apollodoro Philoſopho credidit, qui eum ab iracundia & libidine ſemotum, in ardua virtutum incitavit.

Fronto Cornelius Antonino Imperatori adfuit, qui mirabilem ejus vitam ad cæleſtis harmoniæ numeros inflexit.

Antipater Hieropolitanus deorum præceptor dictus, quod Severi imperatoris filios erudiendos ſuſcepiſſet Alexander Severus qui in ipſo juventæ flore, orbem virtutibus implevit. Frontinum audivit, atq; ipſum etiam Origenem.

Criſpus Lactantium; Gratianus Auſonium. Leoni Imperatori Philoſophiæ ornamentis exculto, & illuſtribus monumẽtis noto, Michaelem Pſellum, ſua ætate ſapientiſſimum, fuiſſe ſtudiorum & morum moderatorem accepimus.

Gilbertus Floriacenſis monachus Gallus, qui poſtea Sylveſter ſecundus fuit. Othonem tertium, & Robertum Francorũ Regem erudivit. Non eſt opus hîc commemorare innumeros, certiſſimum iſtud eſt neminem unquam magnum Principẽ evaſiſſe, qui non egregios quoſque viros in conſiliis adhibuerit vel præceptores, vel monitores.

Itaque & hæc Saulis prima felicitas & prudentia fuit, quòd Samuelis audito nomine, ejus videndi ſtudio exarſerit, à quo ſperaret plurima ad vitam ritè componendam addiſcere.

Saul primum ſe morigerum Samueli præbuit.

Alterum decus eſt quod monentem attentiſſimè audierit, & ſe in omnibus morigerum præſtiterit, nec ſtupens ad magna, nec incredulus adſtupenda, generis ignobilitatem faſſus ingenue, nec deſperat ardua, nec ambit injuſſa: ſpes optimas premit, nec tamen præcipitat.

Incipit diſſimulare ſtatim ac regnare.

Deinde & iſtud mirandum quod in hac paſtoritia vita, ubi ſpes affulſit Regni, jam diſſimulandi artifex, non factus ſed natus. Patruum curioſius ſciſcitantem eludit, nihil omnino locutus de Regno, ne ſi vera eſſent quæ Samuel nunciarat, propinqui æmulationem accenderet; ſi falſa, proderet credulitatem.

Cautio ejus & modeſtia.

Mox imperium capeſſit ſimilis fugienti, & acceptum demiſſiùs gerit, ruſticanæ adhuc affixus vitæ. aratrum laureis conſecrat. Nolebat inſuetos populorum animos terrore magnitudinis obruere, ſecurius ſe regnaturum æſtimans, ſi pro illis magis,

magis, quàm ſupra illos poſitus videretur. Etſi abjectus cultu, ſtetit animo intrepidus contra Tyrannum Ammonitam qui ſibi à viris Jabes tributa de mortalium oculis ferro erutis in fœdus dari poſtulabat. Tum Saul miſericordiâ magis quàm furore accenſus, boves quos ex agro rediens ſequebatur, concidit in fruſtra, miſitque per cunctos Regni fines interminatus non diſpar exitium timidorum bobus, qui pugnare adverſus inſolentiſſimum Regem detrectaſſent. Hoc ſtratagemate ſtatim coegit trecenta hominum millia, hoſtemq; præcipiti marte interceptum & ad immanes copias ſtupentem planè delevit.

Fortitudo

Prudẽtia

Moderatio in victoria.

Jam quod magnificum eſt cum tanta elatus victoria omnia poſſet, noluit potens eſſe niſi bene faciendo. Intervenit acciſis Jabeſiorum rebus tamquam Deus è machina, vim exterorum fregiſſe contentus, noluit etiam meritorum civium cervices premere. Nempè cùm clara populi voce poſtularentur ad cædem Judæi qui primordiis Regni Saulis faſtidioſiùs inſultarant, negavit ſe diem cæli muneribus lætum, ſuorum cruore reſperſum. Tum ſeipſum vicit, tum victoriam ſuâ naturâ inſolentem exarmavit: Felix ſi Clementiam in ſubſidium regnantis ſervare quàm oſtentare maluiſſet.

Vigilantia.

Ad hæc pervigiles illi pro Regni tutela curæ, & pugnandi ardor inexplebilis, cùm Philiſtinos ad veſperam uſque jejunus cum jejuno exercitu perſequi decrevit, & Jonatham filium, qui favum mellis deguſtarat, etiam inſcius publicæ fortunæ immolare ſtuduit. Laudanda hæc aſſueta rebus duris vita & invictus amor Patriæ, ſed ſupinæ mentis rigor, dum ambit inſolita, ſuo pondere in magnas calamitates præceps abiit.

Vitia Saulis

Prima labes animus bifidus.

Prima illi labes animus anceps, & bifidus, qui Deo non erat affixus, ſed pendulus, ſua circumſpiciens, nec divina ſatis æſtimans, Regni magis cupidus, quàm Regnanti Deo ſubjectus, Religionis non expers, ſed præpoſtere curioſus. Cùm omnia illi à Deo per Samuelem obtigiſſent, hunc ſpectare hunc colere hunc ſequi, niſi læva mens fuiſſet, oportuit: At ſtatim deſcivit ab illo non contumacia, ſed zelo ignaræ mentis, & ardore præcipiti, ſacerdotem agens, inexpectato, aut non ſatis expectato ſacrorum miniſtro, dum nimis pius eſſe ſtudet, fit impius, & de ſacrificio ſumit pœnam, qui de obſequio debuit auſpicari decus. Hæc multos Principes macula reſperſit, qui nimis attrectando ſacra perdidere.

Zelus inconſultus

Miſericordia pervicax

Inde Amalechitas funditùs à Deo delere juſſus, parcit Regi & opimis gregibus pervicaci miſericordia, & avaritia clemente, ſervans in ſuum exitium, quod perdere in Dei honorem debuit.

Zelotypia.

Altera illi malorum radix, feralis in Davidem zelotypia, quàm ingens viri celebritas in dies accendebat, imbecillitatis ſuæ conſcio.

Quid facere debeant Principes ubi habẽt æmulos ſuæ gloria.

Magna hîc Principibus impendit negotiorum moles quos potentis æmuli virtus & gloria ſollicitat. Quid faciant: ſi manus Dei cum illis eſt, & manifeſta de cælo vis fruſtra luctantur contra vorticem, à quo poſt immenſos labores hauriùntur. Longè melius ſibi conſulunt, ſi numinis placita ſequantur, & fatis accedant, amiciſſimos facturi, quos adverſarios timent. Devincire illos ſtudeant ſinceris officiis, & penitus applicare ſibi, tutius per illos quàm contra illos regnaturi, ſi deeſſe ſibi ingenii, animi, corporis dotes ſentiunt quæ glorioſos facere ſolent, paterna ſibi dilectione aſtringant populos, non facilè nova molituros in illum, quem legitima authoritas, & ſolidæ virtutes tegunt. Tentaverat hoc Saul, ſed artificiosè, Davide in generum allecto

Digitized by Google

hæſitanter & timidè: Una illi abrepta, altera ingeſta magis quàm data fœmina, cujus ingenii vis prava, & mariti contemptrix in perniciem ceſſura magis, quàm in ſolatium credebatur. Dignitates illi & præfecturas conceſſerat, non ut honeſtaret, ſed ut faciliùs perderet, Davidis animo ingenti contra Davidem uſus, ut ſe ultrò periculis implicaret, quibus obrutus ſuo potiùs fato, quàm Saulis fraude extinctus putaretur. Deprehendebantur ubique Regis hamatæ manus, & fallacia munera quæ tantum impunè nitebantur occidere.

Reg. 1. 22. 16. *Zelotypia Saulis erumpit in tragica facinora.* Nec diu tamen potuit ſe ſuis latebris trux illa zelotypiæ fera condere, erupit in odia manifeſta, & tragicas cædes dum Achimelech Pontificem, & octoginta quinque ſacerdotes, quos Davidis fugam adjuviſſe ſuſpicabatur, jubet immaniter interfici, & urbem illis in habitationem datam ferro & igne funditùs vaſtari. Actum eſt de Principibus ubi incipiunt ſe innocentum & præcipuè ſacerdotum cruore taminare; quid illis reſtat niſi larvis inquieta conſcientia, lacerata criminibus vita, furiis actus Regni clavus, & ultrix Dei manus, tardè aliquando, ſed juſtè ſemper ſæviens.

Tandem deſertus à Deo, deſerere Deũ non poterat, & ſequebatur non amando, ſed ſcrutando futura, cùm præſentia non videret. *Ubi ſuperos* (ut ait ille) *flectere non potuit, Acherontem movit*, & Pythoniſſam conſuluit, quærens ab inferis quod de cælo negabatur. *Magia.*

Cognitio futurorũ illicita. Hic apex ſcelerum, & omnium malorum cumulus in Principibus, ubi per artes illicitas tentant ſcire, quæ numen voluit ignorari.

Illecebroſa res eſt rerum humanarum quæ nos ſpectant, eventus agnoſcere antequam fiant, ſed plenum iſtud periculis, & animæ ſaluti ſæpe pernicioſum.

Quatuor omnino ſunt quæ putantur in id conferre, Prophetia, Sagacitas conjiciendi, Aſtrologia, & Magia. *4. Modi ſciendi futura.*

Prophetiæ & revelationes rariſſimæ ſunt. Sagax ſapientum cura ſæpè fallit & fallitur: nam errare & delinquere inter humana triſti mortalitatis privilegio numerantur.

Aſtrologia incertiſſima res eſt, dulces fabulas ſequuta, & iter carpẽs per tot mortalibus invia, ſperantibus toties fallax, & ipſis profitentibus infida.

Magia tota execrabilis eſt, de conſortio dæmonum nata, quàm degener Chamus velut perpetuæ nequitiæ ſeminarium (ut ait Caſſianus) tranſmiſit in poſteros. Quid ſperari poteſt à dæmonibus, quibus (ut ait ſanctus Cyprianus) *hoc unum ſtudium eſt, à Deo homines avocare, & ad ſuperſtitionem ſui ab intellectu veræ religionis avertere. Cumque ſint ipſi pœnales quærunt ſibi ad pœnam comites, quos ad crimen ſuum fecerint errore participes.* Tum planè concuſſus & peſſumdatus Saul cùm ſpreto Deo, Pythonis ſpiritum conſuluit, tum non Pythoniſſæ incantationibus excitatus, ſed Dei ita jubentis imperio, anima Samuelis apparuit terribilis & minax, quæ illi ultimam neceſſitatem & diram rerum faciem denuntiavit. *Cyprianus libro de idolorum vanitate.*

* * *

DAVID.

DAVID.

DISSERTATIO Septuageſimanona.

Quæ laudanda in Davide quæ cenſurâ etiam digna?

In hæc verba. *Quæſivit ſibi Dominus virum juxtà cor ſuum.* I. Reg.13.14.

Ambroſ. l.1.offic. c.24. Legerat Platonē 3.de republica, qui ait univerſam beni viri vitam eſſe. ξυμφωνίαν σο μουσικῆς δὔρυθμίαν.

DE Davide locuturo piaculum eſt prꝙterire ſilētio quæ de eo S. Ambroſius tam concinnè ſcripſit: David fortis bello, patiens, in adverſis, in Hieruſalem pacificus, in victoria manſuetus, in peccato dolens. in ſenectute providus, rerum modos, vices temporum , per ſingularum ſonos ſervavit ætatum, ut mihi videatur non minus vivendi genere, quàm canendi ſuavitate prædulcis, moralem Deo ſuo fudiſſe meriti cantilenam.

Davidis vita harmonia. Dotes ejus à Deo.

Scitè illud dictum : nam tota Davidis vita harmonia quædam eſt ad cæleſtes numeros inſtructa. Nemo magnus ſine Deo maximo naſcitur. Infuderat ſe illi à puero divina mēs grandium operum actrix, moderatrixque virtutum. Aptum animo corpus, validum robore, forma ac decore florens, os alloquio blandum, & undique ſpirans. in hominum conſuetudine gratia, animus ſemper erectus, nec geſtiens in proſperis, nec adverſis impar, omnia fortiter facere & ſuaviter pati didicerat. Deus illum adhuc inſcium apparabat aulæ & Regno: nam pugnare & pſallere quæ tum artes in pretio erant, apprimè noverat. Robur in agreſti vita cum leonibus urſiſque exercitum, detulit in caſtra, nec deſtitit fratrum etiam æmulorum invidiâ preſſus oſtentare ſe, & in uno Goliate multos exercitus Philiſtinorum proſternere. Quæcumque Dei favor in ſingulos ad claritatem ſpargit, in unum congeſſerat, *Ecce vidi* (ait ille) *filium Iſai Bethlemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore , & virum bellicoſum , & prudentem in verbis, & virum pulchrum & dominus eſt cum eo.* *1. Reg. 16. 18.*

Prudentia & fortitudo Davidis.

Hæc primò amorem Saulis, deinde invidiam accendêre. Magnus & diuturnus Davidi fuit cum illo monſtro conflictus, in quo ingens prudentiæ & fortitudinis ſpecimē edidit. Poterat apertis armis perſecutorem jam ipſe unctus laceſſere , emollire maluit. Atrox illi via ad Regnum videbatur, per civium cadavera, civileſque flammas ſcandere , expectare potiùs fuit diadema, quàm præripere. Nam & periculoſum erat Saulem jam firmata potentiâ ſtabilem ſeptrum filiis & opibus auctum aggredi; deinde ſi occumberet funeſtum, ſi ſuperaret invidioſum. Contentus ſe vorantı flammæ ſubripere, ſalutem fugæ non gladio mandare.

Clementia mira.

Culmen iſtud gloriæ fuit inimicū inermem deprehendiſſe, & cùm uno ictu, & in capite uno poſſet tot dolorum fibras amputare, continuit manum, vel potiùs conſecravit, ea manſuetudine uſus quàm miraretur hoſtis, & ſuo ipſe dignam imperio prædicaret. Sic edixit Principibus turpia & infirma quæ ſceleribus regna pararentur, quæ virtutibus, glorioſa, & ſtabili felicitate fundata.

Fuga ad exteros.

Continuit patriis finibus fugam quantū licuit , per amiciſſimum Jonatham Saule ſæpius delinito; ubi implacabilē, & in perniciem ſuam trucem agnovit , ad exteros Reges confugit, nec tunc hoſtis patriæ cū hoſtiliter in eū omnia Rex moliretur. Servabat ſe melioribus fatis, culmen aliquando Regni futurus cujus tum adverſarius ab inimicis audiebat.

Art.

Quantæ tum prudentiæ fuit ſic omnia moderari ut ſuis parceret, nec tamen offenſos Sauli Regulos irritaret. Sciebat ſuſpectum timidis ingenium tyrannis, & certiſſimum magnis ſæpè virtutibus exitium, idcirco ſimulata apud Achim Regem prudentiſſimè ſtultitia, caput ſervavit, rebuſque afflictis conſuluit.

1 Reg. 21. 13.

Eripiebat Sauli magnum certè præſidium, cum ſe ipſe ab eo ſe moveret, ſed furere Rex impius, magis quàm placari ſtudebat.

Davidis prudentia poſt mortem Saulis.

Poſtquam à Philiſtinorum exercitu victus & cæſus, David omnia ſanctè præſtitit, quæ politico vir ingenio ſimulare feciſſet. Tum nullum exultantis animi motum prodere, jejunare, flere, luctum omnibus acerbum indicere, eum occidere qui Sauli mori volenti commodarat manum. Domum ejus afflictam ſuo ſinu colligere, Regiæ ſobolis homicidas perſequi: non irrumpere in thronum quem ſucceſſor imbellis & contemptus obtinebat: expectare fata lentis animis, honorem firmare magis, quàm præcipitare. Hæc Davide hæc æternis laudibus digna.

Quid pacato Regno fecerit.

Ubi verò pacato jam Regno potitus eſt ſceptro, quod delatum ultrò ab omnibus, magis quàm ab ipſo quæſitum, id omninò magnificè tractavit. Videbat imprimis gentem ſupra cæteras orbis nationes religioni addictam, hanc conſervare, augere, illuſtrare, vehementiſſimè ſtuduit. Sic enim conſcientiæ, ſic gloriæ conſulebat, Deum propitium & dociles habiturus populos, quos numinis metus intra officium coërceret. Inde illi ſingularis erga Prophetas & ſacerdotes obſervantia.

Zelus ad divina.

Inde famoſæ illius arcæ ſuis ſedibus reſtituendæ ſtudium & labor, inde maximi orbis terrarum templi molitio jam mente concepta Inde divinum pſalmorum opus tot chori muſicorum, tot inſtrumentorũ copia. Sic piorum mentes allexit demeruitque ſacerdotes, quibus magna in religioſa plebe authoritas.

Militiæ ſtudium.

Ne tamen ſolis Pontificibus ac ſacris natus videretur, nobiles ad ſe traxit admiratione roboris, & pervigili armorum ſtudio, peritiaque conſummata. Gentes vicinas cum quibus diu colluctatus fuerat populus Dei, aut allexit, aut domuit. Arma in omnem plagam circumtulit, & ſuis victoriis illuſtravit. Ab ortu Moabitas & Ammonitas expugnavit: ab occaſu Phœnices, & Philiſtinos; à meridie Amalechitas, Arabas, Idumæos; à ſeptentrione Syros Damaſcenos, Sabathæos, Meſopotamios.

Pax per illũ fundata & civilia valde culta.

Mox cuncta bellis exteris feſſa otii dulcedine recreavit, magnificam ſibi Hieroſolymis ſedem conſtituit, unde in omnes imperii Regiones rectorem ſpiritum diffunderet. Civilia firmis legibus adſtrinxit, præmiis & pœnis ex æquo ad blandimentum & terrorem propoſitis, erga ſtrenuos munificus, adverſus improbos nec extra juſtitiam miſericors, nec extra miſericordiam juſtus. Sagax circa fiſcum cura, agere magna, & acta tueri docuerat, annis haud ita multis acceptum de ſylvis & paſtorali vita ſceptrum improviſa humanis conſiliis claritudine decoravit.

Hæc procul dubio magna, & ſæculis omnibus viſenda conſpiciuntur in Davide cum Deo conſpirante & agente. At ubi relictus ſibi & à mente divina deſtitutus, ſuos nævos habuit tantum ſydus, quædam improbè molitus, quædam etiam paſſus demiſſe.

Nævi Davidis cùm à Deo receſſiſſet.

Bonitas illi agnata in partem nimiæ facilitatis aliquando degenerabat. In mulierum amorem, non tantùm pronus, ſed ſævus in Uria fuit, quem Berſabæam uxore rapta, ſuæ libidini innocentiſſimam victimam immolavit. Inde numinis iræ ultrices longo ſqualore pœnitentiæ multiſque lachry-

Nimia facilitas. Amor mulierũ incautus. Supina indulgentia.

lachrymis expiatæ. Defluxit in familiam patris exemplum, Ammone ſtuprum ſorori Thamar inferente, quem nec ipſe pœnis coërcuit, ſupinâ erga liberos indulgentiâ. Hinc ultor Abſalonis gladius paternam Domum fœdo parricidio cruentavit: majora tum auſus, & molliori Davidis ingenio ſpes accenſas fovens, in thronum ejus violentus & ferox conatur irrumpere.

Mira ſupini animi conſternatio.

Ad hunc nuncium miſerandus ſenex conſtantiâ proſtratâ omnia timidè & flebiliter geſſit. Terrorem quem animi præſentia aliis minuere debebat auxit ſibi, primaria urbe dimiſſa, & palatio concubinis relicto, quod ſcilicet grex imbellis tueretur. Non tantum fugit, ſed humili & præcipitata fuga, totaque inſidiis expoſita, niſi divina vis conſcelerati filii mentem & conſilia confudiſſet. Omnia illi peſſum ruere, niſi Joab mœrentem erexiſſet, vel animaſſet ſemimortuum.

Alius Davidis nævus amicos factos negligere, amare faciendos.

Habuit præterea quod multis Principibus fatale eſt, & noxiū, amicos jam factos negligere, faciendos ardenter colere. Joabum qui nutantem illi & jam lapſuram capiti coronam aſſeruerat, deſtituere mens fuit, ut Amaſeam rebellis militiæ ſub Abſalone ducem ejus in loco reponeret, quæ res furias veteris amici tantum accendit ut interficeret æmulum.

Injuſtitia.

Jam Zibam perfidioſiſſimum Saulis ſervum contra Dominum Miphibozethum audivit, & indicta cauſa damnavit innocentem. Amantiſſimi Jonathæ ſcilicet filium bonis omnibus exutum, domeſtico, & procuratori perperàm mētienti in prædam tradidit, munuſculis quibuſdam ab eo delinitus. Cumque fraudem introſpexiſſet, abſtinuit à ſcelerati pœnis: ſocordi rum juſtitia jubens cum Domino dividere. Excuſat Toſtatus quod verecundum fuiſſet Regi factum infectum reddere. Sed peccati miſera defenſio eſt, id velle ſemper factum quod ſemel male feceris. Non mirum eſt ſi Principes ſæpè lateat veritas, ſed crimen eſt, ſi agnitam verecundiâ premant, præſertim in bonis alterius reſtituēdis, ubi tamdiu manet culpa, quandiu denegatur juſtitia. Xerxes apud Herodotum excuſat ſe quod inconſultè & juveniliter unum ex ſenatoribus ſuis ſenem & verendum, dictis carpſiſſet: inde uberior gloria quæ per modeſtiam venit.

Herodotus l. 4.

De amicitiarum Abnero quid cenſendum.

De Abnero quis Davidem excuſet, niſi ad divina placita cōfugiatur? Servus atrox & libidinoſus arguitur à domino lapſus in muliere; inde ferales iras in eum concipit. Accedit caput ejus & diadema mercede traditurus Davidi: Ille qui tam acerbè Saulem defleverat, qui tam acriter demortui inimicos perſequi ſtatuerat, qui ſe profuſo eſſe in domum ejus ſtudio tam ſæpè fuerat conteſtatus, audit proditorem tractantem de Rege ſuo ſpoliando, à quo dux militiæ & totius conſilii caput fuerat conſtitutus: ſi Dei conſilium fuit Regnum Iſrael Davidi concedere, noluit tamen per ſcelus. Poterat Abner à Domino leniùs recedere, poterat ſe ejus obſequiis ſubtrahere, ſpoliare ipſe & prodere licitè non poterat. Regi quoque ſi rem oblatam amare permiſſum, modum tamen quo offerebatur, non deteſtari, alienum à generoſitate fuit.

Juſtitiæ mirum in Camillo exemplum. Tit. Livius decad. 1 l. 5.

Quanto melius Camillus ludimagiſtro pueros Faliſcorum ſuæ curæ commiſſos hoſtibus prodenti reſpondit, *non ad ſimilem tui, nec populum, nec Imperatorem ſceleſtus ipſe cum ſceleſto munere veniſti.* Denudatum deinde eum manibus poſt tergum illigatis, reducendum Faliſcos pueris tradidit, virgaſque eis quibus proditorem agerent in urbem verberantes dedit.

Extrema Davidis

Extrema quoque Davidis carpere in morte Joabi Semeique pleriſque animus

Digitized by Google

fuit: ſed ſatius fuerat tanti viri cineribus velum obtendere, Joabi cædem ad rem ſtatus Theodoretus refert, dum occiſum memorat quod Salomoni in thronum conſcendenti obtrudere ſe, & res pacatas movere deſtinarat: in Semei verò quā ſervavit fidem intra perſonam ſuam continuit, nec ſacramentum libuit in filium extendere.

Ad ſummum ſi qui Davidis lapſus infinitis virtutibus obruuntur, & hos in omnibus ferè permittit Deus, ut ſolus Rex ſæculorum ab omni errore & labe immunis, cum profuſi animi veneratione cognoſcatur.

SALOMON.

DISSERTATIO OCTOGESIMA.

Quæ Salomonis probanda, quæ vituperanda?

In illa verba *Cumque jam eſſet ſenex, depravatum eſt cor ejus.* 3. Regum 11. verſ. 4.

Salomonis ornamenta.

TIMENDA ſunt ubique Dei dona etiam optantibus. Salomonis initia cæleſtis orditur favor, & ſequuntur progreſſus initiis pares: extrema horrori & ſilentio reſervata.

Mens bona.

Primò laudanda in eo eſt mens bona, quàm à Deo ſortitus fuerat, à teneris; donum inæſtimabile eſt, præſertim in Regibus pueris, odiſſe malum in bonum propendere, ferri in ſapientiam, virtuteſque præclaras, ingenii tractabilitate veluti ceream. *Amplectis* (ut ait Apoſtolus) *quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunque juſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia quæcunque bona fama.* Hæc Salomon mirificè præſtitit educatus in optimi parentis ſinu.

Laudata indoles pueri qua.

Non gratiùs ridet aurora diei ſereniſſimæ, quàm prima illa ætas fulſit texta veluti magnarum virtutum elementis, quibus ſe Deus infundebat, ſpargens amabilitatem quamdam quæ tum illi omnium animos devinciret.

Amor veri & ſtudium ſapientiæ.

Deinde ut prima pars virtutis eſt, ſcire quid facere debeas, inhæſit illi ab adoleſcentia ſitientiſſimus amor veri, & continuum diſcendi atque proficiendi ſtudium, tum ſcientiæ æſtimatio immenſa, quod ipſe teſtatur. *Optavi, & datus eſt mihi ſenſus; & invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ, & præpoſui illam Regnis & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius. Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius* Hanc vigilans perpetuò cogitabat, hujus amabiliſſima ſpecies placidè recurrebat in ſomnis, cùm dormiens oraret, & enixè hanc ſapientiam à Deo peteret, quam ſubito miraculo creditur conſecutus.

Sap. 7. 2. & 10.

Zelus juſtitiæ & in ea diſquirenda ſagacitas.

Accedit zelus juſtitiæ & in diſquirenda rerum veritate ſagacitas, quam in famoſa duarum mulierum concertatione pro vindiciis infantis prodidit.

Magnificentia.

Mox omnium admirationem rapit ingentium operum conſummatio, ſubſtructiones templi, & ædium regiarum magnificentiſſimæ, divinorum editiones librorum qui ſepultis marmoribus extant ſuperſtites: majeſtas Regno primùm aſſerta, vitæ ſplendor popularibus & exteris conſpicuus, ordo & providentia vitæ civilis

Pacis ſtudium.

Ad ſummum alta pax illa quam populis conceſſit toties diris bellorum laboribus

bus

Digitized by Google

buſexercitis,otii dulcedo, largitio continua,omnes in ejus amorem atque venerationem traxere.

Vitia Salomonis. Vanitas & oſtentatio divitiarũ. Segnior cura de rebus utilibus.

Multa ſunt autem quæ tantum decus infuſcant. Primum eſt quod de ornando potius regno quàm de firmando cogitavit. Totus fuit in divitiis congerendis, nõ tam utilitati quàm pompæ: ſegnior illi cura de parandis militibus & urbibus munitiſſimis,de armis commeatibus, fœderatis,de ipſa militari diſciplina. Hoc ſe Regem putabat ſi laſciviret opibus, & conchata caudæ volumina velut pavo ad ſuperbiam explicaret. Sed ut pulcherrimæ quæque animantes roboris expertes omnium infeliciſſimæ videntur,quod prædæ ſint magis natæ quàm vitę. Ita tot regiones auro & margaritis refertæ,miſerrimos nutriunt incolas,ſervituti & paupertati velut ab ipſa natura mancipatos.

Regnum dum auget, docet perdere.

Quid poterat facere tam Auguſtum Judææ Regnum inter Aſſyriorum atque Ægyptiorum Reges potentiſſimos, niſi audere pauca,& multa perpeti? Si parſimoniæ ſtuduiſſet potiùs quàm magnificentię, ſecuritatem obtinere poterat per contemptum: nemo ſpoliaſſet aut nudum aut nudo ſimile: ſed ubi grandes divitias & poſſidere cupiditas, & oſtentare ambitio fuit, rapaces manus undique invitavit ad ſpoliandum,nec vires habuit protegendo pares.

Alter morbus Salomonis indigeſta curioſitas.

Alter quoque morbus Salomonis fuit, multæ & indigeſtæ ſcientiæ curioſitas.

Infuderat quidem Deus ſapientiam, qua ſe,qua Regnum adminiſtraret, qua ſentiret divina & humana, quæ noſſet, ad æternam referret legem. At illi ſicut in divitiis ita in artibus & ſcientiis, fuit vanitas oſtentatrix quæ rumorem ante ſalutem poneret Expedit quidem Principibus ſcire, ſed magis ſciri per amplitudinem virtutis. Onerat potiùs quàm ornat inutilium rerum notitia, diſcerpit mentem debitam majoribus curis, & pretioſa vitæ ſurripit momenta, quæ negotiis oportet impendi. Nullus eſt quiſquis eſt multus, una regendi ſcientia Principibus incumbit, una ignorantia erubeſcenda eſt ſui & Regni: quæcunque agitant, quæcunque diſcunt, ad hunc ſcopum collineare debent,ut juſtè,ut fortiter, ut feliciter imperent. Hæc eſt ars Regum tantò cæteris anteponenda, quantò ſol minutioribus ſtellis.

Excudent alii ſpirantia mollius æra, *Æneid.6.*
Orabunt cauſas melius, cæliquæ meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſydera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento.

Inde Græciæ fatum venit quòd imperandi avida,imperii nervos amiſit, in delicias artium effuſa, auſterioris negligens diſciplinæ,& florida magis cultu, quàm ſolida virtutibus.

3 Reg. 9. 11. Ignorantia Politicarum rerum.

Tertium Salomonis vitium fuit quòd veras Regni opes & firmamenta non ſatis noſſet,cùm Hiramo Tyriorum Regi multas urbes, in ſuo conceſſit ſolo, quibus majora tentandi cupiditas, & invadendi occaſio naſceretur. Vix continent ſe qui pedem in alieno poſuere. Quos jura ponunt limites arma revellunt: quò haſtis, quò ſagittis pertingere poſſunt, ſuos ibi fines ſtatuunt, & metas putant cùm ultra progredi nequeunt. Debuit Salomon pecuniis quas ingentes habebat, præſtitas ab Hiramo operas penſare, non urbibus, quæ Regni corpus & ſubſtantiam conſtituunt. Si Tyriis animus æquè ad imperia quàm ad mercaturam pronus, prolixum fuit Judæam invadere, & fortè tentaſſent niſi Nabuchodonoſor totius orientis domina-

Digitized by Google

minationi inhians de tuendo lare ſuo magis quàm de alieno occupando cogitationem indidiſſet.

3. Reg. 11. v. 28. *Mens incauta in miniſtris legendis.* Quartus Salomonis lapſus mens incauta, in alliciendis ſibi familiaribus & in hominibus diſcernendis. Adamavit Jeroboamum juvenem, præclaris naturæ dotibus inſtructum, induſtrium, & nunquam ceſſantem, cui fiſcum, cui ſe commiſit. Is continua familiaritate arcana Regis expiſcatus, animi jam lapſi imbecillitatem & ſocordiam deprehendit. Animadvertit quoque filium ejus Roboamum deliciis à puero immerſum, imparem Regnis fore. Cœpit igitur agitare conſilia regnandi, quæ Salomonis reverentia preſſa, poſtquam è vivis exceſſit, in ſucceſſorem erupere. Hæc latiſſima principum peſtis, & ſemper exitioſa, quod acrius armant ſe ſuaque perdituros. Obvolutæ frontis blanditiis fraudes & mentita fallacibus obſequiis ſedulitas capit incallidos. Dominari ſe putant cum ſerviunt, & committunt uni omnia, cui peccare non tantū impunitas, ſed præmium eſt. Nil ambitioni tutum, ubi ſumma conſcendit, labi ſe putat, niſi per ruinas omnium fulciatur. Nec populo parcit, nec Principi, odiſſe ejus beneficia incipit cum jam creſcere non poſſunt. Æs ſiquidem parvum debitores, maximum inimicos conſtituit.

Quinta & maxima pernicies, ambitioſiſſima luxuria: nam mulieres extraneas contra Dei legem non tantum perditiſſimè deperivit, ſed mille in gynæceo habuit portentoſum numerum ad libidinem vel ad pompam lectas: defluxerat hæc labes æmulatione Aſſyriorum Regum, qui tum longè ante Sardanapalum regnabant, gula & venere peſſum dati. Tunc Trojanorum temporum fama per orbem oſtentabat luctuoſum Principibus ſcorti ſpectaculum cujus facibus arſerant Aſia & Europa. Quid cum mille fœminis facere poterat Rex perditus? cum per unam Helenam maximum imperium in cinerem abjiſſet. Non tantum pellax hic ſexus amandi libidine, ſed cupiditate dominandi, & ubi ſemel occupavere amoribus pectus, tyrannidem exercent in Regno.

Ambitioſa luxuria.

Ab iis miſerandum in modum proſtratâ ſapientiâ non tantum idola Salomon permiſit, ſed coluit, illecebris & præſtigiis infatuatus.

Apoſtaſia à fide. Novanda religionis peſſimum exemplū. Sexta hæc calamitas, quòd novandæ religionis exemplum edidit peſtiferum regnantibus. Nam cum omnis mutatio legum antiquatum in Regno ſit timenda, etiam cùm prodire putatur in meliùs, quia verti poſſe ſtatum imperii docet, & moveri quæ fixa putabantur. Tum certè exitialis eſt, cùm divinæ leges attentantur, & cōvelli incipiunt ſacra tot ſæculorum monumenta. Scinditur in diverſum vulgus, aliis ad libidinem dominantis religionem componentibus, aliis ritus antiquos retinentibus. Inde odia & diſcordiæ, & bellorum incendia, quæ vix cruore tot mortalium reſtinguntur. Deinde averſos ſequitur ultor Deus, & deſtruit qui contra ſe abominandos cultus ſtruxere.

Ad ſummum illud quoque funeſtum quod ex tot mulieribus unum hæredem Salomon reliquit, nō imitatorem ſapientiæ, & laudatorem operum, ſed flagitiorum, per quem, jam tentata ſub patre Regni moles planè collapſa, aliis terrori, aliis exemplo fuit.

***

RO-

Digitized by Google

ROBOAM.

DISSERTATIO OCTOGESIMAPRIMA.

De Roboamo.

Cur Heroum filii rariſſimè in tertiam aut quartam generationem ſimiles origini evadant?

In illa verba. *Erat Roboam rudis & corde pavido.* 2. Paral. 13. v. 7.

Rationes quæ degeneres filios arguunt.

MIRABITUR quis tam citò decoloratum in Roboamo Davidis ſanguinem, & nullam in nepote avi virtutem ſed multa ſunt quæ illud efficiant. Primò lex naturæ creatæ quæ ſenſim à primo vigore defluit, & paulatim marceſſit. Irides in aëre ſi multæ fiant, vegetiores radios prima excipit, ſecunda debiliùs nitet, tertia vix apparet. Eſt in animalibus, eſt in floribus hæc viciſſitudo, degenerant ab origine, nec eandem vim aut formam æquè tetinent. Evenit in familiis quod in corporibus ſeneſcunt, nec poſteri avis pares ſurgunt, niſi poſt aliquot tempora Deo rurſum inſtigante quiſpiam lacertos moveat contra vim torrentis eluctatus.

Prima naturæ creata lex.

Iridum ſimilitudo.

A patribus.

Adde quod Heroes virique magnanimi ſint ferè omnes calidæ & acris naturæ, quam ipſi longo uſu edomuere, non ita res ſe habet in filiis, quibus ineſt calor à patrum ſanguine, nec moderatio à virtute: eo igne quo parentes in calcandis hoſtibus, in orbe ſubigendo, in præclaris rogæ facinoribus uſi ſunt, abutuntur ad pudicitiam mulierum labefactandam, ad ſcorta, ad ganeas, ad rixas ſanguinemque civilem.

Jam illud non rarò contingit ut viri magni, poſt bella & triumphos, poſt actam in crudis laboribus vitam, potiti rerum & otii dulcedine deliniti, nimis in rem uxoriã & in teneritudinem liberorum proni vel molliores generent vel genitos nimis blãdè & indulgenter foveant. Ex quo fit ut educatio quæ eſt altera, eaque affabrefacta natura, deliciarum veneficiis intincta, virus in omnem vitam ſpargat.

Magnum ſæpè virtutis impedimentum Regem naſci.

Tandem magnum pleriſq; virtutis impedimentum Reges naſci. Infert ſe rebus arduis fortitudo nondum peracta fortunę mole, quęrentem multa ubique ſtimulant quęſitis incubantem ignavia deprimit. Ex. pediret Reges pueros (ſi fieri poſſet) ſe ſuaque ignorare, ut flecti tenera ætas poſſet, quæ conſcientiâ magnitudinis obdureſcit.

Ex paſtorum caſis emerſere Nabuchodonoſor & Cyrus domitores Orientis, duris aſſueti ut ferocia pervincerent.

Roboami peſſimus ſtatus ſub ingreſſum regni.

Veniebat Roboamus ad Regnum ex profundo deliciarum, bonarum artium expers, & tantum ſaginæ intentus. Res eo ſtatuerant, quo ingentes Salomonis divitias luxus ingentior decoxerat. Jam converſus ad rapinas ſenex cui inſtar lapidum paulò ante argentum fuerat. Scyllæ, & Charybdes erãt in Regno, quæ omnia devorarent. Aurum Ophir non ſufficiebat ad ſatiandas Amaſiarum cupiditates, quas fortuna Regis, & abjectæ mentis ſocordia, in dies intendebant, litandum fuit monſtris de pauperum ſudore & ſanguine. Inde facies imperii detrita, ſqualor inviſus, & ſuppreſſi gemitus, vel timore regnãtis, vel ſpe regnaturi, quem ſibi commodiorem optabat populus magis quàm credebat. At Roboamus Salomone defuncto, in principiis ubi validiſſima eſt imperantium fama, repudiato ſenum & induſtriorum virorum conſilio, legit ſibi juve-

Stupendus error in principiis.

 nes

Digitized by Google

nes imperitos rerum, & ſatiandæ tantum libidinis avidos: his conſultoribus populos ſuis genibus advolutos, & infimis precibus ſupplices ut jugum laxaretur, ſuperbè contempſit, atrociora etiam jam præteritis interminatus: ſtatim ſequuta deſperationem defectio, telam jam dudum ordiente Jeroboamo, & ex duodecim tribubus quibus Regnum conſtabat, decem avulſæ, novum Regnum, novas etiam aras moliuntur. Hæc conjuratio marcidum & ſtupentem Roboamum oppreſſit, quàm diſſuere conantem infractæ vires & divinæ demum voces avertere.

Sciſſio imperii.

Impietas. Ad cumulum malorum acceſſit impietas, abdicato Dei omnipotentis cultu, & populo contagione ſceleris infecto. Inde Regi jam lacero excitatus Ægyptiorum Princeps Seſac, qui cum magna gentium colluvie in quibus erant Lybies, Troglodytæ, Æthiopes, in Regnum Judę invectus flammis omnia & cædibus vaſtavit, expilato templi Regiſque theſauro.

Anno ætatis 41. regnavit per annos 17. 2. Paral. 11.23. Sic Dei contemptorem deriſoremque miſerorum ſubditorum, dum inter diſſolutam juventutem laſciviret, horrenda quæque perculere. Confracto deinde ſerpenti haud abſimilis repſit potiùs quàm ſtetit in Regno, nulla res magis memorabilis, quam quod fuerit ſexaginta concubinarum maritus, & totidem liberorum pater. Filium reliquit Abiam, quem patris impietas ſequuta, & triennis Regni ſpatium, eripuere magis ſceptro quàm prodidere.

* * *

ABIAS ET ASA.

DISSERTATIO OCTOGESIMASECUNDA.

Cur cum unus eſſet impius, alter pius, ambo æque ingentes victorias de inimicis retulere?

In illa verba. *Ambulavitque Abias in omnibus peccatis patris ſui, & fecit Aſa rectum ante conſpectum Domini.* 3. Reg. 15 v. 3. & 11.

Solent pii homines & quidem juſtè, martis felicem aleam pietate ſemper aſcribere, improſperam impietati; hîc tamē occurrunt duo Reges quorum unus idolorum cultor, alter deſtructor, ambo in profligandis hoſtibus felices. *Paral. 2. 13. & 14.* Armatur Hieroboamus in Abiam cum octingentis hominum millibus, contra quadringenta; tanta verò clade obtritus fertur, ut quingenta millia una acie occumberent, ex altera parte Zara Rex Æthiopum in Aſam invectus, ſecum trahit armatorum decies centena millia, qui divino terrore afflati ad internecionem deleti ſunt. Benè hic cęleſtem manum advertis, tonantem, fulminantem, permiſcentem omnia. At id in gratiam Regis optimi, de quo ait ſcriptura, *fecit Aſa rectum ante conſpectum Domini, ſicut David pater ejus, & abſtulit effœminatos de terra, purgavitque univerſas ſordes Idolorum, quæ fecerant patres ejus. Inſuper & Macham matrem ſuam amovit, ne eſſet Princeps in ſacris Priapi, & in Luco ejus quem conſecraverat, ſubvertit ſpeciem ejus, & confregit ſimulacrum turpiſſimum, & combuſſit in torrente Cedron.* *3. Reg. 5.*

Dignum

Digitized by Google

Ita Hebraum. Dignum planè facinus tanto Rege, qui nec matri idololatræ ignovit, quàm Auguſtæ ſummovit honore. Sed miror Toſtatum qui putat eum delubris & idolis quæ Salomon in gratiā concubinarū extruxerat, peperciſſe, cùm dicatur non abſtuliſſe excelſa; abſit, iſtud de tanto Rege ſuſpicemur qui expreſſe narratur *univerſas ſordes idolorum quæ fecerant patres ejus, purgaſſe.* *Ita planè & diſertè Nicolaus de Lyra in hunc locum.* Excelſa hîc non ſunt templa ſimulachrorum, ſed loca in quibus Deus verus colebatur, antequam templum eſſet extructū, quæ tunc licita erant omnibus. At poſtquam tam affabrefacta templi moles ſurrexit, prohibitum fuit ſacra offerre in excelſis licet verò numini. Hæc non delevit Aſa, quia non erant impietati deſtinata, & tolerari tunc melius exiſtimavit, quàm exſcindi: ſatius eſt enim aliquando quædam adulta & prævalida omittere, quàm hoc aſſequi ut oſtendamus quibus vitiis impares ſimus: juxta Tacitum. Cætera verò cōſtanter deſtruxit ne qua macula peregrini cultus reſtaret. Bene igitur pugnat Deo protectore, qui ejus cultum tanto zeli ardore aſſeruit. Sed cur ſcelerato Abiæ qui ambulavit in omnibus peccatis patris ſui, eadem felicitas obtigit? Reſpondeo id fieri varias ob cauſas.

Cur impii aliquando in rebus gerendis felices. Prima eſt quod Deus non deſtruit naturam rerum, quàm ipſe fecit, ſinit quæq; ſuo impetu niti, & fluere, quaſi fato quodā naturali. Inde eſt quod arbor frondes, homo capillos emittit. Aves ova generant ſpes animantum, cæteræ animantes ſemina quæque intra ſuam ſpeciem procreant. Idem naturę author qui ungulas equis dedit, rictum immanem urſis & leonibus, canibus ſagacitatem, celeritatem leporibus; contulit homini mentem providam, & capacem omnium, hanc permittit agere, hanc concurſu generali movet & promovet, intra fines illi deſtinatos, nec minùs curſum ejus impedit, quàm fluviorum aut ignium. Ex eo liquidum eſt quod multi ſæpè impii opibus, honoribus & claris rerum ſucceſſibus floreant, quòd acri ſint ingenio, ſagaci prudentia, robore valido, infatigabili vigilantia: Quæ naturæ dona Deus non inhibet, cùm ipſe fuerit largitus nec fruſtratur ſuo cauſas effectu, quem & ipſe deſtinavit.

Abia tum habuit in exercitu viros bellicoſiſſimos, quos grandi oratione incendit (ut ſacra notat hiſtoria) conteſtatus ante conflictum, ſuæ cauſæ æquitatem, & de rebellione hoſtium acerbè quæſtus, unde illi animus, adverſariis pavor additus. Mirum eſt quòd impium umbra quoque religionis adjuvit, clamantem Deum, & ſacra penes Judam eſſe. *2 Paral. 13. v. 3.*

Altera cauſa eſt quod Deus penſat egregia Patrum facinora etiam in filiis ſceleratis. Nondum extinctus David, nondum abolita tanti Principis memoria, præſens inerat animis, pugnabat tot armis quot erant militum manus. Roboamum licet avo Davide progenitum deſtituerat is favor, quod in populum ſuum, in carnem ſuam ferus & immiſericors extiterat.

At verò Abiam conciliantem amica vi eloquentiæ populos, & avitæ religionis cultum licet per ſpeciem prædicantem ſequebatur ingens hominū multitudo. Delituit olim in Palatio Honorius molli ſocordia cùm Deus colluviem Barbarorum à finibus ejus arceret, & domeſticos Tyrannos multa vi & perfidioſiſſimis artibus adverſus eum enixos frangeret.

Sæpè etiam in deterrimis aliquid boni deprehēdit ſummus Judex, quod ſine pręmio non permittit. Meminit Nabuchodonoſoris tam projecti tam feri. *Merces* (inquit apud Prophetam) *non eſt reddita ei, neque exercitui ejus de Tyro, pro ſervitute quàm ſervivit mihi adverſus eam.* *Ezechiel 29. 18.*

Ii 2 Tandem

Tandem ſi deſint cætera, aſpicit ſeipſum indefeſſus Dei oculus, & tuetur pravos etiam Principes contra infideles, ne hoſtes ſuperbiant, & victorias ſuas in domini dedecus vertant. Sic enim divinus Moſes interpretatur. *Propter iram inimicorum distuli, neforte ſuperbirent hoſtes eorum; & dicerent: manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit has omnia.*

Deut. 33. v. 27.

Denique quanti æſtimet Deus opes & imperia quæ homines tam impenſe mirātur, vel eò oſtendit quod flagitioſiſſimis ſæpè mortaliū largiatur. Quid enim ſunt apud Dominatorem Deum, cenſus, honores, & gloriæ faſtigia, niſi viliſſimorum inſectorum etiam à nobis avolantium mentitus decor & illecebroſa vanitas? Diſertiſſimè hoc Propheta deſcripſit, cum dixit, *Plures feciſti negotiationes tuas, quam ſtellæ ſint cœli, bruchus expanſus eſt, & avolavit.*

Nahum. 3. 16.

Nihil magnificum, nihil ſtabile in rebus humanis, fluitant omnia, modò attolluntur, modò deprimuntur, abſorbentur terræ, ſiccantur maria, ſubſident montes, regna tranſeunt, & per orbem choræas ſuas verſant. *Deinde avari laudis animi favorem deſiderant ſudore mercari, & per blandimenta gloriæ crucem narrantis ignorant.*

Ennodius diaconus in apologetico.

ASA.

DISSERTATIO OCTOGESIMATERTIA.

Cur in Aſa reprehenduntur multa; cum dicat ſcriptura, *& fecit Aſa rectum ante conſpectum Domini, ſicut David Pater ejus.* 3. Reg. c. 15. v. 11.

NIhil beatum ex omni parte, nihil à labe prorſus immune. Rectum fecit Aſa dum patriam religionem aſſeruit: ſed non omnia rectè, nec ſemper, cum in quędā poſt hæc vitia lapſus eſſe credatur. Primum quod illi objicitur illud eſt quod excelſa non abſtulerit: ſed (ut prælibavi ſuperiori quæſtione) non eſt hoc erratum tanti, quanti voluit eſſe Toſtatus, vir ingentis doctrinę, ſed qui in tanta voluminum mole non omnia diſcutere potuit. Exiſtimavit enim Aſam tantum ſuſtuliſſe illa excelſa quæ à privatis fuerant excitata, non attigiſſe autem delubra quæ proavus Salomō Amaſiis conſtruxerat ad cultum idolorū. Deinde hoc languidè excuſat, quod non magnum in populo ſcandalum excitarent, ſed quis credat? quis ſine cenſura prætermittat? Scilicet *non excitabant ſcandalum*, an quia ſubmota teſtibus oculis? At erant in montibus, in locis oculatiſſimis poſita, An quia per plebejas manus inſtaurata? Sed Rex ſcientia præcipuus & authoritate præpotens author & conditor ab omnibus tenebatur. An quia in gratiam proavi Salomonis debuit illis parcere? Sed quis idololatriam tot apud Judæos ictam fulminibus, tot diris deteſtatam, tot cædibus hominum & toties expiatam putet tolerandam fuiſſe à Rege pio numinis cultore, in favorem naturæ, contra naturæ Dominum, & fundatorem: Non ſunt igitur ut dixi, hæc excelſa quæ Aſa non abſtulit de illis profanis & impiis intelligenda: ſed de privatis quibuſdam ſacellis in collibus olim excitatis & vero Deo dicatis, in quibus poſt conditum templum, contra fas plerique adhuc ſacra faciebant.

Aſa errata an peccarit tolerando excelſa. Quid propriè excelſa? Quod nō ſint templa idolorum.

Certè cognatio hominis cum Deo, maxima eſt, & Deum quæſivere etiam à Deo averſi, palpantes in tenebris, ſi fortè attrectarent, *quanquam non longe ſit* (ut ait Apoſtolus) *ab unoquoque noſtrum, in ipſo enim vivimus, movemur & ſumus.* Itaque primi Patriarchæ nondum templis inſana mole

Actuum 17. v. 27.

Digitized by Google

mole conſtructis, litabant in lucis & montibus, in locis puriſſimis, quæ poſtea gentilitas ſacrilegio polluit. Tum excelſa inſtaurata ſunt deteſtanda, in quibus numinis umbræ, & figmenta, in thronum Dei aſſerebantur. Hæc omnino ſacris legibus prohibita, & ſeveriſſimis addicta pœnis. Inde & Chriſtianorum tempore pagani ſunt appellati, qui ſe legitimis ſacris ſubducebant, ut in pagis & ſolitudinibus, obſcœnos gentilium cultus frequentarent. At in Judæis cum tabernaculum & templum nõ ſuppeterent, religio fuit proſeuchas, certos nempe ad orationem locos deſtinare à tumultu & contagione pravæ ſocietatis ſegreges. Hos autem poſt templi molitionem retinere, & in illis ſacrificare vetitum fuit. Sic in uſu Chriſtianorum eſt non omnibus permittere, & omni loco ſacella ad arbitrium ædificari. Ita enim in Concilio quodam Turonenſi præſcriptum, *nemini liceat, quacumque fulgeat dignitate, ſacella de novo erigere, cujuſvis privilegii prætextu, nec in his miſſas, aut alia divina celebrare, abſque Epiſcopi licentia.* Vides vetari bona quæ non fiunt bene, non ut impediatur cultus numinis, ſed ut honeſtetur. Sic excelſa pleraque damnata, non quod in iis litaretur idolis, ſed quod minuere auguſtioris templi magnitudinem putabantur. Contentus igitur fuit Aſa nefarias religiones extinguere, nec ultra contra torrentem luctatus, privata piorum etiam hominum ſacella voluit abolere, cùm iſta poſſet pro ratione temporum tolerare. Abſit igitur ut tantus Rex & tam ardens cultor numinis putetur idololatriam permiſiſſe.

Duplicia excelſa quædam plane ſacrilega, quædam pia.

Pia non omnibus permiſſa.

Alterum quod incuſant in eo vitium eſt quòd matrem non tantum à Priapi ſacris amovit, ſed dignitate quoque regia ſpoliavit. Sic enim habetur Paralip. 2. c. 15. *Machaam matrem ex Auguſto depoſuit imperio.* Certè matris nomen non modò blandum, ſed ſanctum, nec dubium eſt quin matres auguſtas omni obſervantia colere filii Reges debeant. Parentibus enim ſicut diis (ut ait Ariſtoteles) honor eſt exhibendus. Quod Monarchiæ & Reges ſint de jure gentium eſt; quod filii parentibus naſcantur obſtricti, de naturæ lege, de præcepto Dei, de prima omnium paternitate venit. Neque tamen ita illos obſequi matribus oportet, ut permittant illis agere & fovere flagitia ac ſcelera, contra leges divinas atque humanas; Et ſi attentarint, ex officio habent coërcere, non tantùm ſuaviter, ſed fortiter, erepta authoritate, quæ eſt maximum nequitię inſtrumentum. Plerique eò devenere ut dicerent Aſam non tantum privare imperio, ſed occidere matrem debuiſſe. Bene hoc audax & immane piaculum Toſtatus hîc refutat & deteſtatur. Bodinus quoque non abs re execratur dirum Veneti cujuſdam facinus, qui Patris proſcripti caput detulit ad rempublicam. Non eò devenit Aſa; at cum animadverteret matrem non tantum propudioſi illius idoli ſacris intereſſe, ſed præeſſe velut inſignẽ maleficam, & abominabilis chori antesignanam, primùm à ſacris impiis removit; deinde cum poteſtate auguſtæ abuti ad firmandam impietatem tentaret, eripuit telum furenti, ligavit amicè phreneticam, ſummi Dei ex profeſſo adverſariam & dæmonibus inſano fœdere conſociatam; quid hoc aut religioſius? aut modeſtius?

Altera incuſatio Aſæ de matre.

Reges filii honorem debent matribus

Ariſt. l. 9. Ethic. c. 2

Τιμὴν καθάπερ θεοῖς.

Veneti cujuſdã factum execrandum.

Addunt fuiſſe in eo peccatum quòd Medicos conſuluiſſet. Non dubium quia Magi plerumque Medicorum nomine abuſi ſint, altiorem (ut ait Plinius) ſanctiorẽque Medicinam polliciti; ſed hi meritò deteſtandi. At veri Medici non tantum illuſtres, ſed deorum filii apud Græcos dicti, & in ſacris literis etiam commendati;

Tertia de Medicis.

Plinius lib. 30.

Eccl. 38. v. 1.

2 Paral. 16. v. 12. non vitio vertitur Aſæ quod Medicos conſuluerit, ſed quod in infirmitate ſua non quæſierit Dominum, magis in medicorum arte quàm in Dei poteſtate confiſus.

Quarta fœdus cũ Syru & ſævitia in Prophetam. Aliud eſt præterea quod in Aſa veriſſima Domini voce; & cenſura carpitur. Cùm antea Dei fretus auxilio immanes hoſtium copias debellaſſet, jam ſenex deflexit ad artes politicas & humana præſidia, ſacris etiam pecuniis avidas impoſuit manus, cum Rege Syriæ percuſſit fœdus, & de theſauris Dei vivi Syros milites fecit à vera religione alienos. Quamobrem Deus excitavit illi Ananum Prophetam qui non miti brachio perſtringeret, ſed acerbè increparet, conſilium iſtud ſtultitiam appellans. *Paral. 2. 16 9. & ſeq.* Excanduit princeps magnæ authoritatis, nec aure jam facili; monitorem ſtatim conjecit in vincula, ſævitiam facti arguit immiſſus à Deo morbus quo per biennium conflictatus triſtem & dolore confectum ſpiritum emiſit. Credibile eſt pœnitentem objiſſe, idolorum everſorem & veri numinis aſſertorem; nihil tamen de ejus pœnitentia ſcribitur. Tantum memoratur ambitioſiſſima ſepultura, qua impoſitus lecto aromatibus confecto, unguentiſque meretriciis quæ erant Pigmentariorum arte confecta. Inter hæc elatus ſalute dubia, aviditate gloriæ manifeſta.

***

IOSAPHAT.

DISSERTATIO OCTOGESIMA QUARTA.

Quid in Joſaphato præcipuum? quid etiam culpandum?

In illa verba *Ambulavit in omni via Aſa patris ſui.* 3. Reg. 22. 43.

ASÆ ſucceſſit Joſaphatus regum ferè laudatiſſimus. Totus in eo David refloruit, exacto jam ſæculo redivivus: Fuit enim Princeps ingentis animi & curæ ſagaciſſimæ. Pervidit omnia quæ imperium anteceſſorum attriverant, eaque magna vi autvicit aut ſummovit. Retractavit animo ambitioſas Salomonis divitias in prædam congeſtas Barbarorum, quòd in cogendo avidior fuiſſet quàm in ſervando prudentior. Itaque nõ eſt imitatus avium ſpecioſiſſimas quæ plumas ſpoliantium aviditati nutriunt: roborare ſe maluit quàm oſtentare. Statim adjecit animum ad conſtituendas urbes munitiſſimas, quo ſcilicet obice erumpentem hoſtem aut frangeret aut laſſaret. Collocavit in locis opportunis præſidia quæ in imperii tutelam vigilarent. Recenſuit militiam, & ex tota gente legit quinque duces probatiſſimos, quibus ſingulis ſuas copias, ſuum exercitum aſſignavit ut parati eſſent ad ſubita, & virtutem æmulatione accenderent. Ednę claritudine armorum magis eminenti dedit trecenta millia; Amaſiæ ducenta millia, totidem Eliadæ. Jozabadæ centum octoginta millia. Ita bellatores omnes in ſua quemque caſtra deſcripſit, ut legiones cùm vellet, haberet ad manum: non extimuit

Erat annorũ 30. & regnavit 25. 2. Paral. 20. 31. dicitur fuiſſe 35. annorum cũ regnare cœpit, ſolus nẽpe ſed quinquennio antea regnaverat cũ patre.

Ioſaphati ſumma prudentia in Regno conſtituendo. Munita oppida.

Arma.

Digitized by Google

muit tot dominantium potentiam, cùm probaſſet antea fidem, & partiri in diverſa placuit militiæ imperium, ne ſi in unum omnia congereret, aut obrueretur mole curarum, aut cætera quæque ambitione obrueret.

Fiſcus Sciebat non poſſe tantũ ſtare ſine opulentia Regnum, ideoque in fiſco comparando ſedulus imprimis fuit. At recordatus Salomonis & Roboami cruenta vectigalia, & acerbam vim exactorum, plurimum nocuiſſe, non quęſivit artes parandę pecuniæ ſubdolas, non armorum terrore expreſſit licita atque illicita; ſed ſtatim ſe boni publici quàm ſtudioſiſſimum profeſſus eſt. Omnes in id contulit curas, ut ſub eo populus non modò commodè ſed laxè viveret. Magna interim molitus ad civium utilitatem, & omnibus obvia: Ex quo tanta ſubditorum benevolentia eſt conſecuta, ut ultrò populi undique offerrent illi tributa, & munera. Inde tantam conflavit divitiarum magnificentiam, ut ſcriptura dicat, *confirmavitque Dominus Regnum in manu ejus. & dedit omnis Juda munera Joſaphat, factaque ſunt ei infinita divitiæ & multa gloria*

Humanitas in tributis quæ ultro populi deferebant.

2. Paral. 17. v. 5.

Tributa laudatiſſima.

Certè liquor ille qui ex myrrhæ arbuſcula radio ſolis exprimitur, longè nobilior quàm qui ferro extorquetur. Et hæc demum tributa ſunt laudatiſſima, quæ civium amor elicit, non quæ vis & terror cogit.

Renovatio regni. Tandem armis, opibus & authoritate firmatus, renovationem Regni à fundamentis aggreſſus eſt. Dei populum abſque Dei lege ſtare non poſſe credidit. Itaque reliquias abominandæ ſuperſtitionis invicta conſtantiâ profligavit: deinde cum animadverteret omnia inde ſcelera & flagitia ſuboriri, quod fons verbi divini exaruiſſet, primus omnium Regum ſuſcepit dignam Evangelio curam: deſtinavit Principes, ſacerdotes, Levitas ex flore primariæ urbis, qui omnes urbes & pagos indefeſſo labore luſtrarent, & populum vel ingenio ſuo vel adminiſtrantium ſocordia rudem erudirent. Tanta inde Regis veneratio, tanta populo addita eſt fiducia ut qui antea dejecti, tum hoſtibus formidoloſi exiſterent.

Religio reſtaurata.

Addidit religioni comitem juſtitiam: namque præ cæteris qui eum præceſſerant Regibus, accuratiſſima ſedulitate judices conſtituit, qui in ſingulis urbibus à ſe munitis jura redderent. Ipſe autem quaſi vox & ſpiritus omnium monebat *Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini: & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit, ſit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite: non eſt enim apud Dominum Deum noſtrũ iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum* Forum præcipuè nobiliſſimum Hieroſolymis conſtituit, cauſaſque ſolertiſſimè diſtinxit, ut quæ Dei eſſent, Pontifici relinqueret, quæ Regis Regiis quoque judicibus committeret. Sic enim ille, *Amaſias autem ſacerdos, & Pontifex veſter in his quæ ad Deum pertinent, præſidebit. Zabadias filius Iſmahel qui eſt* Dux *in domo Juda ſuper ea opera erit quæ ad Regis officium pertinent.*

Juſtitia. Paral. l. 2. 19. v. 6.

2. Paral. 19. v. 11.

Tam validum iſtis artibus conſtituit Regnum, ut civibus reverentiam ſui, terrorem hoſtibus maximum pareret. Iſraëlitæ qui cæteros turbare Reges conſueverant, ſub Joſaphato quievere, vel timore potentiæ, vel nominis fama. Sed Moabitæ & Ammonitæ acerrimè de Judæ Regno delendo cogitarunt prævalido exercitu jam in fines Hebræorum irrumpente. Rex cæleſtibus ſemper armis intentus ſolemne jejunium indicit, & longa oratione ſuis militibus ſpem & fiduciam inſpirat. Indè ſequuta ſtrages hoſtium pro-

Reverentia populorum & terror hoſtium.

Fortitudo in bello.

prodigio ſimilis, ut non tam ad bellandum quàm ad ſpolia diripienda profectus ex urbe Joſaphatus videretur.

Unus Ioſaphata nævus.

Unus in tam excelſo Rege nævus, qui caſtra, qui præſidia, qui tot munitas urbes contra hoſtes habuit, ab amicis propè deletus eſt.

Nimia facilitatu pericula.

Per impii Achabi ſocietatem, & conjugiũ profanũ omnia peſſum dedit.

Ingens animi tormentum amicitia, quę ſæpè domat antea indomitos, & blandè flectit in deterius etiam qui conſtanti pietate videbantur. Erat Joſaphato comis vita, & convictus facilis. Odiſſe poterat, vitia, vitioſos à ſe undique arcere non poterat: ſubrepſit in ejus familiaritatem. Achabus per delicias, & amœna vitæ, magnificè excipiens in Regno, inde amor imprudens, & adverſus amantem cæcus, non conſideravit funeſtum odiis divinis & deteſtabilem Achabi domum, non animadvertit illic omnia per Jezabelem furiam agitari & turbari. Cereus in amicitiis fuit qui ferreus in hoſtes ſteterat Non tantum armorum inivit cùm eo ſocietatem, ſed peſſimum ſanguinem per matrimonio ſuo immiſcuit. Ex eo malorum Ilias in Joſaphati domum fluxit, & ſeris nepotibus lentæ peſtes.

2. Par 11. 2.

Hoc illi objecit animoſus Propheta, *impio præbes auxilium, & his qui oderunt dominum amicitia conjungeris. Et idcirco iram quidem Dei merebaris; ſed bona opera inventa ſunt in te, eo quod abſtuleris lucos de terra Juda.*

Tuxii Venus. Deſi. theus. 3. Itali corum.

Cùm Fabricianus Dux Romanorum Tuxium Principem Samnitium urbem everteret, inde Veneris aſportavit ſtatuam primùm familiæ blandam, mox feralem: nam ad mores Veneris quàm præ oculis habebat uxor ficta, primum adultera, deinde etiam mariti homicida.

Duæ nempe Veneres Jezabel & Athalia, in Achabi, & Joſaphati domum invectæ, primum per amoris ſpeciem gratæ, mox horribiles & tetræ, omnia nefanda, dira illi omnia peperere.

IORAM.

DISSERTATIO

OCTOGESIMA QUINTA.

Unde tot ſcelera ejus & ruinæ?

In hæc verba. *Ambulavitque in viis Regum Iſrael, ſicut ambulaverat Domus Achab filia enim Achab erat uxor ejus.* 4. Reg. c. 8. v. 18.

UNDE tam citò ab optimo patre tam degener filius? Certè qui populos etiam à ſe remotos diſciplinæ præceptis imbui tam ſtudioſè Joſaphatus curaverat, haud quaquam neglexit filium Regni ſucceſſorem; ſed fruſtra laborant parentes in filiis erudiendis, ſi honoribus evectos, divitiiſque cumulatos peſtilenti ſocietati relinquant. Quoties monuerat filium Rex prudentiſſimus, & amantiſſimus pater, ut Deo vivo & vero inflexibili conſtantia totus adhæreret, deteſtaretur idola, & undique Regno ſemoveret: Quoties amorem fratrum, quoties in omnes ſubditos charitatem enixè commendavit. Quoties deteriorum exempla tot funeſtis caſibus implexa: Quoties bonorum palmas & decora per ævum victura non otioſus doctor, ſed monitor efficax monſtraverat? Omnia ſtatim in irritum ceſſere, dum illi incautus & amicitiæ blanditiis evictus uxorem ſociat Achabi filiam.

Iorami perditio ex malo cõtubernio, & uxore nefanda.

Invaſit juvenilem animum pellax mulier, & repentè omnes doctrinę ſatus evulſit, omnes pietatis igniculos extinxit, nihil ab illa intactum, nihil cum illa purum.

Inde

Digitized by Google

Iorami crudelitas.

Inde non leviter mutatus in aliũ Joramus, ſed totus everſus, cœpit ab ovo non rudis Tyrannus exiſtere: Tyrocinium fecit à cęde fratrum, quos multos & opibus auctos, pater reliquerat. Hic Cainus in regno tam lato, tam opulento, quaſi Gyaris clauſus æſtuabat, dum fratres viverent. Per ſanguinem ſuum victimarios toties cultros egit, ut regnaret in homines, qui erat tot ſcelerum mancipium. Ars dira per fratrum viſcera coronas quærere, nec regnantibus fida: Tam diuturnum, tam felix regnum (ait Bodinus in politicis) noſtri reges tenent, quòd conſanguineos humaniter tractare conſuevere, etiam nova molientes corrigere maluerunt quàm opprimere. Hæc parricidis Ptolomæis, hæc Neronibus, hæc Othomanis in omne genus hominum ſævus lex ſit fraternum ſanguinem fundere, non imbutos ſanctioribus præceptis reges addecet. Veniunt ad felices illos rerum Dominos tandem fratrum manes, & aut ferro, aut morbis exectandis conficiunt ſibi graves, omnibus inviſos.

Fratrum amor in Regibus Galliæ commendatur.

Addidit fratribus Joram multos de Principibus Juda, quos immaniter occidit, adeo tyrannis conſuetum eſt, quicquid eminet ſuſpicere, quicquid ſuſpiciunt odiſſe, quicquid oderunt de medio tollere. Nec tamen mirum eſt ſi tam ſævus fuerit in mortales, qui Deum immortalem ſacrilegiis irritare non deſtitit. Excelſa quæ pater diruerat, ædificavit, idola quæ contriverat erexit, & prurientes in cultus dæmonum, ipſa ſcelerum licentiâ incitavit.

Iorami ſacrilegia

Non ſemper felix improbitas: Sic enim Deus decrevit, ut qui regum Juda furioſiſſimus haberetur, eſſet etiam infeliciſſimus. Concuſſus ſtatim regni ſtatus ex una parte Lobnâ deficiente; ex altera rebellantibus Idumæis.

Regum ſuit infeliciſſimus qui peſſimus.

Intus tamen furenti Principi nihil reſiſtere audebat, adeò ſterile magnatum mentium ſæculum. Venit grandis & minax ab Elia Epiſtola, quæ infamem ejus vitam argueret et clades horrendas & ferale morbum denunciaret; ſed unde illa? Propheta jam ante annos novem de commercio hominum ſubtracto? Quidam alium hîc Eliam quàm Thesbitem fingunt, qui nuſquam nec in ſacris exſtat, nec in prophanis literis. Alii ante mortem Eliæ ſcriptas literas, & per novennium aſſervatas memorant; qui humano interpretantur modo factas ab hominibus hujus ſæculi juxta Eliæ ſpiritum putant, & eo tempore vulgatas quo ad extremum malorum res devenerat. Potuit certè ipſe Elias ante obitum vaticinia de futuris regibus edere, eaque diſcipulis arcanis literis legare; ſed cũ in iſto homine omnia prodigii plena fuerint, non eſt incredibile cæleſtẽ illum ſpiritum Eliæ inter amœni Paradiſi delicias, ad ſolatia populorum curas intendiſſe, & Deo ita diſpenſante dictatam ab eo Epiſtolam Angelorum miniſterio inter homines diſſeminatam. Nihil omnipotenti clauſum, nihil invium.

Eliæ epiſtola ad Ioramum

Non vanus hic certè nuncius; nã Deus, ut ait ſacra hiſtoria ſuſcitavit in impium, ſpiritum Arabum & Philiſtinorum, qui ſtatim ingentibus copiis in Judæam exundarunt, eaque dirè vaſtata, gazas ipſius Regis opulentiſſimas diripuere, filiis quoque in ſervitutem miſerandum in modum aſportatis. At ille ut ſuis funeribus ſuperſtes diutius viveret, alvi doloribus cruciatus, & lenta tabe per biennium confectus, ita ut vitalia quoque mœrens, ſed nõ pœnitens egereret, ſontem ſpiritum ægrè tandem emiſit.

Annotatum ſæpè tyrannos admodum ſævos, & multo cruore reſperſos, non ferro ſed morbo extinctos fuiſſe. Res clara in Antiocho, in Alcimo, in Herode, in Tiberio, in Copronymo, in Leone & pleriſque aliis.

Cur tyranni admodum ſævi non ſemper ferro, ſed morbo conficiantur.

Digitized by Google

aliis. Credet aliquis ſic eos leniore fato poſt tot ſcelera deceſſiſſe; at non inferioris notæ eſt quod Euripides animadvertit, duplex eſſe morborum genus; alii ex humorum intemperie, ab exceſſu aut penuria victus, ab immodicis laboribus veniunt quos αὐθαιρέτους vocat, quaſi de voluntate ſuſceptos. Alii à Deo, & Cælo, quos θεηλάτους nominant. Hi truces & formidandi, atque ad peſſimorum vindictam deſtinati. Sic enim Deus ipſe omni mortalium conatu potentiorem injicit manum, non vult per homines cædi, ne violetur auctoritatis quod illis impreſſit ſignaculum, non vult ſtatim emori, ne videantur evaſiſſe. In dolores ſervat, ſervat in exemplum, ſic eorum ſupplicia diſponit, ut mori ſe ſentiant, ut torqueri ſe poſſe, obniti non poſſe in tanta potentia cognoſcant. Quam intulere vim omnibus, in ſuis viſceribus ſentiunt, tot gladii quot cruciatus, tot vulnera ſæpè quot remedia. Inferos portant vivi, quos æternum mortui experiuntur.

Euripid. in Oreſte.

Addita Jorami cineribus infamia, de qua ſcriptura, *& non fecit ei populus ſecundum morem combuſtionis exequias, ſicut fecerat majoribus ejus.* Nempè alii elati populis certatim adolentibus exquiſitiſſimos odores, hic fœtori corporis, ut animi relictus. Grande regibus monumentum ut dominatorem rerum omnium ſupplices agnoſcant, & à proximorum civiumque cæde religioſiùs abſtineant.

Paral. 2. 21.19.

***

OCHOSIAS.

DISSERTATIO

Octogesimasexta.

Utrum plus noceat malum conſilium etiam cum bono Rege quàm malus Rex cum bono conſilio.

In hæc verba. *Fecit igitur malum in conſpectu Domini ſicut domus Achab; ipſi enim fuerunt ei conſiliarii poſt mortem Patris ſui.* 2. Paral. 22. v. 4.

Exitiale virus regnantibus peſſimi conſultores. Nihil cum iis benè, etiam Rex bonus facit: cum bonis non ſemper malè deterrimi quoque Regum gerunt. At ubi Principi in vitium prono pernicioſi conſiliarii, aut miniſtri accedunt, deploratus eſt rerum humanarum ſtatus. Præſto erat Doeg Sauli cum in ſacerdotum cæde baccharetur. Præſto Salomoni Jeroboamus cùm delubra dæmonum araſque deteſtabiles in gratiam amaſiarum ſtrueret. Præſto fuerunt Roboamo ſtultiſſimi, juvenes, cum jugo ſubditorum & gravibus ærumnis inſultaret. Nec aliter Nero ad palmaria erupit ſcelera, quam Poppææ meretricis & Tigillini hominum propudioſiſſimi conſiliis. Eſt aliqua etiam projectis ſæpè verecundia. Retinent immania cogitantem probi & prudentes miniſtri, avertunt occaſiones criminum, flectunt iras, leniunt ſæva, turbida componunt, erigunt lapſa, nonnunquam etiam reſtituunt deſperata. At ſi bonæ indolis Princeps à facinoroſo miniſterio fuerit obſeſſus, eoque verſipelli, captus oculis duci-

Conſultorũ malorum atrox pernicies.

Digitized by Google

ducitur quocunque conſulentium impetus tulerit, & graviora peccat, quod per ſpeciem juſtitiæ peccat. Litare ſe Deo cum prævaricatur, putat; nec ſentit quod ſemper experitur veritatis exilium.

Ochozias à matre impiâ, & Æhabi miniſtris obſeſſus.

Patet iſtud in Ochozia Jorami filio & ſucceſſore, qui ubi regnantium attigit gubernacula, ſtatim ab impia matre Achabi filia, & ab impuris de ipſius Achabi domo conſiliariis circumſeſſus, omnia impiè, omnia etiam ſtolidè, atque infeliciter geſſit. Prima hominis labes à Deo defeciſſe, ſequutum patris exempla, matriſque blanditas preces. Inde averſi ab eo piorum fortiumque animi, avi illius Joſaphati pietatem refloreſcere cupientes in nepote.

Impietas & turbida conſilia.

Ex prava ſuperſtitione turbida mens, & in adminiſtrandis rebus præceps. Cùm expediret regni primordia paci & ſaluti publicæ conſecrari, martem ſuſcipit non ſuum, ſed Jorami qui tum Achabi filius & hęres Iſraëliticum ſceptrum obtinebat. Pugnarunt ambo adverſus Hazael Syriæ Regem infeliciter: nam Joramus multis vulneribus acceptis, coactus eſt in Jezraelem curando corpori intentus ſecedere, diſcedentem à caſtris conſequitur Ochozias, funeſtâ implexus amicitiâ.

Jehu mores Verſipelles, & conſpiratio adverſus Reges.

Sævus interim utrique ludus apparatur. Jehu inter Jorami duces erat animi vaſti & ferocis: Doctus pietatem regnandi libidine ſimulare, omnia pro regno & facere audacter & turpiter perpeti. Militaverat ſub Achabo iſtius Jorami patre, à quo & robore corporis præſtans, & intrepidi cordis fiducia inter pręcipuos lectus, multis etiam præmiis affectus: Fidem labefactavit ambitio, cœpit Domini thronum ambire qui gratiâ contentus fuerat.

Pietas ficta & Politica Aſtutia.

Agitavit ſecum rationes viaſque dominandi, nec ullam potiorem exiſtimavit, quàm ſi Eliſæum filioſque prophetarum officiis demereretur. Erat hæc numeroſa gens, & apud religioſam plebem præpotens: niſi læva mens Achabo Regi fuiſſet, debuit eamdem colere, & officiis frequẽtare, & ſi conſcientia averſus, regni tamen evictus utilitate. Sed hic expers conſilii & irarum mole abreptus in præceps, qua Jezabelis conjugis agitabant odia, non ceſſavit terrere minis, exiliis fatigare, cædibus etiam conſumere. Hæc primum Dei animum in perſecutorem incenderunt, & afflictis acrem injuriarum memoriam reliquere.

Regum. 4 c 9. toto.

Cùm his Jehu conſpirat, & ſi religionẽ averſus, ſimulandi tamen atque diſſimulandi gnarus artifex, ut votorum compos fieret. Baalis ſacerdotes etiam ſuos, dolis circumventos in fidei pignus, cruenta clade proſternit, ædem deſtruit, comburit ſimulachrum ipſe idolorum cultor, & vitulis aureis Jeroboami mancipatus. Placuit Deo perfidioſo principe uti quaſi flagello ad Achabi ſui haud abſimilis domum extinguendam. Delegatur ab Eliſæo (dũ Joramus ægrotaret) unus ex prophetarũ filiis fidens animi qui Jehuum arcanè & feſtinanter ungat: quid factum, ipſe ducibus cæteris militibuſq; declarat. An afflati numine, an antea occupati, incertum: Repẽte pro uncto conſpirant & thronum illi de veſtibus ſubſtratis tumultuarium erigunt. Nondum vulgato facinore pergit in Jezrael ſeptus militum globo. Speculator de turri Regem monet qui expeditos currus emittit de novitate rei quæſituros; hos ad ſuas partes Jehu allicit.

Jorami & Ochoziæ Regum cædes.

Tandem Joramus ipſe cum Ochozia Rege proficiſcitur, & paucis percontatus, *Pax eſt Jehu?* ex truci vultu verbiſque aſperis inſidiatorem pro amico jam ratus, tantum exclamavit, *Inſidiæ Ochozia.*

Teſſima [illegible] mala horrenda.

Hîc Jehu tota vi arcum tendit & ſagitta per Domini ſcapulas immiſſa cor transverberat. Ochoſiam rei atrocitate com-

Digitized by Google

motum & fugientem , in curru per ſuos confici jubet. Reportatur in patrios lares cruentum cadaver , ipſis etiam qui oderant miſerandum. Ad hunc exitum poſt unius anni Regnum familiaritas Principis infidelis & peſſima conſilia miſerum juvenem adegere.

ATHALIA.

DISSERTATIO OCTOGESIMASEPTIMA.

An Jojada Pontifex licitè Athaliam occidi juſſerit?

In illa verba. *Athalia occiſa eſt gladio in Domo Regis*,

Ubi inviolabilitas Regum defenditur. 4. *Reg. 11. v. 20.*

OVA aſpidis Joſaphatus fovebat, cùm Athaliam Achabi filiam in Regiam induxit, inde ſtatim ſæva peſtis & ingens calamitas erupit. Juſta tum Ochoziæ Manibus reddebantur, cũ mulier furoris impotentiſſimi Regnum invadit. Thronum non aliter ſtabiliri putat, quàm ſi nepotes ſuos Ochoziæ filios tollat de medio; itaq; vaſta & promiſcua cæde, quicquid erat Regii ſanguinis extinguit. Unus Joas pia fraude Joſabæ Regiæ ſororis ſurripitur, & furtim à Pontifice marito alitur ab ubere. Regnat interim Athalia per annos ſeptem gementibus omnibus, nemine recuſante: tantus ſævitiæ muliebris terror animos oppreſſerat.

Athaliæ furor in legitimos Reges.

Fuit illud præcipuum in Regno Judæ audacis ſed ſtolidæ ambitionis argumentum; nam ſi tuta regnare cupiebat, debuit per unum ex Ochoziæ filiis quem oſtentari populo tanquam hæredem Regni oportebat. Ipſa interim Regis avia, & tutrix, Regnique moderatrix, ſediſſet imperio non tantum honeſto ſed ſecuro. At verò amens & cæca, dum flagrantiſſimè dominari cupit, omnem ſibi dominandi facultatem eripuit: ſciebat enim Hebræos inter fundatiſſimas Regni leges habere, mulieres & quidem extraneas à ſceptris arcere, ſiquidem imbellem ſexum telæ potius quã telis natum arbitrati: nec tuto committi clavum alienæ cultu & gente ; nihil ejus cæcitas vidit, nihil temeritas formidavit. Tantum populos credidit de ſua imbecillitate diffiſos, quantum ipſa de viribus ſuis præſumebat.

Stoliditas in politicis.

Interim Jojada Pontifex vir ingentis ſpiritus, & rariſſimæ prudentiæ, doluit cives ſuos non tantum à Regno, ſed à ſervitute quoque degeneraſſe, dum fœminæ & tyrannæ, & impietatis anteſignanæ turpiter obſequerentur. Cœpit agitare grandia & operoſa conſilia, de patria liberanda, & evertenda funditus tyrannide. Primates Regni, fortiſſimos tribunos ac centuriones, in ſecretum templi ſeductos, poſtulata prius arcani religione, eaque per jusjurandum ante conſpectum Dei vivi aſtricta, fidenti allocutione affatur.

Jojada virtus & animus.

Objicit lugubrem Regni ſtatum, ſacra deteſtabili cultu temerata, oppreſſa ferro jura, dominante contra patrias leges muliere, eaque extranea, de inimica gente & idolorum cultrice. Nihil illi magis proviſum, quàm omnia concutere ut ſtet, omnia perdere ne pereat.

Allocutio ad primates.

Et quid non dirum ab illa expectandũ, quæ à filiorum cæde Regnum ſit auſpicata? deturbandam intrepidè de hoc rerum faſtigio, antequam omnia cædibus & flãmis deleat. Nondum eſſe quod avidiſſimè ipſa cupiebat Regium omne ſemen extinctum, ſupereſſe ex illa veneranda & æterna Davi-

Digitized by Google

Davidis progenie puerulum unum, legitimum Regem, quem poteſtati aſſere toto conatu deberent. In promptu rem eſſe, dimicandum contra mulierem libidine & ſocordia pari; nihil illi ab Iſraëlitico Regno auxilii expectandum, rebus nuperrima Jorami cæde turbatis ac penitùs confuſis: nihil in hoc ſperandum omnibus exoſæ & toties damnatæ. Expectari tantùm percuſſorem, nec Dei defuturam piis conatibus manum: hæc præfatus ſeptennem jam infantem eduxit è latebris, ad cujus conſpectum veneratione omnes & lætitia perfuſi, ſacramentum præſtant, mori pro dilecto capite ſupra modum parati.

Conſpiratio in Athaliã, & ejus cædes. Tum Pontifex ordinem conjurationis pandit, & quem quiſque locum obtinere, quid facere debeat præſcribit: arma quoque in templo paratiſſima extſtare monet. Tantum viri eſſent adverſus fœminam. Dies lecta tanto facinori, & certatim omnes convenere, Rege puero, acri cuſtodia ſepto: in templum ducitur, ungitur, & profuſis vocibus Rex acclamatur, tumultu excita nec deſpondens animos Athalia, inter confuſam turbam clamoreſque populorum ad aras pergit. Mox ubi Joam ſedẽtem in ſuggeſtu vidit, ſimulque arma & tubas, choroſque muſicorum, attonita rei novitate, tantum exclamavit, *conjuratio, conjuratio*. Si fortè ſuos ad reſiſtendũ provocaret; ſed ſtatim ab omnibus deſertam extra ſacras ædes educi & interfici Pontifex jubet.

Juſte Cæſa pro defendenda inviolabilitate, & ſanctitudine legitimorũ Regum, quos interfecerat. Fortè cuipiam hoc durum videbatur, ſævire in fœminam in Reginam, defuncti Regis uxorem; num ſatius fuit privare dignitate Regia expellere Regno, ad ſuos relegare, quàm ejus cruore Regiam contaminare?

Sed benè hic Alphonſus Toſtatus animadvertit multas ob cauſas jure cæſam, primùm quia filii ſui liberos, nepotes ſuos & legitimos Regni hæredes, non mulier, ſed fera crudeliter occiderat, non ſexui nõ minuſculæ parcens ętati. Deinde nec contenta tot cædibus Joam Regẽ ipſum, quem ſubreptum ægrè ferebat, eodem fato involvere parabat in dies, ſi perrumpere in ejus latebras potuiſſet Nec ipſa ſtante, ulla non modò imperii ſed libertatis, ſed vitæ ſpes. Addit quod Regnum nullo jure invaſerat, nulla civium ſtipulatione, nullo ejus qui tum jus habebat conſenſu. Mox potita rerum, omnia permiſcebat, nõ modò retento, ſed aucto nefariæ ſuperſtitionis cultu.

At dices, cur igitur per annos ſeptem tolerata? in brevi reſponſio eſt, quia duriſſima neceſſitas exigebat. Expectandus Joas dum à lacte & ad primam ſenſus & judicii facem aſſurgeret. Expectanda rei gerendæ occaſio, nec perdendum præcipitatione negotium. Interim dum actus imperii juxta jus commune exerceret, vim habuit cives ſuos obligandi, non ex ſuo jure quod nullum erat, ſed quod Reſpublica probare videbatur, ſatius rata eſſe quæ imperaret, quàm legibus judiciiſque ſublatis Anarchiam & ſummam rerum confuſionem induci. *An acta ejus per ſeptenniũ imperii valida.*

Expedit aliquando (ut ait Florus) *ægrè quaſi ſauciaque Reipublicæ requieſcere, quomodocunque ne vulnera curatione ipſa reſcindantur.* *Lib. II. c. 1*

Deinde & hoc animadvertendum quod licet Athalia eſſet impia, crudelis, injuſta, & omnium ore damnata, nullus tamen ex privatis in eam ferro graſſari adnixus, ſed rem tantam aggreſſus eſt Jojada qui erat populi ſummus Judex, Regiſque tutor & affinis præcipuus. Deinde antequam patraret, conſenſum primorum civium qui univerſam rempublicam repræſentabant, ſecreta concione elicuit ne quid in tanta re peccaretur.

Digitized by Google

IOAS.

DISSERTATIO OCTOGESIMAOCTAVA.

De Joa.

Unde poſt occiſam Athaliam tanta in Regno ſerenitas?

In hæc verba. *Fecitque Ioas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Iojada ſacerdos.* 4. Reg. c. 12: v. 2.

Rarò tyrannis occiſis res vertuntur in melius.

RARISSIME contigit ut poſt cædem Principum qui etiam injuſtè Regna poſſident, omnia vertantur in melius. In conſpicuo eſt Jehu qui domum Achab exhauſit cædibus, & quod invaſit ſtatim ſceleribus & ſacrilegiis polluit. Nec immeritò de ejus Regno dictum eſt à ſcriptura. *In diebus illis cœpit Dominus tædere ſuper Iſrael, percuſſitque eos Hazael univerſis finibus Iſrael.*

Regum 4 c. 10. v. 32

Sic interfecto Julio Cæſare, turbulentiſſimus triumviratus, & fœdiſſima tempora extiterunt. Pro Caligula interempto redditur iners Claudius, pro Claudio veneno ſublato teterrimus Nero. Poſt Neronem proſtratum lacerata res per contentiones principum cladibus infinitis.

Et revixit in Domitiano Nero, quo iterum deleto, Nerva tam remiſſe ſceptra tenuit, ut Roma diceret, ſatius ſub illo Principe vivere ſub quo nihil liceret, quàm ſub quo omnia licerent.

Tolerantur aliquando utilius invaſores

Idcircò plerique viri prudentes cenſent, tolerari ſæpè utilius invaſorem quam eo ſubtracto per reliquias factionis ejus omnia cruentis motibus agitari. In hunc ſenſum Phavorinus dixit, χεῖρον εἶναι μοναρχίας ἀνόμου πόλεμον ἐμφύλιον: pejus eſſe bellum civile dominatu illegitimo. Titus quoque Quintius vir ſapientiſſimus exiſtimabat tolerabilius Lacedemone tyrannum Nabidem relinqui, quàm opprimi ruinâ graviſſimâ civitatis in ipſa vindictâ libertatis periturae. Nec aliter ſenſit Ariſtophanes, *leonem in civitate non eſſe alendum, ſi enutritus fuerit, ferendum.*

quà periuntur. Grotius notat l. 1. de jure belli & pacis c. 4.

Non aliò ſpectat S. Amb. *de potentiis manibus eripiendos inopes, modo ne graviora inferamus vulnera, dum minoribus mederi deſideramus:* nec abnuit S. Thomas dū dicit ſeditioſam interdum eſſe dominatus quamvis tyrannici deſtructionem.

Offic. II. c. 2.

2. 2. q. 42. art. 2.

Itaque ſolertiſſimè providit Jojada Pontifex, ut res dum novaret, nihil de Athalia victurum certo crederetur.

Iojàda regimen.

Continuò votis omnium expetitur Jojada, qui Regis infantiam, qui Regnum adminiſtret: hoc impigrè præſtitit & ſanctè Et primùm curavit quod Regibus pupillis fieri ſolet, ut eſſet alta pax rebus. Non deerant tamen incentiva bellorum: nam ſceptrum tenuit cum Jehu & per ſe & in prole regnaret, à quo Regis Ochoſiæ fratres, & ipſius Joæ patrui ferebantur occiſi. Noluit tamen ob mala domeſtica bellum publicum accendere, ſed privatas cicatrices felicitate populorum obduxit. Maluit tunc raptorem & homicidam ferre, quàm fatigatis bello animis, novis motibus obſtrepere.

Studium pacis.

Nec diſſimili Jojadæ conſilio Joas Hazaeli fulmen eripuit Erat is Rex Syriæ bellicoſiſſimus cui licet impio & domini cæde cruentato, Eliſæi oracula dominatum ingentem promiſerant, ibat infeſtis armis & ſignis Hieroſolymam deleturus: Tum Ioas juxta prudentiſſimi Pontificis mentem nihil æquare ratus clades quæ ex bellis tam exteris quàm civilibus oriuntur, ingenti

Digitized by Google

ingenti pecunia tam ex theſauro Regis, quàm Domini pacem pactus, à mœnibus ſuis diram peſtem avertit.

Politica Iojada. Omnem deinde operam navavit in Regno per religionem & juſtitiam conſtituendo. Mœrebant templi parietes, & domini ſpolia ab impiiſſima Athalia direpta, Baalis fanum ornabant, deſtruxit ſacrilegas ædes diis ipſis ruinarum pondere oppreſſis.

Didrachmon quod per Moyſis legem tẽplo quotannis à ſingulis hominibus deſtinatũ fuerat, per injuſtos Principes deraſum, & in bellorum uſus detortum retulit. Reſtituere ſua creatori Domino Ioas Rex & Iojada Pontifex, miſſis undique levitis, qui leniter exigerent, Arcam quoque ad templi portam conſtituere, in quam quiſque quod vellet pro templi reparatione conferret: Inde populo hilariter & effuſè ſua largiente infinita pecunia congeſta. Hanc à ſacerdotibus & à ſuo ſcriba numerari Ioas curavit. Mox laborioſiſſimè ſategit ut ſarta tecta templi inſtaurarentur caſtigatâ, etiam ſacerdotum, qui rem protrahebant, morâ.

Mors Iojade. 2. Paral. 24. v. 2. *Fecit igitur Ioas* (ut ait ſcriptura) *quod bonum eſt coram* Domino *cunctis diebus Iojadæ ſacerdotis* Sed optimus ſenex, cui nihil deeſſe præter immortalitatem videbatur, anno ætatis centeſimo trigeſimo fatis conceſſit. Elatus eſt magnifico funere, certante in ejus honorem populo, & Regum ſepulchris velut Regis pater illatus: poſt ejus obitum Ioas ferè ex optimo evaſit peſſimus.

Depravatio Ioa. Auguſt. ſolil. 29. Hoc miratur Sanctus Auguſtinus & exclamat. *Vidimus multos Domine, & audivimus à patribus noſtris, quod utique ſine magno tremore non credo ſine multo timore non confiteor aſcendiſſe primitus quodãmodo uſque ad cælos, & inter ſidera nidum ſuum collocaſſe, poſtmodum autem cecidiſſe uſque ad abyſſos.* Deinde rationem iſtius reddit: *quare autem iſta omnia? niſi quia in montem illum aſcenderunt, in quem primus aſcendit Angelus, & deſcendit diabolus.*

Ioas jam ſenior cum Regnum annos prope quadraginta obtineret, diuturnitate imperii, & longa felicitate tumens, hanc non Deo, non Iojadæ conſiliis, ſed ſibi aſcripſit. *Sacrificavit reti ſuo*, ut ait propheta, Nec ſatis omnium agnovit largitorem. *Vnde tãta mutatio? Habacuc 1. 16.*

Adde quod quicquid creatum eſt, finitas vires habet, nec in infinitum extenditur. *In angelis ſuis* Deus *reperit pravitatem* hoc eſt mutabilitatem cui ut cætera quæque, obnoxii eſſent, niſi à Deo perpetuis viribus renovarentur. Quicquid ſumus, quicquid boni agimus, ſuggerit nobis Deus inhabitator. *Multa in homine bona fiunt, quæ nõ facit homo, nulla verò facit bona, quæ non præſtet* Deus *ut faciat homo.* *Iob. 4. 18. Concil. Arauſican. canon 7.*

Relinquitur ſibi tumens ſpiritus recedente paulatim numine & relictus evaneſcit.

Senes niſi caveant, longa authoritate arrogantiores fiunt, contemptores rerum, duri & increduli, & ſi nihil aliud urgeat, laborant bonorum operum faſtidio. Imitãtur Platonicas animas quas ambroſiæ & nectaris tædet, avent in commercia reverti corporum, & de cælo ire in cœnum. *Senes ſiũt aliquando deteriores.*

Quæ lucis miſeris tam dira libido? Ioas igitur partim virtutis tædio, partim ingenii facilitate & obſequiis principum Iudæ delinitus, & actus in præceps idolorũ cultum permiſit. Portentum ingens, Regem à puero tam caſtis legibus inſtitutum in juvenem, deinde in virũ evadere, fide ſemper conſtanti ſenem tanto laboraſſe delirio, ut ſpreto Dei templo quod ipſe valido conatu excitarat, ad nefariam ſuperſtitionem deflecteret. *Horrenda Ioa idololatria.*

Non

Arguitur à Zacharia. *Zachariæ mors.* *Paral. 2. 24 v. 20.* *Iuxta Regis imperium.* *ait ſcriptura.* *Ioa ingratitudo & calamitas.*

Non tulit hanc vecordiam qui cum eo adoleverat Zacharias Pontifex Jojadæ filius. vir ſeveris moribus,&intrepida mente Sed totus ſpiritu Dei indutus(ut ait ſcriptura)ſummo vigore cõtra ſacrilegos cultus detonuit. Inde principes accenſi & Rex efferatus,eum in ipſo templi atrio, ubi tũ concionabatur, lapidibus obrui indigniſſimè jubet. Nihil patris honor ſemper venerandus,nihil infinita beneficia,nihil vita Regis ſervata, nihil dignitas aſſerta filio contulere, adeò improba vis furoris fuit. Extremæ morientis voces exceptæ. *Videat Dominus & requirat*, nec in irritum cecidere.

Anno quippe evoluto Rex Syriæ permodico exercitu Hieroſolymam cepit, & vaſtavit, primariis capitibus exciſis & ingenti pecunia exportata. In Joam quoque Regem Syri ignominioſiſſima exercuere judicia, dein languore & mœrore confectum reliquere.

An reſipuerit?

An tot acerbis edomitus reſipuerit, incertum: nam ſævas calamitates deſperatio magis quàm pœnitentia ſequitur. Tandē in ſenem & invalidum duo ſervi ejus Zabad & Jozabad conſpirarunt, cumque in lecto cubantem oppreſſere diro facinore, & adhuc Judaicis populis inſueto. Sed vox ſanguinis Zachariæ tam immaniter effuſi miſerum vigebat. Addita pereūti ludibria ut Regum ſepulchris excluderetur. Grande Principibus documentum, ne ſacra ſacroſque viros lædant. Nihil auſpicacius hoc Rege dum ſeptennis puer per lætos populi clamores inciperet; nihil felicius ejus vita per tot annos, dum Jojada viveret innocenter & honorificè peracta. Nihil fine lugubrius, quem gladius cruentat, infamia proſternit.

Grande Principibus documentum.

AMASIAS.

DISSERTATIO OCTOGESIMANONA.

Cur *Amaſiæ* ſicut multorum Principum initia læta, progreſſus vix unquam initiis pares.

In illa verba. *Et fecit rectum coram Domino, verumtamen non ut David pater ejus.* 4. Reg. 14 3.

OMnia ferè improborum etiam Principum initia læta, & illuſtria, progreſſus ſcelerum contagione fœdantur. Tanto Caligula populorum applauſu cœpit, ut intra tres menſes centum ſexaginta victimarum millia in fauſti gratulationem imperii fuerint oblata: vota ſi tantiſper urbē relinqueret, pro ejus reditu ſuſcepta: multi pro ægrotante animas devovere. Cura tum illi matris cineres de exilio revocare, & honorificè condere, colligere ſparſos in inſulis quos Tiberii furor exegerat. Exterminare tot formas ſcelerum, quas infandus ſenex invenerat, ſublevare feſſos, mœſtos recreare, & pene excitare mortuos. Hæc quaſi Dei, cætera ejus imperii, non hominis ſed monſtri fuere: memoratur quoque Neronis quinquennium quod pauci imperatores virtutibus æquarunt; exitus horrore confuſi.

Malorũ Principũ initia plerumq; bona. *Suet in caligula, cap. 14.* *Caligulæ mirabile imperii primordium.*

Amaſias ſimiliter iſte non infelicibus primordiis detergere patris maculas aggreſſus ſtatim excidit *Fecit bonum* (ait ſcriptura) *in conſpectu Domini, verumtamen non in corde perfecto.*

Paral. 2. 25. v. 2.

Unde igitur iſtud quod quærimus? primò fit, ut populi dura ſervitute liberati peſſimi ſucceſſorem licet malum habeant

Unde iſtud?

pro

Digitized by Google

pro bono, comparatione deterioris. Secundo nemo repentè malus eſt, ſuum habent ſcelera tyrocinium, nec ſtatim in ſummum erumpit nequitia. Adde quòd audacia adhuc trepida eſt, & tentat quid ſubditi facere, quid perpeti poſſint. Deinde verecundia eſt qui ſint prodere, inter prima tum adorantium vota, inſtat etiam corruptis amor famæ, quæ in principiis validior eſt. Demulcetur quoque rebus lætis improbitas, fitque placidior imperii titillante gloria.

Amaſia laudabilia. Itaque Amaſias ut pietatis erga parentem mortuum ſpeciem oſtentaret, ejus interfectores juſtis ſuppliciis affecit, nec tamen pœnam extendit in filios, ſed hanc æquitate non ulciſcendi libidine definivit. *Ingens obſequiũ.* Erga Deum piè, erga Dei homines reverenter ſe habuit. Nam cùm centum millia hominum ex Iſraelitis grandi pecunia ad militiæ ſubſidium legiſſet, profecturus in Idumæos, ad prophetæ vocem dimiſit, conteſtantis non licere pio principi, per *Paral. 2. 25.7.* impios defendi, *neque enim cum Iſraele Deum eſſe.*

Fuit illud ingentis obedientiæ, & à politicis legibus alienum. Nam centum talentorum nõ contemnendam ærario pecuniam amittebat; irritabat deinde potentem exercitum, & quem pro ſe nolebat, armabat contra ſe, haud dubio in ſuos agros erupturum, dum occaſio alliceret, quod ſtatim abunde præſtitit. Prodebat apud ſuos levitatem ingenii, ſubita mutatione conſilii, terrorem hoſtibus copiarũ ſubſtractione minuebat, augebat militibus advocatis ſuâ diffidentiâ audendi cõtra ſe fiduciam, ex fœderatis inimicos habiturus. Hæc tamen omnia poſthabuit, ut hominis Dei præceptis morigerum ſe præſtaret. *2. Paral. 25. v. 8.* *Si putas* (inquit vates) *in robore exercitus bella conſiſtere, ſuperari te faciet Deus ab hoſtibus: Dei quippe eſt adjuvare & in fugam convertere.* Ad hæc rex ſuos tantum eduxit, & Idumæos ingenti plaga delevit viginti millibus partim ferro occiſis, partim ex edita rupe in præceps actis.

Eius geſta inſana & impia. Hæc ſtrenuè, cætera impiè & ſtolidè fecit, Nam Deos Idumæorum etiam victos & debellatos in patriam retulit, & quos ſciebat ſuis cultoribus inutiles fuiſſe, ſupina mente coluit.

Cur Deos Idumæorum in urbem induxit. Vetus hîc error populorum, Deos credere patrios, & protectores urbium, quos hoſtes ad ſe allicere & placare ſtudebant. Eſt exodi 14. loci nomen quem Ezechiel Tragœdus urbem putat, hæc Baalziphon dicta ab Idolo quod Magi Pharaonis ibi conſtituerant ad cæleſtium corporum ſitus fabricatum, ut in ſinu Arabico Ægyptii Judæos retinerent. *Seldenus de Diis Syris.* Hujus malignas vires precibus & ſacrificiis idololatriæ avertere deſtinarant, niſi Moyſes ope divina omnem machinationem diſturbaſſet.

Non inſolitum Romanis Deos gentium conciliare ſibi, & in urbem inducere, inde tanta congeries numinum. *Externis* (inquit Plinius) *famulantur ſacris ac digitis Deos geſtant & monſtra quoque colunt: damnant & excogitant cibos, imperia dira in ipſos ne ſomno quidem quieto irrogant.* *Plinius l. 2. c. 7.*

Credibile igitur Amaſiam Deos Idumæorum Hieroſolymis intuliſſe, vel ut mulceret iratos, vel ut minaces exarmaret ſed utcumque fecerit, immani ſe crimine contaminavit, & in ſuum caput triſtia quæque provocavit. Moſes Gerundenſis ajebat, *non fuiſſe ullam ultionem in Iſrael in qua non eſſet portio aurei vituli.* *Moſis dictum prudens.* Nec certè in tot funeribus infeliciſſimi principis quæ poſtea contigerunt, ulla extitit plaga, quæ à Deo propter idololatriæ ſcelus non fuerit inflicta. Non defuit tamen illi in tanta cæcitate monitor Propheta *Periculoſum.* immiſſus à Deo, qui graviſſimè increparet.

Digitized by Google

Regibus Prophetarum monita ſpernere.

ret. At ille quæſivit num conſiliarius Regis eſſet, quaſi de nefandis & publicis actibus Principum, viri Dei qui in regale conſiſtorium non ſunt allecti, reticere debeant. Nimis familiare eſt dominantibus, qui prava facere affectant, ſerviles animos ſuorum conſiliorum aſſeſſores conſtituere. Expedit aliquando in aulam fœdiſſima adulatione proſtratam ire mentes excellas ut militent veritati. Sic Davidi Nathan adfuit, ſic Joannes Herodi, ſic Anonymus ille Amaſiæ Regi: non ceſſit minis, non gladio pene in ejus cervicem exerto.

Conſtantia viri Dei.

Nam cum cædem Princeps minaretur niſi quieſceret, cæleſtem illi plagam, & ferale mortis edictum pronuntiavit, mirum, inter furentes ſub Dei patrociniis illæſus.

Amazias felicitatis impatiēs.

Appoſitè Vellejus hiſtoricus dixit. quorum fortunam mutare conſtituit Deus, conſilia corrumpit. Rex enim inquieto ingenio, nec felicitatem pati poterat. Regem Iſraelis Joam ad mutuum conſpectū provocavit, qui Regibus ſolet eſſe periculoſus. Si unius res lætæ & illuſtres, alterius zelotypiam movent. ſi demiſſæ, contemptum.

Conſpectus Regū mutuus aliquando periculoſus.

Quæ longinqua ſæpiùs admirationem excitant, admota propius oculis vileſcunt, patentibus in alta luce nævis: omne enim ignotum pro magnifico eſt. Accedit impatiens conſortis Regnum, & ſubditorum rixæ undique flammam ventilantes. Non tantum videre, ſed bellare ardebat Amaſias. Joas ſuperbè illum irriſit vulgato in ſacris Apologo quo ſe cedro, æmulum carduo comparabat.

Calamitas Amaziæ.

Jocos ira cōſecuta, & iram bellum, in quo Amaſias mole adverſarii attritus, amiſſa urbe primaria, mœnibus deſtructis, exercitu conciſo, expilato palatio, etiam in vinculis habitus, ſævientis fortunæ ludibrium fuit.

Nec tamen hic finis rebus tam impro-ſperè geſtis, quod Regum infelicibus accidit, cœpit ſuis quoque ſubditis gravis & exoſus eſſe, commota in eum Solyma totius Arx Regni, cujus dum inſidias fugit, digreſſus in Lachis, à ſeditioſis populari tumultu deſtitutus obtruncatur; tanti ſtetere dii Idumæi qui capti captivum ceperant.

OZIAS.

DISSERTATIO NONAGESIMA.

Unde Oziæ & tot Regibus appetentia ſacerdotii, cum Regno nectendi.

In illa verba. *Ingreſſuſque templum Domini, adolere voluit incenſum.* 2. Paral. 26. v. 16.

Occiso Amaſia, remiſit ſe populi furor, & atroces etiam animos cepit funeſtæ domus miſeratio. Oziam infelicis illius filium mira conſpiratione in thronum Davidis evehunt. Erat is adoleſcens annorum ſedecim, ætate & ingenio gratus. Prima illi felicitas fuit quòd Zachariam vidētem hominem Dei in conſilii Principem allegit: fuit hic Regni ſpiritus, quem tot millia traxere, à quo lacerati imperii reliquiæ paulatim compoſitæ, & priſtini imperii fuligo deterſa.

Oziæ Regi conſiliarius Zacharias videns.

Ac ſtatim cum Regiam urbem videret patere prædantium incurſibus, munire eā aggreſſus, turres multas ſtruxit. In turribus collocavit machinas diverſi generis, quæ ſagittas & ſaxa jacerent; conſtituit exercitum trecentorum ſeptem millium & quingentorum, quem omni armorum genere in-

Laudabilia ejus facinora.

Digitized by Google

inſtruxit. Arcem Ailam in finibus Idumæorum ædificavit, quâ prædones vagos & manu promptos ſiſteret. Subactis ſæpè in acie Philiſtæis, muros Azoti, Beth, & Jabinæ, Solymis infenſos detraxit. Ibidem ſibi oppida munita à fundamentis erexit, Arabes & Ammonitas debellavit, finitimas Regiones partim nominis ſui terrore, partim reverentia compoſuit. Et poſtquam alta pax rebus fuit, agriculturam in qua fundantur Regna, mirificè coluit.

Vinitores in Carmelo & alibi cõſtituit, ciſternas fodit, greges aluit, fuit omnino bellicoſus foris, intus providus, ſedulus domi, in providendo ſagax, in gerendo navus, acer in exequendo, pompæ modicus, parcus verborum, utilium operum aſſertor, religionis avitæ tenax, & antiquæ probitatis amans.

Nævus ejus. Pontificatus uſurpatio

Sed infinita propè decora magni Principis miſerabilis nævus infuſcavit, quòd manum thuribulo ſacerdotum admovit.

Hinc ſubjit quærere unde mos ille, & unde illa Regum libido, quod regna infulis ſociari plerique fecerint, plerique infectum arde- ter concupiverint.

Vnde iſtud Principibus deſiderium.?

Certè gentium omnium mentes Religio ſemper & ubique pervaſit. Urbem potius ſine ſole quã ſine Deo invenias, quiſquis ille ſit, & ut magnam rem æſtimavere religionem, à magnis quoque coli, à magnis exerceri placuit.

Reges ſacerdotes. Plutarc. in Iſide & Oſiride.

Ægyptii antiquiſſima gens eoſdem habuere ſacerdotes & Reges. Hos Orientalium plerique ſunt imitati. Nec iſtud Romanis inſuetum, præeunte fundatore Romulo. Hic ſiquidem augur optimus, ut notat Cicero primo de divinatione Principum quoque Quiritium ſex filii Etruriæ populis traditi in diſciplinam, ut artem vaticinandi addiſcerent, ne ars tanta (ut ipſe ait) à Religionis authoritate abduceretur ad mercedem & quæſtum.

Tanti fuit Romanis ſacra Regibus committere ut ipſis abactis regulum crearint, penes quem hæc cura eſſet.

Cæſaribus compendioſa res viſa infulam diademati copulare, ne Pontifex eorum votis atque conſiliis ſpeciem Religionis ſæpius obtenderet.

Mirum illud à Chriſtianis imperatoribus inane ſummi Pontificis nomen retentum, non amore religionis, ſed politici ſtatus utilitate. Cæteris pietate ardẽtior Gratianus ſpectrum dignitatis recuſavit, frementibus paganis, qui nec dicterio pepercere, jactantes, *Si Princeps non vult appellari Pontifex maximus*, Maximus *Pontifex fiet*, id erat tyranno nomen.

Sed ut cætera mittamus, non abs re ſacerdotium ſibi Reges vindicarunt. Primũ enim inde ſanctitudo major, & non violandæ majeſtatis opinio, quam utraq; poteſtas vallaret: Deinde honor auctus, eodem divinis & humanis rebus præſidente, opes quoque majores in unum aggeſtę, & latior authoritas regnandi, quam non alter magiſtratus arctaret. *Quæſita ab iis in hoc nomine veneratio & utilitas.*

Judæis aliter proviſum, quibus ſacerdotes ex familia Levi, divina voce ſic præſcribente legebantur, ſceptro penes Judam retento. Sic partita in duos authoritas, ne ſi unica eſſet, abſumeret omnia, potius quàm regeret.

Ar Rex Ozias authoritate prævalida & longo rerum ſucceſſu tumens, tranſilire poſitos à Deo limites ſtatuit, & Saulis exemplum qui & id ſub Samuele attrectavit, renovare. *Ozia præſumptio & pœna.*

Ingreſſus igitur in templum, thuribulo præter morem aſſumpto, ut ſuper altare thymiamatis incenſum adoleret, obſtitit vehementiſſimè Azarias Pontifex, octoginta ſacerdotibus cinctus, viris valentiſſimis, qui irrumpentem in aras Regem repulere. Cùmque ſumma vi relu-

Digitized by Google

ctaretur,& ad deſtinatum opus pergeret, extenta de cælo Dei vindicis manus audentem immaniâ,lepra percutit,quæ fœdè in frontem ſtatim ſparſa, horrorem movit ſpectantibus,Rex prodigiis attonitus de templo feſtinanter egreditur, ut in ſolitudine poſitus lugeret quæ in tanto hominum cætu præceps admiſerat.

S. Aurea factum mirabile. Petrus de natalibus l. 9. c. 22.

Tentare injuſſis divina vix unquam impunè fuit. Omnium admirationem ſuperat quod de ſancta Aurea legitur. Hæc cũ ſacræ liturgiæ intereſſet, & Evangelium à Diacono inſipidè pronunciari animadverteret, zelo impatiens ſtolam arripuit, & miniſtri munus non cunctanter egit. Mox eventu rei confuſa, & facti pœnitens, abbatiã cui præerat,deſeruit,in cellam humilem ſe per annos ſeptem abdidit ubi quotidie pſalterium totum perlegebat in cathedra clavis acumine extantibus confixa.

IOATHAN.

DISSERTATIO NONAGESIMA PRIMA.

An præſtabilior ſit Rex Innocens & Juſtus, domitore urbium?

In hæc verba. *Fecit quod erat placitum coram* Domino.4.Reg.15.34.

Ioathani laus.

IOATHAN Oziæ filius inter Reges modicus fuiſſe perhibetur,non triũphatrice manu,non perſultante fama;ſed pia mente,animo pacato,&gnaro rerum civilium ingenio. Idcirco non abs re quæri ſolet quinam utiliores regno Principes, an bellicoſi & rerum augendarum ſemper avidi, an pacifici, qui parta retinent, & ſedulò adminiſtrant,nec novis inhiant.

Domitorum Regum magnavi & perſultãs fama.

Magnifica res omnino videtur poſſe multa,tentare ardua, grandia ſemper aggredi; Ire Regem cinctum armorum terroribus,circumtonare ſtrepitu provincias conferre ſigna,victorias reportare, urbes obſidere & capere,dare victis jura,ignoſcere proſtratis,rebelles exſcindere, opes augere,dilatare imperia. His paſſibus Alexander Perſas domuit,his abiere Romani in ſummum decus, his fera gens Turcarum orbi leges dixit, his Tamerlanes Othomanorum cervices calcavit,mundumque ſtupore confudit. Quid eſt aliud otium & quies ab armis niſi mortui Regis ſepultura?

Peſtis humani ingenii quòd placeant ſæva.

Neſcio qua humani ingenii peſte placent magna,etiam ſæva, ut Ægyptii Crocodilos, ſic malignas vires veneramur.

At ſi quis æquus rerum æſtimator,inveniet longè feliciores populos ſub pacificis Regibus, quàm ſub inquietis & pugnacibus.

Pacifici ad utilitatẽ præferendi.

Primum domitores illi terrarum ut ſæpius multum habent ex iniquo, quod veræ felicitati adverſatur,exiſtimant ferè omnes bona largè quidem à Deo in orbem fundi,nec alios habere dominos, quàm qui ingenio,calliditate, induſtria, fortuna,vi denique & armis occupaverint.

Dirum Axioma quorundam politicorum.

Magnus hic error& hominum ſocietati exitialis,cui ſic nihil tutum,nihil incolume,nihil rapacibus impervium, nihil violentis clauſum. Timendi cuique exercitus qui apparantur,claſſes quæ inſtruuntur, ſi nec juſtitia vindicat,nec innocentia protegit,omnia terroribus plena, & mœſtitiâ confuſa.

Habac.1.14. Violentorũ deſcriptio.

Sic in eum ſtatũ deveniunt miſeri mortales, quem Propheta ſublimi ore deſcribit. *Et facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens Principem. Totum in hamo ſuo ſublevavit: traxit illud in ſagena*

Digitized by Google

na ſua, & congregavit in rete ſuum, ſuper hoc lætabitur & exultabit, immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit retiſuo.

Mire ingenium potentiſſimi raptoris explicat, qui ſubjugat, diripit, homines habet pro inſectis, cumque omnia ſibi ſubjecerit, non cæleſtem intuetur manum, cujus ductu hæc fecerit, ſed cuncta viribus ſuis ſtolidè & ferociter attribuit.

Divina Nemeſis in ipſos. Reddit tandem iſtis victoribus ſuas vices adverſum numen, & qui omnia exhauſere, à ſe ipſis exhauriuntur. *Isaia 33.1.* *Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis?* Erat certè ſub Philippo Græciæ ſtatus longè melior atq; optabilior, poſtquàm Perſas Alexander domuit, tetra undique exorta ſunt regna, & ſpurca facinora, moles criminum & calamitatum, quam nulla ſæcula viderant, nulla poſſe videri ſuſpicabantur. *Feræ tempora victorias Alexandri ſequuntur.* Nũquam luxus rapacior, nunquam ſævior tyrannis, graſſata occultis cædibus perfidia, ſceptra cruore polluta, vexati direptionibus cives, luxuriæ nihil intactum, impietati nihil ſanctum, rapinis nihil inauſum.

Romani poſt domitum orbem miſerrimi. Ipſi Romani poſtquam armis orbem in tributum egerunt, poſtquam omnia ſuperbiâ, libidine, avaritia, fœdè vexarunt, ſævam quoque Dei manum experti. Acciti undique Galli, Gothi, Germani, Vandali, Lombardi, quaſi ad annoſam quercum tempeſtate proſtratam. Omnis in eorum funera rapax manus, & quam ne quidem à Diis everti poſſe credebant Romam, à lixis & calonibus calcata eſt. Nunc Italia quæ omnia concupierat, & quam neque Oriens, neque Occidens ſatiare unquam poterat, in tot principatus diviſa, exteris etiam dominis ſervit. Nec dubium quin ſi ea mens, ea virtus eſſet Chriſtianis, quam divina lex præſcribit, idem Othomannis fatum eſſet. *Seneca de provid.* *Veniet ad illum diu felicem ſua portio, quiſquis tibi dimiſſus videtur eſſe, dilatus eſt.*

Ubi quies nulla, nullus felicitati locus. Sed ut divinam illam Nemeſin mittamus quæ plerumque de longinquo venit, non poteſt eſſe in continuis bellis felicitas, cùm rerum beatarum atque æternarum ſors ſit quies ad quam motus omnis ſpirat.

Idem in ſuaſoria. An tum Beatus Alexander cùm ſuos Macedones laceros & contritos urgebat per immotum mare, & quaſi deficientis in ſuo fine naturæ pigram molem, ubi novæ ac terribiles figuræ, confuſa lux altâ caligine, & interceptus tenebris dies, orbem certè hic non quærebat, ſed amittebat.

Infelicitas domitorum qui ſua viſcera egerunt, ut aliena diripiant. Sed tamen victitabat hoſtilibus prædis, cum plerique domitores ſumma vi eluctantibus contra ſe hoſtibus, cogantur ſua viſcera in adverſarios egerere, ut diripiant aliena.

Exhauriuntur infinitæ opes, bello omnia penitùs abſorbente, nec ullus populis fructus, quem ex ſectis undique venis exhauſtum ſteriles laureę nec curare poſſunt nec alere.

Si quæ ab hoſtibus ſperantur, ea lacera & vaſtata antequam in victorum manus deveniant. Si quæ videntur objici interim bona, Empuſæ cœnis ſimillima ſunt, ubi fallacia ciborum ſpectra famem potius irritant quàm ſatiant.

Lugentur interim mortes virorum illuſtrium, ubique atratæ Matres & nurus, occumbunt ut ſæpius optimi, ignavi è bello redeunt, omnia peſſimis moribus contaminaturi.

Itaque Deus nunquam populum ſuum egit in bella extera & longinqua, contentus pacem à finitimis eſſe. Ipſi quoque qui inter Cæſares ſapientiſſimi, modum bellis & imperiis poſuere quò lætius & abundantius regnum eſſet.

Ioathami præclara facta. Non eſt igitur Rex Joathan levi laude dignus, qui regnum componere ſtuduit magis

Digitized by Google

magis quàm augere: Bellum unicum in Ammonitas geſſit, non cupiditate prædę, non amore gloriæ, ſed ſecuritatis affectu, victos hoſtes tributis ſubegit ac preſſit, non ut inſultaret, ſed ut rebellandi occa-

2. Paral. 27.4. ſionem ſubmoveret. Ædificavit urbes, caſtella & turres, templum excelſa & illuſtri porta decoravit, totus in divinis, totus in rebus civilibus fuit, ſed in eo præcipuè cōmendandus, quòd patrem deſertum ab omnibus ſuo excepit ſinu, nec languentis morbus illum ſua fœditate deterruit, nec longa ætas fatigavit. Regnum dum pater viveret, ut alienum conſideravit, ut ſuum adminiſtravit, ſine tædio filius, ſine ambitione Rex, ſine faſtu aulicus, ſine arrogantia Pater, ſobolem magis timuit quam concupivit.

ACHAZ.

DISSERTATIO NONAGESIMASECUNDA.

Unde tanta propenſio Regibus Judæ in idololatriam, ut à bono patre tertia generatio vix maneat in fide.

In hæc verba. *Ambulavit in via Regum Iſraël inſuper & filium ſuum conſecravit transferens per ignem* 4. Reg 16. v. 3

Achazi juvenis Regis corruptio. MORTUO Joathan, poſt annos ſedecim Imperii, capeſſit ſceptra juvenis annorum viginti. Achaz illi nomen: ſtatim hic ab avo & patre degener, præceps ruit in idola, & infandos gentilium cultus.

Subit hîc mirari unde gens ſancta tam ſæpè aberrarit à vero, & cauſæ multæ occurrunt.

Cauſſa idololatria Deus à Iudæis vix ut ſpiritus conceptus. Prima eſt quòd Judæi craſſa ut plurimum mente fuere, nec niſi cæleſtes animę Deum pro ſpiritu habuere. Multi circa ludibria corporum occupati Deum ſuſpicari non poterant, niſi ſenſibus obvius eſſet. Nondum audiverant à Chriſto maximam & puriſſimam Theologiam quam Samaritanæ mulieri revelavit. *Spiritus eſt Deus: & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* *Ioan. 4. 24.*

Prima ſcelerum cauſa mortalibus agris naturam neſcire Dei (ait ille.

Varia opinio de diis. Ingens poſt peccatum illuſio fuit generis humani, notionem quidem Dei ſemper retinentis, ſubſtantiam ignorantis.

Plutarchus libro de placitis philoſophorum oſtendit fuiſſe gentibus triplices Deos, naturales, patrios ſeu populares & Poëticos. In naturalibus fuere ſol & aſtra, ignis, aër, aqua, terra, etſi quæ alia vitæ humanæ principia. Patrii & populares erant, qui à variis gētibus variè emendicati, poëtici figmentis hominum in multa prodigia deformati.

Maximus Madaurenſis in Epiſtola ad S. Auguſtinum. *Unum quidem Deum dicit aſſeri a Gentibus ſed ejus virtutes per mundi opus diffuſas multis vocibus invocamus, quoniam nomen ejus cunctis proprium videlicet ignoramus* Hoc eſt quod dixit Plinius. *fragilis & laborioſa mortalitas in partes iſta digeſſit infirmitatis ſuæ memor, ut portionibus quiſque coleret quo maximè indigeret.* *Plinius l. 2. c. 7.*

Sed hæc ſunt diverticula nugacium Philoſophorum, qui propudia religionū ſuarum erubuere, Deum tamen aut nunquam agnovere, aut agnitum contempſere Neſciebant illum eſſe, *qui ante mundum fuerit ſibi pro mundo, qui univerſa quæcunque ſunt verbo jubet, ratione diſpenſat, virtute conſummat, hic nec videri poteſt: viſu clarior* *Minutius ; octavio.*

Digitized by Google

rior eſt, nec comprehendi; ſenſibus major eſt, infinitus, immenſus, ſoli ſibi tantus quantus eſt notus.

Judæi igitur gentium erroribus imbuti, deos avebant ſibi facere quos viderent, & à prima atque inviſibili mente ad corporum ſpectra deflectebant.

Altera cauſſa ſocietas improborum. *Exod. 23. v. 32.*

Altera cauſa eſt prava ſocietas Ethnicorum undique affluentium, de quibus tamen ſeveriſſimè Deus caverat: *non inibis cum eis fœdus, non habitent in terra tua, ne fortè peccare te faciant in me.*

Philo Judæus exiſtimavit inter plagas Ægyptias, Nilo in ſanguine converſo, cæteros quoq; fluvios eorum qui Ægyptiorum conſortio contaminati erant, cruentos apparuiſſe; tam facilè cõtagio quæ ſerpit in mores, in pœnas quoque defluit.

Hebræi undique cincti ſuperſtitioſis gentibus, tot falſa numina venerantibus, non difficile fuit earum errores moribus, nec ſatis ſinceris, nec ſatis cautis mentibus illini. *Inter nocentes innocuum eſſe crimen eſt: malos quiſquis non imitatur, offendit.*

Cyprianus ad Donatũ.

Dii Hebræorum qui à Deo defecerãt

Præcipuus Mithræ cultus quem pro ſole habuere, proximus Jovis quem juſtitiæ nomine placuit appellare. Nec Saturnus, Mars, Venus, Mercurius ignoti, quos Neſim, audaciam, amorem, neceſſitatem vocaverunt. At Regina cæli fuit illis Luna quam prolixè ſupra cæteros firmamenti ignes poſt Solem coluere. Nec prętermiſſa fortuna commune omnium mortalium numen, quàm Gad dixere, quin puellis nubentibus datus annulus his notis inciſus, *Bona fortuna*. Quid loquar Belum, Beelphegor, Aſtarten, Dagonem, Azizum, Remmonem, Azimam, Niſroch, & cætera nomina tam malè feriatis in Diis habita. Huc electum Dei populum perduxit Gentium familiare contubernium.

Tertia corruptela à Regũ uxoribus.

Tertiò addidere ſuperſtitioni multa Regum uxores patriorum numinum amantiſſimæ, quæ illis templa, illis aras, à Regibus maritis pravo Salomonis exemplo, tot blanditiis extorſere.

Deplorata religio eſt cùm potentium mentibus pravus error inſedit, manat ultrò in principes & populos qui ſive illecebris, ſive metu dominorum animos induunt.

Quarta idololatria cauſſa.

Quartò multum idololatriæ contulit ſacra fames auri, & bonorum omnium fortunæ ardentiſſima cupiditas; Inde factum ut cum à Deo hæc enixè peterent, nec obtinerent, utpotè ruinæ ſuæ inſtrumenta, ſtatim ad Dæmones converterentur. Tum ſi quod vehementer petebant, caſu obtigiſſet, aut etiam fallacium numinum artibus ſuggeſtum fuiſſet, eo magis perverſi ritus catenis aſtricti tenebantur.

Achazi impietas.

Vicit omnium ingenium Rex Achaz qui non tantum idola erexit, ſed iis quoq; thus adolevit, & victimas immolavit. Aggreſſus præterea grande & inſolitum aliis Regibus nefas; nam (ut ait ſcriptura) *filium conſecravit transferens per ignem.*

Regum 4 16. 3.

Tranſlatio infantium per ignem & immolatio.

Duobus iſtud modis factum, aut cum pueri planè ignibus immolati in Moloch idolo, aut tantum per flammas ut eidem conſecrarentur, trajecti. Simeon Judæus in libro Ialchut immolationem ita deſcribit. Fuit Moloch imago concava habens ſeptem conclavia: Unum aperiebant ſimilæ offerendæ; aliud turturibus; tertium ovi; quartum arieti; quintum vitulo; ſextum bovi: ſi quis verò filium offerre decreviſſet, patebat illi ſeptimum adytum, aliis illuſtrius, ubi expanſis manibus immitis deus puerum excipiebat ſtatim in ignem ſubjectum mittendum. Ne verò miſerorum ejulatus audirentur, omnia in valle Tophet ubi nefandi ritus fiebant

bant clamoribus & tympanis perſonabant.

Moloch autem iſte idem eſt ac Rex Aſtrotum, ſive ſol, cui impuri illi carnifices litabant longè ab aliis diſſiti, qui tam beneficum ſidus cruore victimarum colere abhorruere.

Hier. c. 7. v. 31. Carnificinam iſtam puerorum deteſtatur Hieremias *Ædificaverunt excelſa Tophet, quæ eſt in valle filii Ennon, ut incenderent filios ſuos & filias ſuas igne.*

Alias fiebat tantum luſtratio per ignem qualem hic putatur Achaz feciſſe, authore Theodoreto quæſtione 16.

Faſtorum lib. 4. *Omnia purgat edax ignis*, ait Ovidius, idcirco & familiare gentibus trajicere corpora per ignes ſolemniter accenſos, quod in Chriſtianos quoque mores ſuperſtitione manaſſe teſtatur idem Theodoretus quæſtione citata in hunc locum. *Ego*, inquit, *exiſtimo id quod dicitur tacitè ſignificare genus erroris, quod ad nos uſque pervenit. Vidi enim in aliquibus civitatibus ſemel in anno accendi rogos, & trans eos ſaltare aliquos non ſolum pueros ſed etiam viros, infantes autem per flammas ferri à matribus. Videbatur autem eſſe quadam expiatio.*

Luſtratio per ignem unde & cur.

Multa quidem errore confuſa, ſed verum illud & pene omnium mentibus fixũ, animas corporibus exſolutas, ſi quæ eſſent in iis maculæ purgatoriis ignibus ad purum excoqui. Pulcherrimè Quintil. declamatione decima. *Animam inde venire, unde omnium authorem & parentem ſpiritum ducimus nec interire nec ſolvi, nec ullo mortalitatis affici fato: ſed quoties humani corporis carcerem effregerit & exoneratam à membris mortalibus, levi ſe igne luſtraverit petere ſedem inter aſtra*

Achazi levitas. Hæc igitur mens Achazi fuit, filium non voraci elemento objicere, ſed innocentibus luſtrare flammis; non tamen ipſe innocens fuit qui ab impuriſſimis idolis afflari puritatem credidit.

Erat homini vagum & deſultorium ſuperſtitionis genus, quod omnia præcipitanter acciperet; ſiquidem aram Damaſcenorum ſemel viſam exprimi formâ per quàm abſoluta curavit, & in primaria templi ſede collocari, relegato in angulum altari ſancto, quod erat ad ſacrificia deſtinatum.

Muſach quoque ſabbati (ut ait textus ſacer) *quod ædificaverat in templo, & ingreſſum Regis exterius convertit in templum Domini.* Rabbi Salomon Muſach illud putat fuiſſe tentorium ſplendidè coopertum in quo ſedebat Rex, in ſabbatis, ad porticum templi, à quo ingreſſus quoque arcanus Regibus, quoties vellent, in Domum Dei erat. Hunc Achaz ſibi abſtulit peſſimis auſpiciis, ut qui jam hosbes teſtamenti, & alienus eſſet à Dei contubernio, & vita. *4. Reg. 16. v. 18.*

Præterea Uriæ ſacerdoti ad ejus imperia nimis flexibili, fatali timidis ingenii ſocordiâ, ſacra & religiones ſuo nutu præſcripſit, omnia movit, omnia ſuſque deque turbavit.

Nec tamen impunè; nam imperium jam toties tentatum in extremas ruinas impulit. Siquidem Phacée Rex Iſraelis, & Raſin Rex Syriæ, ambo conjunctis viribus ut vultures ad corniculam ſpoliandam advolant, & latiſſimâ plagâ feriunt. *Punitio Achazi.*

Intervenit rebus pene deploratis tanquam Deus è machina, qui illo tempore florebat, Iſaias Propheta, & duas ut ipſe loquitur titionum fumigantium caudas, qua conſiliis, qua precibus avertit. *Iſaia 7. v. 4.*

Quis eum ad meliorem frugem revocet quem Deus deſpexit? Non ſanavit hominis vecordiam vir divinus, ſed magis incendit. Nam Regem Aſſyriorum Teglat Phalaſſar ærario tam ſacro quàm pro-

profano pene exhauſto in ſuppetias vocat

Grande hoc imperitiæ & ſtoliditatis exemplum barbaro Regi & infido, cum numeroſiſſimo exercitu venienti ſe ſuaque permittere.

Huic tamen Achazo occurrere cũ muneribus placuit, quem ut incallidum & ſtupentem vidit, poſt confuſas Syrorum vires, Judæam quoque in prædam vertit.

Inde prima fax funerum, quibus poſtea Palæſtina à Babyloniorum regibus everſa deflagravit.

EZECHIAS.

DISSERTATIO

Nonagesimatertia.

Quare ex peſſimis parentibus optimi naſcuntur liberi.

In hæc verba. *Fecitque quod erat rectum coram Domino juxta omnia quæ fecerat David pater ejus.* 4. Reg. 18. 3.

Palingeneſis. QVi palingeneſin ſomniarunt, eundem poſt aliquot ſæcula hominem reviviſcere crediderunt, amœno ut conſtat figmento. Sed fabula non eſt ex deterrimis genitoribus naſci filios laudatiſſimos, qui avos & atavos celeberrimos olim viros referant, nihil patris habeant.

David revixit in Ezechia. Teſtis hîc Ezechias Achazi impii & furioſi patris filius ad omnem virtutem cõpoſitus, in quo renaſci David viſus eſt. In tantæ perfectionis culmen venit, ut Regibus omnibus anteponatur. Sic enim ſacro eloquio commendatur. *Poſt eum non fuit ſimilis ei de cunctis Regibus Iuda: ſed neque in his qui ante eum fuerunt.* *4. Reg. 18. 3.*

Vnde illud? Unde igitur iſtud quod quærimus: unde hæc ex ſpinis roſa? unde lux ex tantis tenebris?

1. A Deo inhabitatore. Certiſſimum illud eſt tam magna à Deo Maximo fieri; nam ut præclariſſimè cecinit ſanctus Paulinus. *S. Paulinus natali 9. de S. Felice.*

Et natura opifex Deus omnis, & artis, in omni
Fons opere & finis faciens bona, factaque ſervans.

Tantus quiſquis eſt quantus Regnator ille omnium ſpiritus impleverit.

At verò ut Deus per inferiora ſibi inſtrumenta naturam movet juvat quærere, an ad magnificam indolem conſtituendã, qualia in Ezechia Rege fuit, aliæ naturales cauſæ concurrant.

2. Deus etiam ſecundis cauſſis ut ſtellis utitur, ad bonam indolem conſtituendam. Sedit hæc omnibus ſæculis ſententia, aſtra in iſtis plurimum poſſe, nec aliter iſtam patrum & filiorum diſſimilitudinem conſtare.

Scio quàm exploſa & quàm irriſa quæ à vulgaribus Mathematicis de ſyderum doctrina circumferuntur, ut quæ humanæ fidei terminos excedant, hæc ego ſingulari libro per ipſa experimenta validè confutanda mihi ſumpſi: fateri tamen oportet eſſe aliquem in aſtris ſtimulum, quò natura excitata inclinet, ſecurâ humani arbitrii lege.

Hic eſt ſtatus univerſi ut ſupera ſe inferis commodent: non ſunt otioſę circa nos tot limpidæ ſtellarum flammæ, infundunt ſe elementis, unde nos compacti, miſcent ſiccis humida, frigida calidis, diſpenſant temperamenta, ex temperamentis indolem, & ex indole ſæpiſſimè non obluctante arbitrio mores faciunt.

Hoc ſcholaſticorum Theologorum cenſura rigidior agnoſcit Ita S. Damaſcenus l. 2. de fide orthodoxa c. 7. *Alii atque alii planetæ diverſas complexiones & habitus, & diſpoſitiones in nobis conſtituunt.* Ita S. Thomas 1. parte q. 115. Fatetur Aſtrologos

Digitized by Google

logos in pluribus poſſe non falſa prædicere, *quia plures hominum ſequuntur paſſiones ad quas cooperantur corpora cæleſtia.* Pleniùs verò opuſculo de fato. *Præſcientia divina ea quæ ordinavit, exequitur, & adminiſtrat, miniſterio cauſarum naturalium maximè verò ſtellarum.* Ita Scotus l. 2, ſent. d. 14. *Aſtra inclinant voluntatem, in nullo tamen neceſſitant.*

Inde fit ut ſyderibus illuſtribus ac lætis Geneſim aliquam illuminantibus, præclariſſima indoles emergat, ex qua amabilitas, & ex amabilitate hominum amor, ex amore gratia, profectus, honores, & cætera ejuſmodi conſequantur.

Haud tamen crediderim ſtellas eſſe cauſas Phyſicas & patentes felicitatis aut infelicitatis humanæ. Sed ſi quæ hujuſmodi ab hominibus obſervantur, aſtra potius hæc notant quàm faciunt, ut ſapienter ab Origene pronuntiatum. Nam ut Chriſti cunabula feliciſſimum ſidus irradiavit, quod magos impulit ad ſatorem æternitatis, ſalutiſque fundatorem Deum ſagaciſſimè requirendum. Ita in ortu virorum illuſtrium (ut ajunt) ſic Deus tempora & aſtra diſpenſat, ut magnorum ac felicium concurſus magnum & felicem prodat qui naſcitur.

Conſentit Cardinalis Alliacus in hoc quàm in cæteris opinionibus Aſtrologicis prudentior. *Nihil magni in hoc mundo evenit, quod non habeat teſtimonium in Cælo.*

Hæc Triſmegiſti, quiſquis ille ſit, antiquiſſimi atque optimi authoris ſententia; hæc Pythagoræ, hæc Platonis, hæc Senecæ, ut pluribus aliàs oſtendam.

Itaque facile crediderim in Ezechiæ Regis genitura, amabilem cæli concentum extitiſſe, qui tanti Herois ortus prævolante veluti felicitate ſignaret.

Sed errant Aſtrologi dum omnia in cælum referunt, nec ſatis ſublunares cauſas comites atque adjutrices ſiderum rimantur.

Alia cauſſa eſt cur ex peſſimis parentibus optimi filii naſcantur: In fluviis ac fontibus evenit, ut taminentur ac ſordeſcant influentibus ex aëre & terra adverſis vaporibus. Paulatim autem ſe ſibi vendicant, detergunt & ad purum excoquunt. Ita & Heroum ſanguis longo temporum progreſſu per tot venas fluens, limum & ſordes trahit, quæ priſtinum decus oblinant. Redimit tamen ſe interdum natura Deo juvante, & ſumma vi eluctata maculas abjicit, defecatur, & in priſtinum ſe ſe decorem aſſerit. Ita refloruit in hoc Ezechia in tot aliis Regibus decolor Davidis ſanguis, & ſe in avitam gloriam vindicavit. *3. Cauſa.*

Quartam addo rationem quæ palpare res magis quàm conjicere cupientibus certior occurrit. Nullum unquam fuiſſe Regē valde eximium, qui non fuerit à conſultore aliquo ſapientiſſimo informatus atque inſtitutus. Saulem Samuel fecit, Nathan Davidem, Joam Jojadas, Oziam Zacharias Videns, & hunc Ezechiam Iſaias Propheta. Vir enim ille divinus de ipſius ſapientiæ ſinu eductus, jam Achazi temporibus prophetare multa & grandia cœperat; ſed impii Regis læva mens, nec ejus meritum agnovit, nec coluit virtutem, in præcipitium criminum abrepta. Ezechias verò, patre mortuo, ſe totum illi applicuit atque commiſit, unde mirabiliter cæleſtis politiæ ſtatus accepit. *4 Ratio.*

Regis pietas. Regni fundamenta jecit à cultu Dei quem erecto & ardenti animo ſupra cæteros Reges aſſeruit. Idolorum hoſtis acerrimus omnia confregit. Serpentem quoque æneum quem Moyſes conſecraverat, licet ab hac ſimulachrorum abominatione ſejunctum contrivit, quod plerique

Judæo-

Judæorum ſpecie divinitatis illuſi hoc abuterentur. Non eſt quidem uſus propter abuſum ubique tollendus, ſed tamen maluit in hoc ęſtu rerum, tantum monumentum perire quàm ſuperſtitionis materiam eſſe.

Ezechiæ laudanda facinora in religione & administratione Regni.

Evanuere tot Achazi monſtra quibus avida deſultoriaque religione ſanctitatem templi contaminaverat. Sacerdotes & Levitæ exquiſitiſſima Regis adhortatione incenſi, dignas officio curas recepere, repurgata ſordibus obſcænis Dei Domus in priſtinum decorem refloruit. Muſica omnis generis reſtituta: Ridere omnia, omnia divinis laudibus perſonare. Jugibus ſacrificiis pacatum numen. Phaſe quoque mira ſolemnitate celebratum accitis etiam miſeræ plebis reliquiis, quibus Aſſyrii vaſtatoris furor pepercerat.

Luſtrata quoque per ſacerdotes & Levitas delegatos Judę oppida, ut caſtis omnes ritibus imbuerentur, excelſa illa ſemper inviſa, & ſemper retenta, per animoſam Ezechiæ pietatem concidêre.

Cùm tantus in divinis eſſet, non fuit tamen civilibus curis impar, circa ærarium ſedulus infinitas opes congeſſit, quas non vis ulla extorſit, ſed partim induſtria fecit, partim effuſus civium amor obtulit. Urbes alias munivit, alias à fundamentis extruxit, annonæ & fontibus cæteriſque populorum commodis ſolertiſſimè ab eo proviſum, nec pauperes neglecti quos acerba tempora penitus exhauſerant.

Militiam quoque inſtruxit bello paratus magis, quàm intentus, Philiſtinos ingenio mobiles & adverſis æquè ac proſperis Judæ caſibus inquietos domuit, Aſſyrios contemptis fœderibus irritavit, haud impunè, niſi atrocem vim mali Dominus diſſipaſſet.

Sennacherib contritus.

Inundavit omnes Judæ urbes Sennacherib Rex Babyloniorum, fœda gentium colluvie, & numeroſiſſimo exercitu. Vidit repentè Ezechias ducenta hominum millia in ſuis viſceribus graſſari, admoveri Solymæ caſtra, Rapſacem dirum poſt homines natos fulminaſtrum in foribus eſſe, à Barbaro imperatore miſſum, qui deditionem urbis ſacrilegis minis urgeret. Omnia metu perculſa, & deſperatione confuſa. Nullum adverſus tantam belli molem in humanis præſidium. Stetit tamen Rex numinis fiduciâ, inter tot minaces iras intrepidus, nec defuit Iſaias Propheta, qui denuntiato Dei auxilio exitioſam peſtem à mœnibus avertit. Pugnatum eſt de cælo, per tempeſtuoſam cæli faciem, per fulmina & ignes, centum & octoginta quinque millibus ſtupenda clade proſtratis, exercitu penitus diſſipato. Aſſyrium Regem pavidum & fugientem filii in propriis ædibus oppreſſere. Hæc pietatis certamina, hi triumphi quos mirari omnibus, nemini licitum exprimere, niſi de Ezechia dicamus quod ille de Theodoſio.

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti

Ezechias cum Deo fortiſſimus, in ſe mollior.

Hæc igitur cum Deo geſſit Ezechias, quę ſi extra divina conſideres, invenies molioris fuiſſe ingenii & ad amœna vitę propendentis. Itaque ægritudine correptus ſupra modum ingemuit, & ad ſupremæ neceſſitatis nuncios vehementiùs expavit.

Ejus morbus & ſolis retroceſſio.

Nec credidit prorogari ſibi vitam, niſi portento admonitus. Umbra ſiquidem in horologio Achaz decem gradibus retroceſſit. Non eſt neceſſe propter hoc aliquid in Solis curſu fuiſſe immutatum. In ſciaterio, non in Cælo, ut multi ajunt, miraculum ſtetit. Sunt tamen qui diem illum triginta duarum horarum fuiſſe æſtiment,

ſole per decem gradus progreſſo, & regreſſo.

Citatur pro hac ſententia S. Dionyſius qui in Epiſtola ad Polycarpum, feſtū fuiſſe memorat apud Perſas, τριπλασίȣ Mithræ hoc eſt triplicis ſolis, quod ſol tres fere dies meando & remeando æquaſſet. Μάγοι, inquit, τὰ μνημόσυνα τοῦ τριπλασίȣ Μίθρȣ τελȣ̃σιν. Conſentit quoque in eo Pachymerius, ſed penes illos ſit hæc opinio qui dulcibus commentis lætantur, & ſuppoſititiam Dionyſii epiſtolam pro germa-cupiunt.

Certè Arias Montanus, Vatablus, Burgenſis, in umbra tantum non in ſole factam fuiſſe mutationem conſentiunt: nam ſi reipſa miraculum illud commune terrarum orbi fuiſſet, nihil cauſæ erat cur Babyloniorum legati de hoc quaſi in experti ſciſcitarentur, ut habetur paralip. 2. cap. 32.

Quod autem apud Iſaiam, & Eccleſiaſticum cap. 48. retroceſſiſſe ſol dicitur, inde ſcriptum putat Sanctius noſter, quod frequens ſit in ſcriptura cauſam pro effectu ponere: ſic ſoli tribuitur quod ejus radio aut umbræ aſcribendum. Probabilis hæc illi acutiſſimè omnia rimanti videtur ſententia: ſed quia pro retroceſſione ſolis veterum ſcriptorum facit authoritas, cēſetur & illi & mihi amplectenda, reverentiâ potius antiquitatis, quàm fiduciâ probatæ veritatis.

Alterum Ezechiæ vitium vanitas. Alterum quod in Ezechia reprehenditur, tumor eſt elati & geſtientis in proſperis animi, nec ſatis adverſa providentis. Hoc incitatus ſpiritu, Aſſyriorum Regem contempſit, ejuſque amicitiam ut ſtare per legem Dei poterat, repudiavit. Non formidabilem orbi potentiam extimuit, in Ægyptios magis pronus naturâ leves, & infidos. Accendit æmulatione imperioſiſſimi hoſtis vires, quem ubi incubantem ſuis urbibus vidit, ad infimas preces converſus, ſancto quoque ærario non pepercerit, ut placaret iratum.

Stimulavit avari hominis, non extinxit cupiditatem, omnia jam tum exhauſturi, niſi frænum Deus injeciſſet.

Repreſſo timore ſtatim exultantis, nec ſe capientis animi ſigna prodidit, Theſauros oſtentavit furi, cum legatis Aſſyriorum prodidit omnes quas habuit gazas, miti & exarmata ſimplicitate, invitavit rapaces manus ad dulce ſpectaculum, & per aureas ſpecies, auri ſitim cupidis & potentibus in Regni perniciem accendit. Merito itaque Caſſianus ait, Ezechiam *ſole & morte retrogreſſis elationis telo concidiſſe.*

In eo quoque demiſſe & in ſua tantum commoda in projectæ mentis argumentū præſtitit, cum Iſaias propheta expoliationem, ſervitutem liberorum, & omnia ſæva ſequenti ævo denunciaret ob oſtentatas opes Aſſyriorum legatis. Ubi enim audivit hæc non ſibi, ſed filiis & nepotibus imminere. Reſpondit, *bonus ſermo Domini quem locutus es, ſit pax & veritas in diebus meis.* *4. Reg. 20. 19.*

Ferè idem dixit incuriâ generis humani, quod ſævitia Tiberius Εμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρὶ

Itaque licet vitæ avidiſſimus non exceſſit annum ætatis 54. qui per novenos vitam penſantibus criticus occurrit.

***

MA-

MANASSES.

DISSERTATIO NONAGESIMA QUARTA.

Quæ in eo mira.

In hæc verba. *Duodecim annorum erat Manaſſes cùm regnare cœpiſſet, & quinquaginta quinque annos regnavit, fecit malum in conſpectu* Domini. 4. Reg. c. 21. v. 1.

TRia in Manaſſe mira, primum quod filius tot votorum, tam bono parente natus, tam ſanctè educatus, peſſimus omnium Regum evaſerit. Alterum quod in iſtis Regibus poſt Davidem rariſſimum, pœnitentiam egerit. Tertium quod poſt innoxium ſanguinem tam ſæpè & tam immaniter fuſum quinquaginta quinque annos ſupra cæteros omnes Reges imperaverit, placida tandem morte defunctus.

Occurrit imprimis mirari unde filius à Patre optimo ardentiſſimis precibus de cælo jam ſeris annis expreſſus, & in pia diſciplina educatus, ſceleſtiſſimus omnium anteceſſorum extiterit?

Manaſſes Neroniano ingenio.

Neronianum in hoc principe ingenium licet agnoſcere. Impietate fuit præcipuus, non tantùm profanus, ſed vecors, idola in lucis colere haud contentus, poſuit in ſanctiſſimi templi viſceribus, omnem cæli militiam adoravit, omnes gentium ſuperſtitiones avidus arripuit, ſuperatis ipſorum Ammorrhæorum ſacrilegiis. Induxit Auguria, & Haruſpicinas, ignota tum Judæis nomina, obſervavit ſomnia, Pythones conſuluit, & magicis artibus animum & curas impendit.

Non defuere grandes & vitæ contemptores animi qui furenti obſiſterent, ſed omnes quos potuit, inaudita ſævitia trucidavit. Tantum innoxii ſanguinis effudit, ut cruoris plena ad os uſque (quod ſcriptura loquitur) ſub ejus Regno Solyma videretur.

Iſaiæ mors. S. Epiph. in vitiis Prophetarum.

Inter cæteros Iſaias propheta, exquiſitiſſimis ſuppliciis tortus, & ſerrâ (ut ajunt) per medium diſſectus, vir canitie veneranda, trium inſtitutor Regum, ſapientia, ſanctitate, eloquio ſupra humanum omne conſtitutus.

Cauſſæ iſtius corruptionis multæ.

Unde igitur in adoleſcente Rege tantus furor, tanta perfidia? totus nempe Achazi ſanguis qui per Ezechiam fuerat defecatus, in eo rurſum ſe ſe per feces agere, & ebullire ſupra modum viſus.

Deinde evenit ut illi tot deſideriorum filii cum ſeris patrum annis venerint, indulgentiùs alantur. Putant in tam puſillis corporibus ſtare regna, & tot mortales vivere, timent teneram ætatem vexare, detinere melioribus ſtudiis, & ſeriis advocare faſtidium, laxare omnia melius putant, quàm debili manu reſtringere.

Adde jam quod à Platone ſapientiſſimè dictum eſt, puerum, ζῶον εἶναι δυσμεταχειριστότατον *intractabiliſſimum animal*, trudentibus ſe jam inter viſcera variis affectibus, quos ratio vel vincta vel proſtrata, non reprimit.

Tum ſi orbitas accedat, ſi paterni jus abſcedat imperii, ſi ſumma agendorum omnium licentia, & actorum impunitas, quid ſalvum eſſe poteſt in rebus humanis?

Manaſſi omnes ad malũ illecebræ.

Hæc omnia cùm Manaſſi præſto eſſent, intervenit quoque (ut benè conjicit Toſtatus) juvenum leve & ſolutis moribus contubernium. Illi fuere venti qui tam ſævum mare continuis flatibus concivere, repreſſa caſtis Ezechiæ cenſuris audacia tota in hoc regnum erupit, nihil non mo-

vere iſti, nihil ille detrectare, nulli flagitio Rex pepercit, cui blandi inſtitutores forte nimis dimiſſe pepercerant.

Punitio cita. Iratum tot ſceleribus numen vindex aſtitit pede non lento. Nam vix annos ſeptẽ exegerat in Regno, cùm Babylonii apertâ jam ab Achazo januâ in Paleſtinam crebris excurſionibus volitantes, Manaſſen ſanguini & saginæ immerſum, abjectis Regni curis improvidum & ſocordem cepere.

Direpto Regno miſerrimum ipſum Regem Babylonem aſportant & in vincula conjiciunt.

Reſipiſcentia. Porci (ut ajunt) nunquam cælum aſpiciunt niſi ſupinè proſtrati, nec hic Manaſſes de divinis cogitavit, antequam ferro vinctus eſſet & in profundiſſimam foveam abjectus. Senſit in Babylone ultorem Deũ quem ſpreverat in Judæa. Nata illi in catenis ſanctorum libertas, acerrimo dolore cordis infractus ingemuit, preces & ſuſpiria ad Dominatorem Regum convertit, deterſit ſquallore peccatorum ſordes, lavit fletu crimina.

Magna res in Regibus pœnitere. Magna res & in Regibus ſtupenda. Tot antè Manaſſem Judæ Reges flagitiis & ſceleribus contaminati, ubi unus excepto Davide peccata deflevit? ubi habitum mutavit? ubi ſe jejuniis & corporis afflictationibus maceravit?

Donum Dei eſt Deum perditum agnoſcere, & lugere, *non eſt volentis neque currentis* (ait Apoſtolus) *ſed miſerentis Dei*, diſplicẽtes amamur ut ſit in nobis quo placeamus juxta concilium Arauſicanum. Sed licet promptiſſima ſit voluntas Medici, nõ omnes provocati reſpondent, non omnes tacti ſequũtur motum advocantis. In manifeſta luce ſunt Pharaonis & Nabuchodonoſoris exempla, quæ S. Auguſtinus in libro de prædeſtinatione, & gratia, diſertiſſimè proſequitur.

Auguſt. lib. de prædeſt. & gratia cap. 15. *Quantum ad naturam, ambo homines erant: quantum ad dignitatem ambo Reges quantum ad culpam ambo captivum Dei populum poſſidentes: quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti: quid ergo fines eorum fecit eſſe diverſos? Niſi quod unus manum Dei ſentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter libero contra miſericordiſſimam Dei pietatem pugnavit arbitrio.* *Si tamen Auguſt.*

Obſtat pœnitentiæ ſuum in Regibus faſtigium; diminutionem majeſtatis putant mutanda feciſſe & facta confiteri: pudet demitti, pudet agnoſcere reatum, malunt excuſare facta quàm damnare. Obſtat luxus, obſtat vita per omnes traducta delicias; ignorat quid ſit *ſacco & cineribus incubare*, ut ait Tertull. *corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit triſti tractatione mutare?* *Tertull. de pœnitentia.*

Hæc ratio Philippos Imperatores jam Chriſtianorum ſacris initiatos deterruit in peccatum lapſos. Maluerũt à fide quam à ſuo culmine exulare.

Manaſſis pœnitentia admiranda. Pii igitur affectus, & ingentis animi fuit in Manaſſe de neceſſitate moliri virtutem nobilitare vincula, conſecrare pœnas, os ſuum contra ſe aperire, in illa lugubri deprecatione cujus nunc etiam habemus monumenta. *In oratione Manaſſis.*

Primum agnovit immenſam Dei potentiam, cùm dixit. *Domine omnipotẽs qui feciſti cælum & terram, cum omni ornatu eorum: qui ligaſti mare præcepto verbi tui, qui concluſiſti abyſſum & ſignaſti eam terribili & laudabili nomine tuo.* Magnificus planè de Deo ſenſus, jam expertus creatorem, judicem ſentit.

Quem omnia pavent (inquit) *& tremũt à vultu virtutis tuæ, quia importabilis eſt magnificentia gloriæ tuæ, & inſuſtentabilis ira comminationis ſuper peccatores.*

Nec tamen in juſtitia tam formidanda deſperavit miſericordiam, *Immenſa verò*

(excla-

Digitized by Google

(exclamavit) *& inveſtigabilis miſericordia promiſsionis tuæ.*

Deinde peccata non excuſat, non minuit, ſed pleno ore extendit.

Peccavi ſuper numerum arenæ maris. Subit magnanima voluntate pœnas ſibi pro delictis impoſitas.

Non ſum dignus intueri altitudinem cæli, incurvatus ſum multo vinculo ferreo, ut non poſsim attollere caput meum, & non eſt reſpiratio mihi.

Tandem à miſericordiſſimo implorat veniam, *flecto genua cordis mei, precans à te bonitatem.*

Emendationem vitæ pleniſſimam ſpondet, cum ait. *Et laudabo te ſemper omnibus diebus vitæ meæ, quia te laudat omnis virtus cælorum, tibi eſt gloria in ſæcula ſæculorum.*

Liberatio quoque mira. Adfuit tandem deploratis rebus propitium numen. Regi Babyloniorum qui miſerum habebat in vinculis, cogitationem immiſit de fortuna Regum, & rerum humanarum viciſſitudine. Ipſe Euilmerodach cũ in throno ſederet irradiatus toto gloriæ fulgore, cogitavit viginti annorum juvenem, olim Regem degere in foveâ acerbiſſimis vinculis conſtrictum, continuo Deo mirabiliter inſtigante, & urgente, exſolvi jubet, tum comiter & magnificè exceptum remittit in patriam & regnũ. Planè digitus Dei eſt hic, qui de impio pium fecit, de ſanguinario mitem, de ſacrilego ſanctum, de captivo Regem.

Narrat Paralipomenon liber eum diruiſſe quæ ædificaverat, ædificaſſe quæ diruerat, idola nempè deſtruxiſſe, altare Domini inſtauraviſſe, & ſacrificiis frequentaſſe.

Tertium Manaſſis mirandũ diuturnitas Regni. Tertium quoque mirandum occurrit quod poſt tot cædes perpetratas placidè obierit, poſt Regnum quinquaginta quinque annorum quod nemo anteceſſorum, nemo ſucceſſorum vidit, nec fortè videre ſe ſperavit. *Eccl. 10. v. 11.*

Cur omnis potentatus brevis vita. Non abs re dictum ab Eccleſiaſtico. *Omnis potentatus brevis vita.* Hanc curæ ſuffocant, deliciç opprimunt, appetunt inſidiatores, inquietant morbi, & ipſa morborum remedia præcipitant.

Non placet Deo tam longum eſſe quod ſæpè tam ſuperbum, tam violentum eſt. Agnoſci libet ſæculorum Regem, à quo tã brevibus cancellis cæterorum Regum vitæ conſtringuntur.

Tum verò præcipuè ſi truces, ſi ſpoliatores mortalium, ſi humani ſanguinis avidi, dum timeri ab omnibus volunt, omnes timent.

Rariſſimum eſt, ut ajebat Thales Mileſius, videre tyrannũ ſenem. Uno aliquando ſæculo triginta Imperatores cæſi.

Ad generum Cereris pauci ſine ſanguine Reges Deſcendunt.

Tyranni aliqui diu vivũt, vel potius lentè moriuntur. Inveniuntur tamen aliqui inter rapinas & cædes conſenuiſſe: in his Herodes & Tiberius

Tum furoris ſui virgas ſervat Deus ad expianda mortalium crimina, carnifices ſuos ut & Dæmones diù patitur eſſe, ut peccatis ultores non deſint. Sçpè etiam vitam ut Caino in tormentum dedit, diù vivunt, ut diù crucientur, ſibi graves, omnibus exoſi. An & aliquid boni per tot mala fecere, quod remunerari æquiſſimus judex velit, temporali vita, iis qui æterna ſunt cariturі: ſæpius ſe acribus cuſtodiis, & impenſiſſimâ curâ muniunt, ferro & inſidiis clauſi. hos ſibi in palmam reſervat Deus, aggreditur feralibus morbis & ſontium corpora fruſtratim diſcerpit in dies.

Evaderent ſi liceret feſtinanter perire.

JOSIAS

IOSIAS.

DISSERTATIO

Nonageſima quinta.

An ab omni culpa & cenſura ſit immunis?

In illa verba. *Similis illi non fuit ante eum Rex.* 4. Reg 23. v. 25.

Ammon filius Manaſſis Patrem ſecutus in ſcelere, in pœnitentia deſtituit.

MANASSI de rebus humanis exempto, in Regnum evehitur AMON annum agens vigeſimum ſecundum Stupori an furori detur quod patris imitatus primordia, neglexit extrema? conſecutus in Idololatriæ ſceleribus, eumdem in pœnitentia quàm præ oculis habebat, deſtituit. Breve tamē fuit quod turpiter fecit ut qui ſecundo Regni anno à ſuis interfectus ſpretæ religionis celeres pœnas dedit.

Thronum Davidis ſtatim conſcendit eo prognatus Joſias octo annorum puer, omnium facile Regum innocentiſſimus.

Rariſſimū ſpectaculum Rex innocens.

Rariſſimum eſt in natura ſpectaculum Rex immaculatus. Ipſi qui audiunt Imperatorum maximi ſuos habuere nævos Auguſtus, Trajanus, Theodoſius, Conſtantinus, Carolus magnus. Nemo quippe magnus ſine vivaciore natura, quæ ut tellus fœcunditatis avida, mala cum bonis effundit. Stat illis virtus omnis in lubrico per tot hominum obſequia, per tot delicias, aut ſopitis ſi mulceantur, aut irritatis ſi quid adverſetur ſenſibus. Stimulat undique ambitio, inflammāt libidines, ira præcipitat, urit ardor vindicandi, laxat fræna cupiditatibus infinitis omnia audendi faciendique licentiâ.

Ioſiæ virtutes.

Prodigium inter hæc videre Regem huic Joſiæ ſimilem in quo cenſura rigidior nihil habet quod perſtringat. Indoles illi aurea, & ad virtutem ſuo impetu prona. Timor caſtus, & divini judicii ſtimulis ſollicita conſcientia. Ingens illi ad pietatē pondus, additum ex optimi libri lectione quē Elcias ſacerdos in templo deprehenderat. Magnæ vis ex ſaluberrimis Hieremię prophetæ conſiliis, qui Regis animum pleniſſimo divinitatis ſitu perfudit.

Vnde illæ

Zelus ejus pro Domo Dei.

Omnium etiam piſſimorum Regum in aſſerendo Dei cultu conatus vicit, nō tantum Hieroſolymis idola contrivit, ſed toto paſſim Regno debellavit, ſexcentorum monſtrorum domitor acerrimus: excelſa quæ optimis etiam Regibus intacta, funditus ſublata eo regnante concidêre. Auguriis, Pythonibus, & nefariis ſuperſtitionibus exilium indictum: evulſa radicitus malarum artium ſemina.

Bethel deſtructa.

Sed quod mireris, Bethel ipſa cecidit Solymarum æmula, in qua Hieroboam ſimulachra primum conſecraverat, quæ cęteri Iſraelis Reges tam avidè retinuerant. ARA illa impuriſſimorum dæmonum, magnanima Joſiæ pietate convulſa. Extracta de ſepulchris Sacrificorum oſſa qui idolis litaverant, & in ipſis ſacrilegorum aris combuſta, ut olim à viro Dei fuerat Hieroboamo denunciatum.

Combuſta ſacerdotum impiorū oſſa.

Parum fuit malorum omnem occaſionem ſubtrahere, totum ſe bonis impendit. Templum toties deformatum, nec ſatis unquam poſt deprædationes conſtitutum ſummo vigore reſtauravit, & plurimis auxit ornamentis Pacatis omnibus florentiſſimum phaſe celebravit plaudente cælo & magni totius regna lætitia.

Conſtitutis rebus divinis ſagaces curas juſtitiæ & paci populorum diviſit. Regnū illi triginta & unius annorum florens & quietum, Deo ubique gratias uberes infundente, ipſe in virtutis exemplum & venerationem civibus ſuis fuit.

Duo

Digitized by Google

Duo Ioſia objiciuntur. Primum violatio ſepulchrorum. Duo tamen illi objiciuntur quæ facilè refelli poſſunt. Primùm eſt quòd intentatâ(ut ajunt)omnibus Regibus ſęvitiâ, mortuos exhumavit.

S. Ambroſius libro de Tobia Omnium gentium ſenſus & religio eſt, hominum ſupremis conſulere, & ſepulchra inviolabili jure ſervare. Unde ſanctus Ambroſius libro de Tobia. *Magnum hoc opus ſi viventes operire nudos præcipimur,* *Honor ſepulchris impenſus.* *quantò magis debemus operire defunctorũ corpora? ſi viantes ad longiora deducere ſolemus, quantò magis in illam æternam domum profectos, unde jam non revertuntur? nihil illo officio præſtantius ei conferre, qui tibi jam non poterit reddere: vindicare à volatilibus, vindicare à beſtiis, conſortem naturæ: feræ humanitatem defunctis corporibus dediſſe produntur, homines denegabunt?*

Lucernæ in ſepulchris unde? A porta l. 11. de igne artificiali. In ſepulchris olim lucernæ poſitæ jugi flamma lucentes, & multæ quidem inventæ in ollis & phialis vitreis, arctiſſima cuſtodia clauſæ, inde factum quòd Gentiles crederẽt manere in ſepulchris animas ſuis cineribus incubantes, quæ hac luce vehementer oblectarentur. Quare & nefarium eſſe putabant turbari altiſſimam quietem illorum quos extra hujus mundi ſepta natura conſtituiſſet.

Improbè igitur quis putet oſſa mortuorum à Joſia eruta & combuſta.

Sed pietatem in crimen vertunt qui hęc objiciunt, in conſilio divino diu ante ſancita. Hæc vox Prophetæ à Deo immiſſi ad Hieroboamum, dum thus idolis adoleret.

3 Reg. 13. v. 2. *Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius naſcetur domui David, Joſias nomine, & immolabit ſuper te ſacerdotes excelſorũ, qui nunc in te thura ſuccendunt, & oſſa hominum ſuper te incendet.*

Druſius in Ioannem. Non inſuetum Hebræis impiorum cadavera malè tractare cùm conſtet urnas eorum qui à ſacris ſemoti moriebantur, lapidatas paſſim ab omnibus fuiſſe. *Urnæ improborũ lapidatæ.*

Hæretici de ſepulchris extracti. Renovatum ſæpè in Chriſtianis ritibus Joſiæ exemplum. Nam Innocentius tertius per Pariſienſem Epiſcopum egit, ut ex ſepulchro erueretur Almaricus Pariſienſis Doctor, quanquam pœnituiſſe videbatur hæreſis, *ſimplicis ſpiritus,* qua olim laboraverat.

Gulielma quoque mulier nefanda, quæ in Claræ vallis monaſterio ſepulta ſanctorum honore à deluſa plebe colebatur, poſt undecimum ab obitu annum juſſu Pontificis de tumulo extracta & ignibus tradita, cum plenis teſtimoniis detectum fuiſſet eam in ſacerdotali veſte nocturnis bacchationibus & monſtroſis libidinibus operatam.

Itaque & juſtè & animoſe fecit Joſias qui idololatrarum reliquias concremavit, ut horrorem nefariæ ſuperſtitionis omnium mentibus incuteret.

Alterum Ioſiæ objectum de Nechao. Alterum putant erratum quod ſe Pharaoni Nechao armatus oppoſuerit, cùm Dei conſilio exercitum per Judæam in Aſſyrios duceret, & fruſtra ſe cruentæ morti objecerit. Hic enim miſſis ad Joſiam nuntiis ait: *Quid mihi & tibi eſt Rex* *Paralip. 2 35. v. 21.* *Juda? non adverſum te hodie venio, ſed contra aliam pugno domum, ad quem me Deus feſtinate ire præcepit. Deſine adverſum Deum facere qui mecum eſt, ne interficiat te.*

Ad hoc facilè reſpondetur, non debuiſſe Joſiam hoſti credere, qui armatus magna vi in ejus fines irrumpebat. Si iſtud quidem à Propheta aut viro Dei dictum & inculcatum fuiſſet, piaculum extitiſſet movere arma & conatus tranſeuntis impedire, ſed quandiu incerta nobis Dei voluntas eſt, non debemus flagellis & perſecutoribus cedere; at prudenti & legiti-

legitima defenſione nos & noſtra incunctanter tueri.

Hoc animo movit Joſias, cum videret Regem infidum, in regnum ſuum exundare, magna molientem, & omnia turbaturum, fecit quod magnanimi Reges ſolent. animam pietati, juſtitiæ, populorum ſaluti impendit, eâ morte extinctus qua ſolent miſerandi, eâ gloriâ quâ ſemper victuri.

Eccl 49. v 1. *Memoria* Joſiæ, ait Eccleſiaſticus, *in compoſitionem odoris facta, opus pigmentarii, in omni ore quaſi mel indulcabitur, & ut muſica in convivio vini.*

IOACHASVS

DISSERTATIO

Nonagesimasexta.

Cur Deus ſuprema regni Judæ fata ſub filiis Joſiæ permiſerit.

In illa verba. *Et translatus eſt* Juda *de terra ſua.* 4. Reg 25 21.

Publius Syrus. Peccatū fati dicitur bonorum infelicitas ut in Ioſia

Dixit Stoicorum aliquis
Cum fata peccant, hominum conſilia excidunt.

Idem peccaſſe fata dixiſſet, ſi tam lugubris hiſtoriæ ſpectator fuiſſet: De regio deturbatur faſtigio, de vita extunditur, ævo viridi, cruenta morte, princeps longè omnium optimus, atque innocentiſſimus, jacet lethali ictus ſagitta, proſtratus pius ab impio, à profano ſanctus, miſericors à crudeli: ubi religio? ubi acta per tot palmas virtutum vita? ubi vigiles bonorum Angeli? ubi ſanctorum protector Deus?

Defenditur Dei placita, & providentia. O cæci qui neſciunt *Deo flante* (ut ait ſanctus Job) *gelu concreſcere, qui neſciunt ab Aquilone aurum venire.* Sic magnarum mentium profectus & coronas per adverſa computari. *Hic eſt habitus innocentiæ, hac palmata veſtis, hoc curru triumphamus?* ait Tertullianus. Addit quoque Sanctus Ambroſius, *beatitudinem eſſe in doloribus, quos plena ſuavitatis virtus comprimit, & coërcet ipſa ſibi domeſticis opibus abundans, vel ad conſcientiam, vel ad gratiam.* *Iob. 37. 10. & 11. Tertull. in Apol. Ambroſ. l. 2. offic. cap. 4.*

Ioſias felix. Quid mali actum cum Joſia, ſi Principum ſanctiſſimus à Deo factus eſt; ſi ſtetit invicta probitate contra tot ſcelera, ſi tot portenta domuit? ſi religionem in plenam libertatem aſſeruit; ſi ruentis imperii ruinas per annos triginta ſuſtentavit; ſi ereptus mundo, cùm iam patriæ tempus immineret, quo nullus eſſet mundus.

Voluiſſet quis in lecto diu conflictari cum acerbis doloribus, diu languere, diu torqueri, animam, ut ajunt, per ſtillicidia emittere: at ea morte extinctus eſt qua florentiſſimi duces ſolent, in campo Martis, in ipſius honoris throno.

Non aliter eum civitas flevit quam ſi ipſa concidiſſet. Non aliter ejus morti quam regni funeribus Hieremias ingemuit. Quot lamentationes, tot triumphi.

Regum 4 22. 19. Certè ſi dura ejus fata, ſi miſeram mortem quia violenta eſt judicamus, mendacem Dei ſpiritum arguimus, qui per Holdam prophetidem, Joſiam ad ſepulchrum in pace colligendum manifeſtiſſimè prædixit.

Cur Ioſiæ filii tam miſeri. At filii tam boni parentis, cur ſtatim poſt ejus obitum levis jactati tempeſtatibus regnum

Digitized by Google

gnum & vitam per tot fortunæ ludibria infelices amiſere.

Ingens hîc tragedia eſt, grande irati numinis & ad extrema ſævientis ſpectaculum.

Miſeranda Regni Iudæ extrema. Defuncto Joſia ſtatim in honorem parentis, omnium conſenſu Joachaſus ejus filius Rex declaratus, viginti & trium annorum juvenis, qui nihil de patre præter ſanguinē & ſceptrum habuit. Vix tres mēſes in regno miſer exegerat, cùm dirus ille Nechao ſuis victoriis tumens, regreditur in Palæſtinam, Regem ſine ſua authoritate factum ſtomachatur, conſtitutum deſtituit, & in Ægyptū abducit in vinculis, ubi ſqualloie & mœrore obrutus extremum ſpiritum exhauſit.

Tum ELIACIM ejus frater, ut Pharaones ſibi conciliaret, de miſera plebe pecunias quas potuit undique corraſit, & à ſuperbo victore ſceptrum emendicavit, quod de ejus manibus accepit infimâ illi ſervitute ſubſtratus, mutato etiam nomine, ut pro Eliacim Joachim vocaretur.

Cœpit regnum miſerabile inter Ægyptios & Aſſyrios velut inter Scyllam & Charybdim jactari, non placuit Aſſyrio tantum ſibi Ægyptium ſumpſiſſe, ut Reges ſuo arbitrio conflatos & exſufflatos gauderet. Anno tertio Regni miſerandi iſtius Joachimi in Hieruſalem venit, Regemque à Pharaone conſtitutum, habens pro ludibrio, cum electis proceribus & vaſis templi Babylonem tranſportat. Tandem miſeratione commotus eumdem in Regnum reſtituit, indicto gradi & ſuper ſpoliati vires tributo. Hoc tribus annis ægrè perſolvit, quarto in Ægyptium pronior, ſi qua inde acerbæ lenimenta fortunæ inveniret, rebellavit. Fluxa jam Ægypto fides & robur invalidum: Redit Nabuchodonoſor iras & cruorem ſpirans, indefenſum capit, & anno Regni undecimo interſectum atque inſepultum abjicit, triſti Regiæ fortunæ ſpectaculo. Sic illi ab Hieremia Propheta denunciatum. *Sepultura aſini ſepelietur, putrefactus & projectus extra portas Hieruſalem.* *Hier. 22. 19.*

Joachimo ſucceſſit in Regnum ejuſdem nominis filius, infelicitate pari. Sive jure, ſive injuria placebat tum arrogantibus Aſſyriis miſeros vexare & ſiccas, (ut ait ſcriptura) ſtipulas perſequi. Vix cœperat Joachimus proſtrati Regni infelices ruinas colligere, cùm neſcio quibus furiis actus Nabuchodonoſor iterum Solymam exercitu cingit, & capit Regem cum matre, & uxoribus, cum omni gaza, & ſi quid in viris dignum ita aut ſervituie reſtabat, Babylonem abducit. Mathaniam Regis patruum Joſiæ quoque filium Regem conſtituit miſellæ & exhauſtæ plebis, quem mutato nomine SEDECIAM placuit nominare.

Hic (ut ajunt Hebræi) fecem omnium ſæculorum bibit, ſupra omnes anteceſſores miſerrimus. *Sedecias Rex ultimus omnium ſæculorū fecem bibit.*

Annum agebat vigeſimum primum, cum Regni gubernaculis admotus luxuriare ſtatim potentiâ cœpit, Dei ſacrorumque contemptor, neque faciem Hieremiæ Prophetæ ſaluberrimè monentis erubuit, neque tot Dei nuncios extrema minitantes.

Munita jam urbe, ubi ſatis præſidii viſum, Babyloniorum jugum excuſſit, elatæ potiùs mentis fiduciâ, quàm cautâ præviſione futurorum. Sollicitabat animum Ægyptus progenitorum olim hoſpes, ſed dura. Trita in eam magis via, & vis propior ad nocendum, ad ſolatium promptior. A Babyloniis nihil expectabatur niſi arrogans & ſævum, faſtum regnantium &

Digitized by Google

præteritorum experientiam reputantibus.

Itaque nono Regni anno ex clandeſtinis ſimultatibus in apertam ſe rebellionem conjecit. Advolat Rex Chaldæus maligno dolore ardens, & urbem clauſam atque vallatam acerrima vi obſidet. Accendebat obſeſſorum animos ſalutis deſperatio implacabili Regis ſævitiâ. Extrema omnia pati magis quàm flecti decreverant. Deditionem continuis vocibus Hieremias ſuadebat: Sed Principes malè multatum in vinculis oppreſſa veritate detinuere. Surrepſit tamen auribus Regis & Reginæ, impenſiſſimè ſuadens, & adjurans, ut urbe dedita hoſtis animos placarent. Inclinabat interdum Rex in meliora conſilia, ſed mente invalidum ac nutantem Procerum animi abripiebant in præceps. Jam biennio ſteterat obſidio, & execranda fames urbem urgebat, rebus mortiferis in alimenta vitæ converſis. Defecerant animi bellantium, nec jam enectis corporibus idem ardor pectoris: Extremum malorum in fuga perfugium. Rex urbem clàm deſerit, quàm tenere ultrà non poterat. Ibat per avias ſolitudines Regiæ familiæ agmen miſerabile, paucis militibus cinctum. Chaldæi rem ſubodorati inſiliunt aquilis perniciores, & diſſipatis cuſtodibus Regem cum ſuis capiunt.

Continuò ad Nabuchodonoſerem ducitur in Reblatham. Tulit immitis victoris vultus acerbè inſultantis, & ingrati animi labem objicientis. Finem malorum putavit, cùm initia præluderent. Ardebat libidine vindicandi ſævus domitor, nec uſitatâ feritate contentus, tetra & horrenda in captivos machinatur. Jubet catenatos in conſpectum vincti patris filios adduci, & per moras ſcelera diſpenſans, ſingulos obtruncat, parente miſerorum ſanguine reſperſo, cui gladius hoſtilis per liberorum corpus toties ictum trajiciebat viſcera.

Ubi in ſua funera ſatis oculatus fuit, eruuntur illi oculi, & informe jam cadaver ſuis cladibus ſuperſtes, Babylonem abducitur.

Nabuzardam militiæ Princeps in vaſtam urbem intrat, totamque flammis ſuccendit, nec templo indultum, nec palatio. Arſit quicquid aſportari non potuit: multis dira ſtrage promiſcuè cæſis, cæteri in ſervitutem abrepti.

Hoc ſupremum Regni fatum, & irreparabilis vaſtitas fuit. *Rationes deleti Regni Iuda.*

Stupeat quis tam ſevera per miſericordem Deum flagella in ipſius Dei populum immiſſa. Sed tantam abominationum ſeriem recogitanti, cui non parva & ſera numinis vindicta cenſebitur? Toties ſpreta religio, toties ſacra conculcata, toties effuſus prophetarum ſanguis, cælum & Deum ſollicitabant.

Inciſa tum etiam Manaſſis peccata in cornu altaris ſtylo ferreo, ungue adamantino, cujus & ſi reatum pœnitentia abſolvit, pœnas tamen divina juſtitia in ſeros nepotes reſervavit. Scripta tum in cælo lex de Solymæ interitu, quam Joſias diſtulit, non delevit.

At cur in ejus filiis Regnum deſiit? mirabitur quis fuiſſe miſeros, qui tam improbi fuerunt.

Caini interfector ſeptuplùm punitur, quod Cain nullum habuerit pœnæ exemplum quo deterreretur à ſcelere. At vero Lamech cùm Cainum videret propter admiſſam cædem, tam horrendis, tam diuturnis cruciatibus exagitatum, audacius in crimen irrupit, nec cæleſtibus minis

avo-

Digitized by Google

avocatus quo ſactum, ut gravius puniri mereretur.

Obverſabatur Joſianis Regibus imago pœnarum horrenda, quas impii Reges in ſe concitaverant. Erat etiam in manifeſtiſſima luce parentis optimi atque integerrimi pietas: nihil erat quod non revocaret à facinore, nihil quod non incitaret ad decus.

Perfregerunt omnia pudoris clauſtra, ut venalem animam gentium ſuperſtitioni ſacriſque abominandis& flagitiis innumeris proſtituerent.

Debuit Deus injuſtus eſſe, ut adulteri legis, & Prophetarum irriſores per eum viverent, per eum regnarent, quos Regno & vita privari ipſorum delicta ſanxerant.

Nõ pepercit aſcenſor cæli ſuo ſanctuario, non throno, omnia concuſſit ut juſtitiæ ſatisfaceret. Reſervari oportuit ad nova flagitia, qui crimen unum alterius gradum continuò feciſſe gloriabantur.

Deletum igitur hoc Regnum Judæ cum à Saule ad Sedeciam annos quadringentos octoginta & unum ſtetiſſet. Non attigit unius ex longævis Patriarchis ætatem, ut Chriſto ſoli Regi ſæculorum deberi cenſeretur æternitas.

REGI ſæculorum immortali, & inviſibili, ſoli Deo honor, & gloria, in ſæcula ſæculorum.

1. Timoth. 1. 17.

FINIS.

Digitized by Google

HOC OPVSCVLVM CVM ANTE annos aliquot ſcriptum, Poteſtatibus quæ tum pro ſummo Pontifice, & Rege erant, maximè placuiſſet, deinde typis mandatum eſſet, viſum eſt hîc adjicere; quòd ſit juxtà ſpiritum Dei, pro omnium voto, & communi Chriſtiani generis bono: Tum etiam quòd de Regibus honorificè, de populis benignè, de pace piè juſtèque loquatur.

ANGELUS PACIS

AD PRINCIPES CHRISTIANOS.

SI licet veſtra, MAXIMI PRINCIPES, interpellare faſtigia, ſtabo pro causâ Dei. Angelus Pacis, Concordiæ miniſter, veritatis interpres, Procurator ſalutis. Non ille ſum terribilis & minax nuntius, qui Davidi cæleſtibus prodigiis attonito flagellorum metus incuſſit: Ex illorum numero non ſum, qui tot flagitiis immerſam Pentapolim funditus evertere: Non pluo ſulphure; non vibro flammas; non jaculor fulmina; ſed miti quadam amœnitate vernantes olivas prætendo, quas tanta bellorum eluvio nondum extinxit. Ex eorum cætu & concentu venio, qui naſcente Domino Pacem hominibus bonæ voluntatis cecinere. Nolite ſpernere Bonorum augurem, Veritatis Propugnatorem, qui vobis coram Deo in Chriſto loquitur.

Totius Orbis Chriſtiani negotium eſt, PRINCIPES OPTIMI, quod apud vos ago: veſtra res, quam votis & ſcriptis urgeo: Dei poſſeſſio eſt, quam requiro; Et magni quidem momenti, ut quæ ſæpè exciverit de altaribus Sacerdotes, de Monaſteriis ſacras Virgines, & ex ſylvis Anachoretas, ut de mutis faceret Oratores. Vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt omnium molitor Deus; fingit os infantium; dat ſapientiã imperitis, cui cedere ſemper eſt optimum, reluctari difficile. Facit ſępè diſertum cupido, militem neceſſitas. Non licet inter oppreſſorum gemitus ſilere, nec feriari per vulnera præliantium. Omnis laboranti mundo iniqua eſt manus, ſi non eſt officioſa.

Non detinebo vos, PRINCIPES, leviculis rationibus: Non illudam ſterilibus figmentis, ſed ipſam quam per ſtagnantes cruore campos, per collucentium urbium flammas, & tot circuitus quæritis, in tranquilla ſede demonſtrabo Gloriam. Ac primùm, permittite me de Natura Belli & Pacis, déque Jure Principum Chriſtianorum in utroque pauca diſſerere: unde ſatis firma, opinor, eruentur argumenta, quibus & veſtrum decus, & populorum ſalus ſanciri poſſit.

Prudenter quidem admodum & argutè ſapientes dixere, Mundum iſtum, cujus circumflexu

con-

continentur omnia, ingens eſſe quoddam ſummi Numinis volumen, cujus Mors & Vita omnium paginarum faciunt extrema: media autem perpetuos habent & reciprocantes ab uno ad alterum decurſus. Quod Vita & Mors in rerum natura, hoc ipſum præſtant Pax & Bellum in Regnorum omnium atque Imperiorum ſtatu Et Vita quidem rivus eſt à primo fonte, & portio quædam divinæ Æternitatis, quæ prius in cæleſtem diffuſa naturam, mox in terras & maria, noſtrumque in orbem exundans, animarum corporumque nexu mirabiles & pænè divinos temperat concentus. At ubi ſolutus eſt ille quo continetur nodus, ſtatim evolat atroci mortis neceſſitate, omnia in ſuo regno rapaciùs depopulante.

Non diſſimili modo Pax, maximum & præcipuum divinæ Indulgentiæ munus, temperiem quandam voluntatum conciliat, è qua functionum omnium acerrimus in corpore civili vigor, mentium alacritas, Provinciarum non iners otium, beata ruris copia, ſecuri aditus viarum, Regnorum opulentia, & bonorum omniũ cumulus accedit. At ubi diſſipata concordia, bellum intonuit, ſtatim membrorum omnium convulſio & dira vaſtitas, ſoluta legum vinculis audacia per ferrum & ignes ad ſcelera graſſante, ſacra profanis æquantur, nocentes & innoxios promiſcua vis fatorum involvit, fiunt de claris urbibus buſta, non niſi miſerorum ſanguine reſtinguenda.

Vix occurrit mortalitatem noſtram æſtimanti hæc ab hominibus geri, revulſos quiſpiam putet inferos, & furiarum catervas ex tenebris erupiſſe, quæ ſpecie humana per tot atrocia conſternatis hominum mentibus illudant.

Dicam equidem SERENISSIMI PRINCIPES, quod ſentio, lites & bella non niſi per cuniculos in Eccleſiam Dei ſunt ingreſſa, pavente ad monſtrum conſcientia, reluctante diſciplina. Et de lite quidem Paulus exclamat. *Frater cum fratre judicio contendit, & hoc apud infideles. Iam quidem omnino delictum eſt in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus.* 1. Corint. 6.

Quale eſt iſtud edictum tonantis & fulminantis Apoſtoli? Quæſo vos quid tandem ſentiret ille qui Chriſtianos ferre non poterat, de agro forte aut de domo litigantes, ſi reviviſcens aſpiceret infeſta fidelium ſignis ſigna, colliſas gentibus gentes, non unam domum, non urbẽ, non provinciam, ſed præcipitantem Chriſtiani nominis orbem per cædes & ſtupra, per ruinas & incendia tracturas. Num ipſe horreret ad immane ſpectaculum? Num modò imperanti ſimilis, modò precanti, idem minax, idem lachrymis perfuſus ruentes in gladios & vulnera repreſſiſſet.

Sed & Tertullianus in hac re, ut ſolet, rigidior, dum ait Dominum ea voce qua juſſit Petrum exertum gladium in vaginam mittere, omnes pariter milites Chriſtianos diſcinxiſſe. Nimis ſeverè iſtud quidem, ſi omnem militiam crimen putat. Hoc eſt odio nocentis perdere innocentiam, dum res alioqui juſtas odimus, vel ſævientium audacia, vel laſcivientium petulantia corruptas. Quid eſſet aliud res Chriſtiana, quam ferocium præda & inſanientium ludibrium? Si non liceret juſtis armis illatas ab infidelibus injurias ulciſci? ſi fas non eſſet, Templa ab incendiis, Matronas & Virgines à contumelia, urbes à vaſtitate, à cœde mortales defendere? Temeraria vox, quæ tot Chriſtianorum Imperatorum laureas, tam cæco tamque præcipiti turbine percutit. Jure itaque ab Eccleſia extorres Manichæi, & qui eorum veſtigia poſt tot ſæcula preſſere Lutherani, dum innocentiam neſcio an impudentius aſſererent, an nocentius exarmarent. Lib. de Idol.

Laudatiſſima omni ævo extiterunt pro aris focisque ſumpta contra impios arma; ſed fidelium contra fideles prælia ſæpè damnata, & ſemper ægrè tolerata Si vetus libet inſtrumentorum ſpectare, multæ quidem Judæorum & acies inter ſe diſcordiæ, multi tumultus, bella plurima. Sed contra eos ferme omnia qui à vera Religione deſciverant, in fœdam Idololatriam cultuſque Gentium lapſi. Dimicatum eſt quidem ante ſeceſſionem tribuum ab Iſraelitis in Benjamitas fratres feroci marte, immenſa clade; ſed doloris potius furor fuit ob mulierem ſtupenda libidine vexatam, ruentis in ferrum, quàm deſtinata vis, & juſtum pro imperio certamen. Vix potuit induci magnanimus David ut Abſaloni filio in thronum patris per calcata tot civium cadavera irrumpenti tam juſtis armis reſiſteret, niſi manſueti animi langorem pugnaciter Joabus diſcuſſiſſet, adeò fuit odioſum ſanguine & Religione fraternas inter ſe acies concurrere. Iudic. 20.

Quod ſi prima Chriſtianorum Imperatorum numerare placet tempora, inveniemus Conſtantium moviſſe in Iulianum, ſed jam deſertorem Chriſti, & impietatis Anteſignanum; inveniemus Theodoſium Magnum toto belli fulmine

minæ

mine detonuiſſe in Maximum, Eugenium, Arbogaſtum. Sed res illi erat cum Tyrannis perfidioſiſſimis, qui larva Religionis immania tegere nitebantur facinora. Vix ullum reperire eſt innocentiori ævo Principem, qui arma Chriſtiano cruore imbuenda ſumpſerit, niſi ob cauſas graviſſimas Et quidem præclariſſimè Baronius animadvertit, primùm Crucem Cruci oppoſitam in armis, bello Conſtantii adverſus Magnentium. Grande (inquit) nefas, nec niſi Tyranno Chriſtianæ Religionis ſimulatore, & Imperatore hæretico inchoandum.

Non ignoro equidem Auguſtinum de hac quæſtione ſcripſiſſe contra Fauſtum, & Chriſtianorum armorum juſtitiā ex Evangelio ſanxiſſe, cum Ioannes in tanto vitæ rigore conſulentibus de ſalute militibus minime ſuaſerit baltheum abjicere, ſed vivere contentos ſuis ſtipendiis & neminem concutere, cum ipſe etiam Apoſtolus dicat non ſine cauſa Principes gladium portare. At ſi mentem ejus libet agnoſcere, deprehendemus tela omnia torqueri contra inſana Manichæorum deliria, qui Chriſtianam gentem ferro abſtinere, etiam ad repellendas infidelium armorum atrociſſimas injurias voluere. Quaſi Dei juſſu prædæ tantùm foret & cædi deſtinata Noluit ergo Principum Chriſtianorum in Marte iniquo adverſus fratres aut fovere ſecuritatem, aut irritare potentiam. Siquidem eodem loco exclamat; *Nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, implacatus, & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi qua ſunt ſimilia, hæc ſunt quæ in bellis jure culpantur.*

Luc. 3 v. 14.

Quos igitur exiſtimamus ex ſancti Auguſtini ſententia, bello injuſto ſe ſuoſque committere? Primum qui cæco impetu in ferrum rapiuntur non tam amore juſtitiæ, quàm ardore vindictæ; Qui injuria aliqua laceſſiti ſupra modum atque immaniter deſæviunt, qui placari nolunt, volunt iraſci; deinde qui adverſus legitimos dominos rebelliones moliuntur, & excuſſo jugo feruntur in ſcelera præcipites. Aut qui ſola dominandi cupiditate vicinorum tentant & permiſcent regna, atque ut latiùs imperent, cædibus & flammis iter ad dominatum aperiunt.

Aug. contr. Fauſt. lib. 22.

Cogitate nunc, PRINCIPES Optimi, quàm proclive ſit in iſtis æſtuare iracundia, uri libidine vindicandi, titillari regni aut parandi aut augendi cupiditate. Quàm promptum ſit laxatis ſemel habenis extra limites ferri, fingere juſtitiam, prætexere neceſſitatem, & quæ adoraveritis jura calcare, invenietis profectò facilius eſſe arma ponere, quàm temperare.

Sed ne multo vos ſermone detineam, Sanctus Doctor tria requirit ad bellum ritè conficiendum. Authoritatem Principis, Cauſam juſtam, Intentionē rectam; quibus alii addidere Theologi legitimas rationes ad finem obtinendum. Non eſt igitur privatorum hominum movere arma quibus jus ſuum licet judicio proſequi. Hoc penes ſummam poteſtatem Deus eſſe voluit, ut ratum eſſet quod non poteſt eſſe non violentum. Ad terrarum dominos attinet dicere, quod ait Seneca. *Ego ex tot mortalibus electus ſum qui in terris Dei vice fungerer. Ego vitæ neciſque gentibus arbiter. Qualem quiſque ſortem ſtatumque habeat in manu mea poſitum eſt. Hæc tot millia gladiorum, quæ pax mea comprimit, ad nutum meum ſtringentur. Quæ ruant urbes, quæ oriantur, mea juriſdictio eſt.*

S. Th. 2. 2. q 40.

Nero apud Sen. lib de Clem.

Hæc quidem poſſe magna res eſt, ſed nolle cùm poſſis, niſi neceſſitas poſcat, longe divinius eſt. Pauca ſibi licere velit optandum cui licent omnia. Non extenditur jus gladii cùm ad unum devolvitur, ſed reſtringitur. Una exeritur manus ut omnes vinciantur, defertur res ad ſapientiam paucorum, ne cunctorum temeritas promiſcua cæde deſæviat. *Laudanda eſt parſimonia etiam viliſſimi ſanguinis.* Nemo tam injuſtè poſſidet mortales, quàm qui prodigit etiam juſtè. Tardè movenda ſunt illa fulmina, quæ perculſi colant. Caveant igitur Reges ne credita ſibi à Domino facultate glorientur potius ad pompam, quam utantur ad bonorum utilitatem. Excludat ferociam delinquendi timor, & impotentiam ſummam æſtiment jactare nocendi potentiam.

Cauſa belli imprimis accurato examine probāda eſt, ne ſurrepat affectio, ne dominetur iniquitas, ne vis, ne furor per juſtitiæ ſpeciem illudat. Miſeret me pudetque ſæpe reputantem quam frivola fuerit apud multos ingentium bellorum origo. Bellum Trojanum commune buſtum Aſiæ & Europæ in nobili ſcorto exarſit. Hoc mille navibus repetebatur, hujus extincto pudori tot heroum vitæ parentabant. Tot pudicę hoſtium libidini patebant, ut redderetur impudica. Arabiam invadit Alexander, ut præceptoris admonitionem, qui puero profuſionem thuris objecerat, jam vir factus thuriferæ regionis dominatu haud cunctanter elueret. Ægyptii ob felem occiſam cæco & truci marte Romanos adorti multa hominum millia fœdè mactaverunt.

Ad Oceanum ingenti armorum ſtrepitu & immenſo rerum omnium apparatu, magnis iti-

neri-

Digitized by Google

neribus Caligula contendit, ut conchas laſcivientis naturæ ludo pictas colligat. Tarentinam cladem Romani nautico percuſſi convicio moliuntur Alexandrini contra Galienum rebellant ob inſulſam heri & ſervi de calceorum elegantia contentionem. Et ne multa commemorem, Guillelmus ille Anglorum domitor, omnium præter quam ſui potens, dictum facetum Maximi Principis innumeris cladibus ultus eſt. Erat ille præpingui corpore, & aqualiculo ſupra modum tumente: quamobrem cùm de ejus morbo inaudiſſet Philippus Rex Galliæ: Sinamus, inquit, Puerperam decumbere partui, ut ex mole ventris apparet, jam vicinam. Ille ad hæc furore amens ſurrecturum ſe dixit ſoluto puerperio innumeris facibus ſtipatum quibus Galliam incenderet. Nec defuit dicto fides; nam ſtatim ac convaluit, vago exercitu Franciam ingreſſus, lugubri feritate ulciſcendi, cædibus & incendiis operatus, ipſe tandem ſuo ardore conſumptus eſt. Num ludere putemus ſanguine humano qui leves ob cauſas non levia committunt prælia? Num miſeros æſtimemus populos quibus furentium ludibria tam dira vaſtitate expianda?

De cauſa belli nemo ſibi uni credere debet aut alteri, ſed exquiſita primariorum hominum prudentia diſquirere, qui tantò propiores ſint vero, quantò remotiores ab affectu. Ad cauſam juſtam recta intentio accedat neceſſe eſt, quæ omnia placido, fine optimo metitur. Abſit illa cogitatio à Principe Chriſtiano ut arma capiat, ob luxuriantis animi leves affectus, ut currat ad cædes, ad incendia, ad vaſtitatem, ut perdat, ut extinguat, ut omnia ad internecionem deleat. Lapitharum hoc eſt & Centaurorum nihil aliud bellando quàm bellum quærere. Sapientiſſimi Reges per tumultus armorum eunt ad juſtitiam, ad æquitatem, ad Concordiam, atque ipſi quidem Paci litant armati. De hoſte cogitant quaſi de ægro acrioribus remediis perſanando. Utinam diæta curari voluiſſet, utinam fomentis oblinitì, nunc mitiori brachio transfigerentur omnia. Sed quando contra fas juſque Gentium ſtetit pervicacius, & toties oblatas conditiones rerum componendarum contempſit, vinciendus eſt, ſecandus, urendus, non ut exterminetur ſed ut convaleſcat. Attritus eſt, non inſulto; audiri poſtulat, audio; Colla ſubmittit, ignoſco. In Cannenſi clade audita vox Hannibalis; Parce ferro Miles. Syracuſarum ardentium flammas Marcellus lachrymis concupivit extinguere; ad proſtrata Judæorum cadavera Titus cœlum intuens ingemuit. Quid facere oportet Chriſtianum Regem, hoſte acciſo & penè ſupplice? An ſuperbire? an debacchari? an ad extrema deſævire? At ne belluæ quidem generoſiores hoc faciunt. Regias mentes non decent vaſtæ & inexorabiles iræ, multa ſunt humanæ imbecillitati condonanda, ignorantiæ multa, quædam etiam affectui, pœnitentiæ omnia. Multos ſervare oportet etiam invitos, nec audiendi omnes qui volunt perire. Quibuſdam error impoſuit, pleriſque opinio fucum fecit. Alios maligna conſilia peſſum dedere; Sunt etiam quibus ſola fortuna pro culpa eſt. Multos abſolvet qui ſe à Deo cupiet abſolvi.

Tandem addo, rationes quæ adhibentur ad finem optimum conſequendum, legitimas eſſe oportere, ne pervertantur etiam recta. Non eſt bonum quod non ſit benè. Non eſt virtus quæ non habet modum. Prava intentio ſanctiſſimas quaſque gerendi vias vi quadam peſtifera ſolet inficere; artes quoque ſubdolæ intẽtionem ſynceram infuſcant. Errant omnino qui cum ſibi laudabilem ſcopum præfixere attingendum, æquè per illicita ac licita exiſtimant. Hoc innixi fundamento eò amentiæ plerique devenere ut cenſerent ſanitatem à dæmonibus ipſis per voces magicas innoxiè requiri, & hanc eſſe ſalutem ex inimicis noſtris quam ſacra prædicant eloquia. Sed contra Apoſtolus clara voce intonat; Non eſſe facienda mala, ut veniant bona. Nemo per furta miſericors, nemo innocens quæſivit flagitio valetudinem. Bellare licet, occidere licet ex authoritate Principis & cauſa juſta: contrà juſtitiam facere nunquam licet. Flectere oportet ſuperos non Acheronta movere, non temerare ſacra, non Eccleſiæ jura violare, non Religionẽ evertere, non ſtuprare pudicitiam, non facinoroſas artes tentare, non ſica & veneno in Principum capita graſſari, non diſciplinam militarem militando deſtruere, atque omnia ſolutè & intemperanter ex vindicandi libidine facere. Deſinit eſſe bellum juſtum ubi omnia fiunt injuſtè, & ſi bene cæpta in malum vergant, protinus ſunt abrumpenda.

Devenimus ſenſim, PRINCIPES MAXIMI, in rem propoſitam, de qua veſtrum eſt judicare & ex ſenſibus integerrimis Chriſtiano nomini ac ſaluti conſulere. Veſtra quidem authoritas legitima, deſtinatio quoque animi & intentio, quę poteſt eſſe in optimis Principibus niſi recta? Sed cauſa eſt involuta, rationes verò quæ finem appetere videntur, violentæ. Geritur à vobis Bellũ atrox, urbium obſidionibus exercitum, cladibus frequens, vaſtitate luctuoſum. In quo bo-

Digitized by Google

rat Eccleſia, ſuſpirant oppreſſorum vota, & toties convulſus mundus ingemiſcit. Non uſitato modo, non humano more progreditur; ſed vi quadã maligna in omnes Chriſtiani orbis venas permanante. Excutite, ſi placet, cauſas, & vobiſcum perpendite tanti tumultus occaſionem.

Si quando res naturales videmus intrà ſuos limites decurrere & ſtatas vices obire, minime miramur. At ubi valentiori quodam impetu cernimus incitari, aut perverti ſtatutum naturæ ordinẽ, ſuſpicamur arcanam ineſſe vim, quæ fertur atq; erumpit ex abdito, unde tam varii motus oriãtur. Quoties ordinariè cieri ventos aſpicimus aut halitus putamus, aut aeri naturalem vim ineſſe æſtimamus movend ſe, ne inerti atque inagitabili globo torpeſcat. At quoties vẽtis acerrime depræliãtibus exurgunt fœdiſſimæ tempeſtates, quę vaſtas arbores radicitus evellunt, quę benè fundatas domos in plana ſubmittunt, quæ navigia devorant, & ſtatum mundi percellunt, aeriis hæc adſcribimus Poteſtatibus per mundi plagas diſſipatis. Non impari quidem ratione, cum bella inſtant uſitata inter homines forma, hæc hominum tribuimus ambitioſis conatibus, moribus iracundis, & ad objectæ contumeliæ imaginem facilè excandeſcentibus. Quod ſi modum omnem excedant, ſuſpicamur eſſe occultam malorum originem quæ ſenſus noſtros atque intelligentiam ſuperet.

Hoc ipſum de tam atroci bello rem benè æſtimantibus vacat cogitare. Nec enim civili animo geritur, nec habet militiæ decora quæ magnos animos comitari ſolent, ſed virulentam malignitatem quæ ambas partes exedit, & lenta quadam tabe ſerpens per omnia depaſcitur: Squallent rura, mœrent urbes, prodigitur heroũ ſanguis, deſtinatur lanienæ lectiſſimus flos Nobilitatis, ſpoliantur bonis penè omnibus privati, conquiruntur undiq; acerbis exactoribus pecuniæ, quæ tã crudeli ludo ſufficiant. Sed nulla vis ærarii par eſt aviditati omnia depopulãti. Paucorum divitiæ cunctorum inopiam faciũt: & de provinciarum lachrymis funeſta improborum gaudia ſaginantur. Quis tot ac tantorum artifex malorum, unde fons, unde origo tot funerum? *Rex* (ajunt) *Ludovicus belli Author*. Scilicet tam pius Princeps, tam caſtus, & toto Dei timore perfuſus, tantos fluctus moveat, tantas excitet tempeſtates? Tendebat quotidie, dum viveret, puras ad cœlũ manus, in ſacris myſteriis frequẽs conſcientia tam caſtigata ut ne minimam quidem labem ferret quam non ſtatim ſacramentis elueret. Pugnavit neceſſitate, virtute vicit, fortis pectore, Marte clarus, mente pacificus. Quis igitur æſtimet cruenta de perdendo orbe Chriſtiano conſilia in illo tam auguſto pectoris ſacrario potuiſſe concipi? Quis reſediſſe illic odia quis ſimultates putet?

At fortè Imperator diſſidiis gaudet & rebus turbatis paſcitur? Abſit ut quis hoc credat. Eſt enim Princeps moribus optimis & ad omnem æquitatem cõpoſitus, animi vigore excellens, excultus ſapientia, in quo cælata vivit Paterni ſpiritus ad omnem virtutẽ expreſſa effigies. Quid habere jucundius poteſt, quã ut Germaniam ſuã tam fero bellorum tumultu quaſſatam placidiſſima pacificatoris manu componat?

Turbat igitur Rex Hiſpanus. Nemini hoc probare poterit, qui tanti Regis ſenſum atque animum penitùs noverit. Eſt enim ſi quis alius mente Chriſtiana, ingenio placido, ad amorem & concordiam magis quàm ad rixas diſſenſioneſque propenſo. Nihil in eo turbidum & ferox, nihil malignum, frui ſua magnitudine cupit, non ferocire.

Unde igitur tanta belli atrocitas, ſi nullæ ſunt *animis cæleſtibus iræ*? Quis non videt, non eſſe iſtud humano cõſilio factũ ſed Malos Genios toto impetu incubuiſſe, ut res noſtras florentes acciderent, acciſas everterent, everſas calcarent. Nimis ſcilicet potens erat res Chriſtiana, domita Rupella, proſtrata hæreticorum factione. Fuit illi ferrum hoſtiũ cruore tepens in viſcera convertendũ. Turbarunt illi in Italia ad Mantuam; turbarunt in Germania; cõmiſerũt primas Chriſtiani nominis coronas livore maligno, bello implacabili, cladibus immenſis, Eccleſia gemẽte, lætis infidelibus, ipſis plaudentibus inferis.

Intervenit ſæpè magnus rerũ ſucceſſibus mẽs mala, quæ Principum conſilia corrũpit, & à recto curſu gloriæ divertit. Triũphalibus ovantẽ laureis Regem Chriſtianiſſimũ ſua vix limina ſalutabant, cùm per factioſos excitati turbines in Italiam vocãt, penetrandæ Alpes hyeme gelida, per horrentes armis & tectos nivibus ſcopulos carpendum eſt iter, conſerendæ manus, cõmittenda per varias Martis aleas prælia, quæ miro robore & pari fœlicitate jam erant cõpoſita, cũ ecce inſtat flagellũ belli exitialis, bacchatur Aquilo in clade Germaniæ, volutatur in ſanguine, fertur per clariſſimarum urbiũ incendia, reſiſtẽtibus paucis, omnibus ferali prodigio attonitis. Sacrilegio polluũtur aræ, ſacræ Virgines ſtupro, ſtrident catenæ ſacerdotum, calcantur ſancta, & *conſũmatur abominatio deſolationis*, ipſo qui vocaverat Rege horum aut neſcio, aut invito. *Matth.* 24. 45.

Deinde

Deinde putet aliquis hoc à Chriſtiana mente cogitatum? putet ab eo qui ſenſum aliquem habuerit Religionis, eſſe perfectũ? Non eſt credibile: tantum monſtrum concipi non potuit niſi parturientibus inferis, exhalante terram fuliginem abyſſo, & dæmonibus lymphatas mentes in diverſa rapientibus. Non ſunt omnia ad homines referenda. Non ſunt adminiſtri Principum ubique incuſandi, quaſi omni humanitate exuta, feritatem induerint. Quidam ſunt vagi & in ſynceri ſpiritus ad vindictam deſtinati, qui non deſinunt perditi perdere. Quæ ratio vos, PRINCIPES MAXIMI, tantò magis incitare debet ad Pacis fœdera componenda, quod per veſtras manus & ſub pedibus veſtris Sathanam conteri, arcano conſilio præpotens Deus deſtinarit.

Cavendum igitur omnino eſt ne dæmoni ad vaſtitatem incubanti ſubdatur materia de ipſis hominum affectibus & vitiis Ignem facile concipit Regnorum & Gentium Zelotypia, quæ ex animali quadam afflatur ſapientia, nec prudentiam ſanctorum ſapit. Ajunt qui parti ſtudent alteri, Hiſpanos nimis invidioſam facere ſuam potentiam, exoſam æqualibus, inferioribus terribilem, omnibus, niſi caveatur, exitioſam. Tãta, ut ajunt, libido dominandi, tam intentæ, & vigiles ambitionis curæ, tam rapax terrarum ingenium, tanta regnorum & titulorum congeries æmulos ſtimulant, vicinos terrent, pungunt etiam remotos. Unius dignitatem putant omnium periculum. Quot imperia, tot intentata numerant regnis ſervitia. Timent quicquid parat tellus, quicquid monſtrorum alit pontus. Avida & impotens ſui dominatio, ubi ſe permiſit fortunæ, naturam dediſcit, moderationem neſcit. Ad hæc Gentis Indoles, ut dictitant, acris & ſicca, faſtu tumens, patiens laboris & inediæ, ſitiens gloriæ, miratrix ſui, virtutis contemptrix alienæ. Hæc dico non ex mente noſtra quæ nulli hic addicta nationi omnes in Chriſto complectitur, ſed vulgata à multis commemoro, quæ ſi procul arceantur, multorum evellent fibras occaſioneſque diſſidiorum.

Galli contrà, ut ſcribunt qui norunt, etſi conviciorum inferendorum avidi, tolerandorum neſcii, contemptus impatientiſſimi: ſciunt ſe ex ea gente eſſe de qua dictum eſt.

Animoque ſuperſunt,
Iam propè poſt animam.

Jactant ſe armorum claritudine orbem implevisse antequam è diuturna Vandalorum & Saracenorũ ſervitute caput attolleret Gens Hiſpana, Orientis tenuere & Occidentis Imperia, Cõſtantinopolim expugnarunt, Hieroſolymam Chriſto, Romam ſepties Pontifici ab hoſtibus ereptam reddiderunt. Sibi primum locuta prædicant Evangelia, ſibi primigeniam filiorum Dei adoptionem datam, Regnis terrarum addiderunt Imperium litterarium, toto fere orbe in Academiam Pariſienſem confluente, nihil putant habere ſe contemnendum. Miratores experiunt potiùs, quàm contemptores ferunt. Hinc fit ut utraque Gente pro ſe jactantiore, & in alios dicace, eventilentur flammæ quæ in magna coaleſcunt incendia. Utinam quæ per ſpiritum diffuſa eſt in nobis Charitas, tot contentionum ſemina ſuffocaret, utinam tot jurgiorum occaſiones abſcinderet! Minus nobis eſſet laborandum, nec tam anxiè quærendum, quibus remediis tam peſtilenti malo debeamus occurrere.

Augent hoc ſæpe plerique Regum adminiſtri, dum familiari, ſed dita ſummis Imperiis gloria, dominorum cupiunt oſtentare potentiam, totas nocendi vires explicant, abditam premunt beneficentiam, dum ambiunt, dum timent, dum cavent, ipſa ſæpè ſedulitate & cautione non timenda provocant, faciunt non toleranda.

Hic vos appello Politicæ ſapientiæ Antiſtites, & arcanorum conſiliorum Myſtæ. Lubentius vobiſcum quàm cum fortuna veſtra loquor Cogitate quantum à vobis exigat Deus Sedetis quaſi Dii ex hominibus humani generis arbitri, quam quiſque ſortem habeat ex nutu veſtro pendent, quæ mortalium cuique bona Felicitas velit ore veſtro pronũciat, quas parari claſſes, quæ arma moveri, quas urbes exſcindi, quas Gentes obrui oporteat, veſtris ſententiis agitur. Vos de fortunis & ſanguine hominum decernitis, illi de veſtra exiſtimatione decernunt. De veſtro capite inſpector omnium Deus ad tremendum & inevitabile Forum judicat. Multa quiſque ex ſuo cernit ſenſu, multa ex ſuo loquitur affectu. Non eſt mihi credibile quod ajunt, tantos viros tam magno ingenio præditos, tam alta excultos prudentia & hujus fragilitatis rerum humanarum conſcios, putare ſe huic affixos faſtigio, ut ſuas res agant, ut ſuis commodis omnia metiantur, ut amplitudini ſuæ ſerviant, ut ex privato amore & odio res publicas gerant, ut fortunæ ſuæ populorum ſanguine litent; Idcirco bella concupiſcere,

& res amare turbulentas, è quibus & clarius ſibi imperium & numeroſiores pecunias & hærentem altius ipſa neceſſitate Miniſterii authoritatem ſperant. Abſit ut tam ſordidæ tamque humiles curæ in tam excelſas mentes aſcendant.

Crediderim ego potius acri vos æmulatione veſtrorum Principum anhelare gloriam, cujus ſemper ſitientiſſimi fuiſtis: injurias perſequi, Majeſtatem aſſerere, imperia dilatare. Sed per Deum immortalem & per tot dilecta Regnorum pignora vos obſecro, videre ac diligenter perſpicite ne vehementiſſimus Gloriæ appetitus averſos agat ab ipſa Gloria. Vos illam in turbido quæritis, ſed omnes jam mortales appetunt in ſereno. Cogitate ubinam major cæleſtium Virtutum claritudo, an cum tonitruorum fragoribus ſtrepente mundo, ignes undique jaciuntur & fulmina? An cum puro & defæcato die ridet amœna lux, & ex humanis animis omnem mœſtitiam diſcutit? Timendam ſatis hactenus feciſtis dominorum potentiam, reddite ſi placet ſuavem, facite, quo ſolo invicta eſt, amabilem. Non eſt hæc Principum amplitudo ſemper armorum fremere terroribus & apparatu bellorum, ore igneo tormentorum æneorum pronunciare ſæva, hos catenis, illos gladiis deſtinare, circumferre ignes & tela, ire per fumantes urbes, per calcata miſerorum corpora, omnia exhaurire ne exhauriantur. Quanto illud glorioſius eſt fœliciſſimi ſideris more ambire cuncta mente placida, virtute benefica, res lapſas erigere, ſolari mœſtas, diſſipatas colligere & divulſas componere. Hoc cæleſti paſſu dum laboranti mundo ſubveniunt tot Res abiere ad ſolidum & inconcuſſum decus. Quid vetat ſequi? Quid pudet æmulari? Unus eſt ſæpè timendus ſcopulus, ad quem Politicorum aliquot hominum qui longè à pietate veſtra diſſident, curæ & cogitationes adhæreſcunt. Putant ſi ex Dei lege & piorum hominum ſenſibus Rempublicam gerant, fore humilem & demiſſam, prædæ natam & direptioni, appetunt alias gubernandi artes quàm quas Deus præſcripſit, quaſi aut non ſatis viderit, aut minus ſuis providerit. Excogitant novos agendi modos, verſipelles & vafros, quibus augeant ſua, alienis inſidientur, permiſceant, ſi poſſint, omnia. Putant è re eſſe Principum ſe ſolos intueri, ſe ſolis circumſpicere, ad ſe referre omnia, ire per attritos cives, ſi res ita occurrat, ad ampliſſima & regia commoda. Nil diſtare verum à falſo niſi ex utilitate noſtra, ad quam componendus eſt omnium negotiorum ſtatus, licitum eſſe quicquid prodeſt. Importunam excelſis conſiliis humilem conſcientiam, Religionem ſcrupuloſè tractandam à ſubditis, à Regibus commodè, virtutem ſolidam ſæpe officere, umbram & ſpeciem prodeſſe; Probitatem laudari & algere. Nihil eſſe apud Principes injuſtum, quod Regno ſit magnificum.

Non eſt, ut cum Apoſtolo loquar, non eſt hęc ſapientia deſurſum, ſed terrena, animalis, diabolica, quæ faſcinatis mentibus imponit, & in miſerandum exitium Regna devolvit. Longè alia eſt mens veſtra *(viri ſapientiſſimi)* longè alius animus. Etenim ſi Sarracenum vobis non Chriſtianum incumberet imperium moderari, occurreret tamen ex ipſis Ethnicorum legiſlatorum libris & inſtitutis pernicioſam eſſe regni clavum tenentibus aſtutiam. Hanc humilem ſemper & exoſam rarò nec diu unquam fructuoſam. Unde & rerum politicarum ſcientiſſimus Thucydides dicebat, Remp. melius geri ac fœlicius à moderatis & mediocri ingenio viris, quam ab acutis & ſupra modum induſtriis. Sed tamen ſi Dei & legis extorres ageretis in mundo, condonandum eſſet ex humano ſenſu & calliditate, ut creditur, non inutili gerentibus multa, ſpectantibus omnia. Nunc autem cum plane perſpectum ſit vobis Imperia iis maximè rebus quibus cœperunt excoli, quis non videat Chriſtiana Regna in fide, juſtitia, & lenitate fundata, per impietatem, & injuſtitiam, & crudelitatem funditus everti: Quis non intelligat homines à cæleſti ſapientia devios in caliginem & ſcelus ruere præcipites?

Conſulite, ſi placet, hiſtorias, & videte quales ſint Tiberianorum & Herodianorum exitus, Invenietis ſubdolas mentes, vitam ancipitem, ſpes lubricas, certos metus, incerta conſilia, mortes calamitoſas, longa ſupplicia, poſteritatem, aut nullam, aut brevem. At ex adverſo ſi vacat Chriſtianos Principes aſpicere, qui Regna mente ſyncera, leni manu, moderata prudentia, probitate invicta per tot caſus humanarum rerum tenuere, intueri licebit heroes ſuis gratos, hoſtibus timendos, fœlicitate & gloria cumulatos vixiſſe, & fundatiſſimas domos in multa ſæcula propagaſſe. Quin igitur abjectis tam tetri tamque funeſti belli conſiliis & eliſa per modeſtiam ambitione, repreſſa per charitatem cupiditate, imus ad fundatorem ſalutis & conciliatorem Pacis Deum à quo deploratis rebus remedia ſunt nobis expectanda?

Quid

Quid eſt tandem quod omnium vota, quod incenſa deſideria, quod alta gementis Eccleſiæ ſuſpiria tamdiu fruſtratur? An honor? an Res? Certè ſi honor ſpectatur qui non minimam belli occaſionem præſtitit. Contemptus opinio, jam ſublata eſſe debet, magnis utrimque viribus, regnis inter ſe colliſis. Quid utriuſque copiis affluentius? quid potentia mirabilius? quid robuſtius virtute? quid incitatius animo? Lugenda potius fuit in cauſa tam miſera quàm deſideranda fortitudo, digna quam laudaret hoſtis, quam experiretur Sarracenus. Non habet HISPANUS quod GALLUM; Gallus contemnat Hiſpanum, habet tamen uterque quod æquiori conditione, meliori fato ſuas oſtendi vires concupiſcat.

Si de re quæſtio eſt, operoſum ſanè & impeditum negotium; tanta enim eſt, ut ajebat antiquus ille Archeſilaus, rerum & fortunarum in vita humana confuſio, ut ſi de jure regnorum, civitatum & familiarum certandum ſit, æternas lites, æterna pro vindiciis bella eſſe oporteat: Atque ſi ex rigore juſtitiæ tranſigantur omnia, nullum tandem futurum Regem, nullum divitem. Si quis igitur habere velit quicquid ingenii ſagacitas ſubodorari potuerit, quicquid opinio finxerit, quicquid libido concupierit, excutiat oportet à Nembroto qui primus liberis cervicibus jugum impoſuit, immenſam & per tot rerum temporumque ambages perplexam Regnorum molem, avos & atavos effodiat, ex tot tumulorum ſitu, fatiget cupidorum tenacem memoriam, prudentiam peritorum; Quid tandem inveniet niſi fomitem diſcordiæ noviq; tumultus materiam? Quis arbiter, quis judex tantas lites componet, quis de cauſis tam involutis decernet?

Luc. 12. v. 13. Noluit Dominus dividere inter fratres hæreditatem; qui menſuras cælo, mari terminos, elementis omnibus modum impoſuit, agrum inter germanos partiri recuſavit, contentioſam & implacabilem hominum ratus avaritiam. Neque igitur ſi de cœlo deſcendat Chriſtus, de re & fortunis veſtris judicare velit, neque ſi velit omnia ex ſenſu & voluntate veſtra in tanta ſua æquitate definiat.

Quid reſtat igitur, niſi ut partibus licet haud pari robore ſtantibus, & quidem avidiſſimè in res ſuas intentis infami & calamitoſo bello ſæcula conterantur omnia? Enimverò præclarum eſt tantos Reges, tam pios, tam auguſtos, tam copioſos terrarum mariſque dominos, ob unam urbem, ob unum caſtrum forte jam bellorum fulminibus pœnè dirutum de ſolo pulvere exitialibus armis profuturis nulli, nocituris omnibus decertare.

Intelligo, ſapientiſſimi Regum Conſiliarii, quid reſponſuri ſitis, veſtram rem agi, veſtrum decus in eo cardine verti, ne quid in eo fœdere, quod totus orbis expectat dominorum veſtrorum res detrimenti patiatur. At ego prudentiæ veſtræ & æquitati diſcutiendum jam iſtud relinquo An ut conſtet Miniſtro levis quædam & ex ſua opinione fama, univerſo orbi Chriſtiano, de fortunis, de vita, de ſanguine, de ſalute, & omnium rerum interitu periclitandũ eſt? Quid aliud optare debent mentes veſtræ tam excelſæ tamque generoſæ, quàm ut ex Regum regnorumque commodo componantur omnia? At iſtud, ſi placet, excutite, nùm ex Principis fama & ſtatus utilitate longè ſit melius aliquid ex ea tenacitate terrarum & indeclinabili mentis rigore remittere, quàm direptionibus & incendiis omnia devovere? Longè pulchrius forte putatis vaſtari regna, quam perdi; ſed quid eſt aliud vaſtitas, quàm dira perditio? Miſerum eſt iſtud ſolatium perdere ne perdas, & fœliciora urbium incendia ducere quàm rapinas; Quaſi rem magnam æſtimes ne moriaris mori. Non perditur corpus quod unius unguis jactura ſervatur. Nihil maximo & florentiſſimo Regno deperit, ſi quod oppidulum, ſi quæ Arx traditur, ut cætera omnia tranquilla pace & leni otio perfruantur. Nihil inde Miniſtrorum famæ decedit ſi fortunati pacificatores orbis potius quã miſeri litigatores habeantur. Quàm multos nimis circumſpectos & tenaces, populi infœlices omnibus diris devoverunt, vivos mortuoſque conviciis proſciderunt, quod ardentis mundi funeribus per litigioſas artes illuſerant & omnia perdi potiùs, quàm modicæ rei detrimento feſſis extrema calamitate rebus ſubveniri voluerant.

At ſi quis veſtrum ingemiſcentis totius orbis Chriſtiani querelas placidis auribus audierit, ſi ſalutarem porrexerit manum, ſi pauca leniori brachio remiſerit ut ſervet omnia; Num is erit omni laude cumulatiſſimus? Num dignus quem præſentes colant, cujus memoriam venerentur poſteri, quem populi ſervatorem Patriæ, parentem beneficum, & ſalutare mundi laborantis ſidus omnes circumſpiciant?

Vobis, PRINCIPES MAXIMI, hoc onus incumbit, agere, jubere, perficere, & adminiſtris uti tanquam publicæ fœlicitatis inſtrumentis. Certè ſi vacat vobis audire quod ſine negligen-

tiæ nota recuſare non poteſtis, oſtendam id ipſum quod ſuadeo, Dei vocem eſſe, Dei mandatum & legem, veſtram ſalutem, veſtram rem in eo verti, atque in id cæli juſſa, terrarum vota mirum in modum conſpirare. Ac primum videte ne nimis fortaſſe non tam cum hominibus, quã cum Deo bellare videamini qui pacificatori
Eph. 2. 14. Chriſto tam diu reſiſtitis? *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, in ipſo complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare & per eum*
Coloſ. 1. *reconciliari omnia in ipſo, pacificans per ſanguinẽ*
19. *crucis ejus ſive quæ in cælis, ſive quæ in terris ſunt*
Pacem ingreſſurus mundum attulit; Pacem digreſſurus ſuo cruore ſancivit. Corpus ſuum dirè & immaniter lacerari in cruce permiſit, oſſa, quæ per tot commiſſuras & tam arcanos nexus Eccleſiam repræſentant, noluit attingi. nempe qui ſuos Electos indiſſolubili concordiæ nodo ſociari vehementiſſimè cupiebat. Et in veteri quidem Teſtamento nõ ingrediebatur ſummus Pontifex in Sancta Sanctorum, niſi malis granatis ad ponderis fimbrias appenſis, quæ mirabili granorum nexu piorum ſignificant arctiſſimam inter ſe ſocietatem.

Chriſtus jam morte triumphata diſcipulos ſuos, non niſi per blandum & amabile Pacis nomen ſalutabat, hoc Apoſtoli ſuis epiſtolis præfigunt, hoc noſtri Pontifices ad aras & ſacroſancta myſteria pronunciant, hoc juſti lætãtur, hoc implorant lapſi, hoc triumphãt Angeli. *Eſt enim,*
De verb. ut ait Auguſtinus *Pax, ſerenitas mẽtis, tranquil-*
Dom. l. 3. *litas animi, amoris vinculũ, conſortium charitatis: hæc eſt quæ ſimultates tollit, bella cõprimit, ſuperbos calcat, amat humiles, diſcordes ſedat. cũctis eſt placita, cunctis benigna, neſcit extolli neſcit inflari nihil quærit alienum, nihil deputat ſuum, docet amare, quod odiſſe non novit. Ubi non eſt pax,*
Orat. 2. inquit Nazianzenus, *non eſt mundus.* Tribus enim ſtat ut ait Simeon Gamalielis. Veritate Juſtitia & Pace. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur,* clamat Veritas. Ecce adoptio & nomen filiorum Dei, cujus avidiſſimi tot Reges & Imperatores fuere, promittitur non devictis Gentibus, non direptis & incenſis urbibus, non orbe calcato, ſed pacem colentibus, pacem per fœdera componentibus.

Num ſubit aliquando vereri, PRINCIPES OPTIMI, cùm tenditis ad aras manus, cùm ad tremenda ſtatis myſteria, ne ſi bellorum finem nullum faciatis, pacis Angeli amarè flentes à vobis oculos avertant, ne de ſacrario Chriſti vox erumpat, & quoties pacem & veniam cum Eccleſia poſtulatis, toties dicat, Quid tibi & Paci? Tu caput meũ oſcularis, & calcas membra; Tu per preces mihi blãdiris, per gladios ſævis. Vox tua, vox Jacob, ſed manus, manus Eſau. Dum mihi faces accendis, tuis facibus ardent urbes; dum thus adoles, fumant tuis incendiis clariſſimæ civitates; dum vota concipis, ſtringuntur gladiis dum ſupplicem profiteris, agis bellatorem. Tepent arma non cruore Turcarum, ſed fratrum. Occiduntur tuo juſſu tot miſeri Mortales, per te funditur eorum ſanguis pro quibus ſanguinem fudi. Dum me compellas, tot viduæ, tot pupilli appellant de ſtrage cadaverum, Maritorum & Patrum nomina jam non reſponſura. Dum mihi altaria hic erigis, alibi demoliris; non placas, ſed peccas, dum hæc vel te jubente fiunt, vel tolerante. Flecte iſtos animos, ſpiritus doma, & ſi vis tibi dimitti, remitte.

Multa profectò, PRINCIPES, errori, multa commoto per ſpeciem injuriæ animo ſunt initio condonanda Fuerint aliqua Bella juſta, fuerint neceſſaria, dum ſerpunt, dum trahuntur, quod fuerant eſſe deſinunt. amittũt ipſa diuturnitate innocentiam, & dum creſcunt furore, cauſa minuuntur. Timendum eſt ne iſtius quod geritis tam diuturno tempore & tanta malignitate clementiſſimus Dominus offendatur. Non ignoratis quãnta ſeveritate Chriſtus omnia de regno ſuo ſcandala voluerit amputari, ut qui eorũ authores juſſerit mola aſinaria collo appenſa in flumen mergi. Nolim equidem facta Principum aut duriùs interpretari, aut celerius damnari. Sed tamen cavendum eſt, ne ſi tot calamitates & funera ſerpant ipſa odii contagione lõgiùs, piorum omnium offendatur animus, & ne impiorum dicaces linguæ in Religionẽ noſtram exacuantur. Stupebant olim Gentes charitatem Chriſtianorum Vide ut ſe diligant. Vide ut pro ſe invicem mori ſint parati. Capiebantur admiratione virtutis qui nondum noverant fidẽ: Nihil humile, nihil profanum ab ea mente expectabãt quæ ſe fraterno Amori devoviſſet. At nũc ſi ſpectent Ethnici fratribus adverſa fratrum ſigna, quid aliud dicant, niſi, vide ut ſe trucidant, vide ut laniant, vide ut mutuis ſeſe odiis diſcerpunt. Aut ille ſine Chriſto, aut Chriſtus ſine pace Durum dictu, ſed verum. Multum res Dei patitur in iſtis diſſidiis detrimenti, multa & horrenda luget Eccleſia, aut ipſa quam profitemur Religio noſtros errores accuſat, aut ipſi accuſamus Religionem. Per nos inſultant fidelibus infideles, ſacris profani, Chriſto Judæi, Eccleſiæ Barbari. Si vile noſtrũ nobis eſt decus, cur Dei prodimus honorem? cur hæreditatẽ dilapidamus?

Dein-

Digitized by Google

Deinde quis eſt tam excors ut non videat diſſenſionem Chriſtianorum ſemper extitiſſe infidelium prædandi occaſionem? Dum hac atrocitate cognatæ inter ſe noſtrorum acies confligerent, nobis Rhodum, nobis Conſtantinopolim, duo nobis Imperia Turcæ eripuere. Nũ putamus miſerantis Dei indulgentiam quodã miraculo feciſſe, ut tam potentem, tam acerbum hoſtẽ, bellum Perſicum à noſtris cladibus avocaret? Sed hoc magnopere timendum, ne ſi tot irarum turbines pergant inſanire, ad laceras miſerorum regnorum reliquias, aperto per nos aditu violentus & ferox advolet. Verendum ne Providentia numinis toties noſtris injuriis laceſſita, jam per fraterna diſſidia concisos fremẽti prædam Leoni objiciat. Non aliis de cauſſis, non aliis facinoribus, maxima ſæpè conciderũt imperia, & nocentes Dominos aliena dominatio preſſit, alliſa poſteritas deſtituit. Num poſtea infelicium Regum manes æterni in ima nocte circumſtarent gemitus, per quos contigiſſet, Chriſti regnum in Sarracenorum manus poteſtatemque devolvi?

Addite jam, PRINCIPES, veſtrorum ſubditorum graves ærumnas, & laborioſam ſervitutem Cogit vos neceſſitas membra devorare veſtra, ut quæratis aliena. Tot populi à Præpotenti Deo veſtræ pietati & curæ commiſſi, ut per pacem & concordiam, per cultum numinis legeſque ſanctiſſimas in fœlicitatem coagmententur, aut hoſtium furori patent infœlices victimæ, aut per implacabilem exactorum avaritiam ad imas uſque medullas depaſti, ſub graviſſimis oneribus ſuſpirãt. Quibus pepercit gladius, hos per lentas mortes egeſtas depopulatur, fames enecat, obruit calamitas. Vivunt cæli ſoliq; extorres: non illis patria, non domus, non quies, non cibus. Rem olim optatiſſimam timent atq; oderunt fœcunditatem, ne cum bonorum non poſſint, filios miſeriarum habeant hæredes: Vitam quam per tot diſcrimina ſervavere, incipiunt deteſtari, vobis inutilem, ſibi calamitoſam. Spoliari ſemel omnibus cupiunt, ne quotidie ſpolientur Sed patiuntur interim res diverſiſſimas, amiſſionem omnium & capitationẽ ſingulorum. Deveniunt in ſævum neceſſitatis imperium, ubi nec vivere honeſtis licet, nec quietis mori; fiunt de hominibus ſpectra ſibi ipſis formidanda. Vendicant ſe interim non ſemper inanibus diris, & per tot lucis tædia lux omnis decurrit. Dum cenſus illis deperit, perit erga vos Amor, qui veſtras olim Coronas ſuis manibus texuit & ornavit.

Cogitate, PRINCIPES MAXIMI, ſupremam poſt Dei honorem & cultum legem exſtare vobis Populi ſalutem. *Non mihi*, dixit olim fortiſſimus Imperator, *ſed exercitus ſitio*. Non tam vobis ipſi nati eſtis, quàm ſubditis. Illorum curæ ſi ſapitis, vos excruciant, onera fatigant, premunt miſeriæ, querelæ exanimant. Quid prodeſt ſervari deſolatis, & ab hoſte per direptiones defendi? Miſerrimus eſt Paſtor à quo plura tutelares pecoris Dii exigunt, quàm vorare poſſint Lupi.

Jam verò quod infeliciſſimum eſt exhauſto cenſu, jacente animo, omnes Virtutes jacent, ſilent leges inter arma, blaſphemi loquuntur, gladiatores impunè debacchantur, latrones ſpoliant, inſidiantur homicidæ, effrænata libido graſſatur. Convulſa profanis ignibus flagrant templa, disjiciuntur aræ, corruunt ſepulchra, gementibus ipſis mortuorum manibus, calcatur juſtitia, luget Religio, animis mœrore oppreſſis, languet pietas, non ſolum omnia pervertuntur, ſed perverſa negliguntur; quaſi ſic oporteat, ſic expediat fieri, ſic jubeat criminum Mater neceſſitas.

Quod ſi res etiam veſtras ſpectetis, obſecro, PRINCIPES, Quid poteſt eſſe vobis inter tot bellorum funera jucundum? Movendæ ſunt vobis terræ, inquietãda maria, eundum per tot pericula ad majus periculum. Quærenda mors cuique obvia per duriſſimos labores, non erraturis ſi pax peteretur. Multa domi infida, foris infeſta. ægrè magni paràtur exercitus, facillimè dilabuntur; Mars communis, & incerta præliorum alea. Proſperæ res non ſatiant, adverſæ lato vulnere feriunt & altiſſimè deſcendunt in pectus. Ipſæ ſæpè Victoriæ nova ſunt rixarum & dolorum ſemina. Nec erectis ſtare, nec lapſis jacere licet. Creſcunt ubi ſemel cœpere diſcordiæ, & vivaces nutriunt flammas, trahunt ſæpe Victi Victores, & nimia fortuna ſuper ipſas glorias ruit. Omnia expectantibus pavida, ſæpè fallacia ſperantibus, horrida deſperatis. Ingreſſus bellorum turbidi, progreſſus dubii, exitus crebro miſerandi. Exhauriuntur pecuniæ ad emenda regna ſuffecturæ, amiſſi lugentur Duces, quibus nihil deerat præter immortalitatem. Obrepunt lauro cupreſſi, & palmis funera diſtinguuntur. Stant victores ſuper oppreſſorum ruinas, ipſi exhauſti ſanguine & viribus, tumulo propiores, quã triumpho. Perditũ crederes Regnum, niſi crederet hoſtes perdidiſſe. Quantò ſatius eſſet pacificis, uti indulgentia

fortu-

Digitized by Google

fortunæ, nec toties in vos provocare fata ceſſantia!

Certè ſi quis ſenſus Chriſtiani nominis, ſi quæ miſeratio humanitatis, movere debet animos afflicta jam omnium pene quæ Chriſto militant, nationum conditio, & duriſſimum cuique videri, per fraternas acies exſcindi gentem, quam Chriſtus Dominus ſibi peculiari jure deſponſavit Germania illa quondam (ut ajunt) vagina populorum, mater fœcunditatis, domicilium literarum, & Martis officina, nunc latè ſqualléntibus campis mœret, tot dirutis urbibus, tot viris exhauſtis, tot conſumptis opibus, tot templis disjectis, tot ſacrariis expilatis, miſerandum ad extremos uſque cineres inſultantis fortunæ ludibrium. Lothatingia Solymam calamitatibus vicit, & ea pertulit quæ facere ſupra omnem barbariem ſit, & ſupra omnem miſeriam pati. Belgium per cicatrices quotannis petitur, & lenta inter funera trahitur. Pervaſit Angliam arcanum virus, & inopinantes in cæcum Martem traxit. Hiſpania tamdiu victrix, tamdiu belli & tumultus neſcia, jugi ſemper impatiens, & malorum expers, per jugulum petita eſt. Timor afflavit Romam, libavit ferrum Italiam, & niſi Principibus rebuſque publicis mens ſagax ſolerſque conſilium conſtitiſſet, niſi intentæ & in ſalutem publicam vigiles curæ, timendum illi fuit, ne in commune exitium rueret. Ecquid intactum? ecquid non miſerum? Si tu *Victrix Provincia ploras*, ſi tu Gallia tam ſæpe hoſtium triumphatrix luges, è tuis viſceribus peti tela, quæ in alios ſpargantur? Convelli te ut disjicias, perdi ut perdas? Quid proſunt ægris & inter rapinas bonorum mœrentibus populis ſteriles laureæ? quid defecto corpori, & tot febribus æſtuanti immiſſi naribus flores? Malignum certè ſolatii genus, ex aliorum doloribus ſuam computare felicitatem! Nihil in tot cladibus lætum, nihil incolume. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis uſque ad verticem non eſt ſanitas. Vulnus, & livor, & plaga tumens, non eſt circumligata, nec curata medicamino, nec fota oleo.* Iſa. 1. 5.

O ſi quis rerum potens ex alta ſpecula Chriſtianum orbem, in tot miſeriarum incendiis ſuſpirantem poſſet intueri, totis certè commoveretur viſceribus, & crudelem ſeſe exiſtimaret, niſi faceret ſalutarem! Duræ aures quæ hæc inflexæ audiunt! Duriores oculi qui vident immoti!

Dicam profecto, Principes optimi, quod ad rem veſtram maximè ſpectat; dicam quod utilitatem ſimul & gloriam veſtræ dignitatis complectitur; Sint optio veſtra imperia firmiſſimis fixa radicibus, ſint urbes ſubditæ, ſint obſequioſi cives, ſint pacata in domeſticis omnia. Sed veteri tamen oportet, ne populi qui ſe ſub Regibus tam durè haberi vident, & vicinas ſibi reſpublicas tanta lenitate perfrui, incipiant monarchiã odiſſe, & ſe legitimis (quod nefas eſt) Dominis ſubtrahere, ut malorum inveniant in libertate perfugium. *Hæc multos ante annos ſcripta, quæ vera multi eventus prodidere*

Iniquum certè eſt hodie ſolas reſpublicas pacatè degere, & regna Chriſtianorum ubiq; convelli, & miſera laceratione diſcerpi. Atrox Imperii rigor multa ſæpè Imperia diſſolvit, & durior ſervitus populos in libertatem aſſeruit. Poſt inquinata Regum Hebræorum tempora, reverſis jam ex longa captivitate Judæis, averſa mens à Regibus, & quingentis ferme annis, nullus de diademate cogitare auſus ante Ariſtobulum, qui id ſibi aſſumpſit potius quàm recepit, nec ſatis fundatum, nec in fragili atque infelici ſobole diuturnum.

Regnavit Athenis Cecrops Moſis temporibus, quem ſeptemdecim Reges ſunt conſecuti, quidam faſtu & inertia pari: hos Archontes perpetui de ſolio dejecere, cùmque Imperii diuturnitas ſecuritatem illis faceret vitiorum, ad decennales res tandem redacta eſt.

Spartanorum Reges faſtigii quoque ſui gloria laſcivientes diu ſors non tulit. Temperavit ſceptrum Lycurgus, inſtituto viginti octo virorum Senatu. Senatoribus additi poſtea Ephori, authoritate contra Reges nimia, & omnibus invidioſa.

Romæ regnatum initio à Regibus ſeptem, quorum poſtremi cum gentem Martiam per omnem petulantiam regerent, magna vi & ingenti dedecore expulſi æternum fere Regiæ poteſtatis odium liberis cervicibus reliquere.

Nihil attinet hic antiqua percenſere tempora, noſtro ipſi ſæculo vidimus quantas furentibus populis faces rigidior poteſtas ſubjecit, qui omnia paſſi, omnia quoque tentare auſi, quæ pertulerant regna longis & atrocibus bellis uſurpavere. Abſit à veſtris ſubditis tam læva mẽs, abſit quoque à vobis contemptus & rigor, ne divina faciat manus quod pauci formidant, nulli facere audent, omnes exhorreſcunt. Date igitur, Principes, feſſis rebus ſolatium, & pacem turbidis, in quam omnium vota conſpirant.

Ecce tandem Dei ſingulari munere datus nobis

Digitized by Google

bit Pontifex Optimus, Maximus, vir integerrimæ vitæ, conſummatæ peritiæ, ingentis animi, & zeli ardentiſſimi, in quem omnium ſuffragia mirificè conſpirarunt. Hic eſt *arcus refulgens inter nebulas gloriæ*, ut à Sapiente dictum eſt. Hic eſt quem poſt tot procellas, tot tempeſtates, poſt hoc Chriſtiani generis diluvium, Deus oſtendiſſe videtur, quaſi reſtauratorem rerum, pacificatorem mundi, malorum vindicem, bonorumque largitorem. Et quidem non humano conſilio, ſed divina providentia factum eſt, ut in avitis inſignibus columbam præferret olivæ ramo inſignem, quæ haud vanis nunciet auguriis, jam cæleſtis illius Sionis quæ tota in pace, tota in concordia poſita eſt, huic veluti Patriarchæ Noemo apparere montium cacumina. Hæc eſt, opinor, columba de qua cecinit Propheta, *penna columbæ deargentatæ, & poſteriora ejus in pallore auri*, vel ut alii vertunt in *auro obrizo*, hoc eſt optimo.

Eccl. 50. 8.

Pſal. 67. v. 14.

Argento purior ſemper extitit INNOCENTIUS per mores candidiſſimos, ſed nunc poſteriora vitæ ipſius ſæculum aureum mundo pollicentur. Hic non ſocordi magnitudine luxurians, inter gemitus Eccleſiæ feriatur, ſed labore impigro, & animo ſemper vigili, pro Chriſto ſpirat illuſtribus curis intentus, & incumbit humani generis ſolatio. Adjuvat PAMPHILII nomen omnibus amabile, adjuvat INNOCENTII toties hominum ſaluti conſecratum.

INNOCENTIUS primus Alaricum Imperii Romani præda exultantem ſuis precibus extinxit, & æternæ urbis faciem feralis belli fuligine infuſcatam ſuo ſplendore deterſit.

INNOCENTIUS ſecundus Pſeudo-Anacleti ſchiſma diſſipavit, & Chriſtianum orbem ingenti diſcordia diſſipatum, annitente ſancto Bernardo compoſuit.

INNOCENTII tertii inaugurationem candidiſſima columba ad latus ejus advolans illuſtravit; haud dubiè deſignans impenſum ſtudium quo Principes omnes Chriſtianos inter ſe firmis adſtringere fœderibus, & in communem Religionis hoſtem movere conatus eſt.

INNOCENTIUS quartus Lugdunum venit, ut pacem feſſis Eccleſiæ rebus optatiſſimam conciliaret, & Fridericum Imperatorem plurima moventem, perturbantemque omnia ſua authoritate ſummoveret.

INNOCENTIUS quintus, *Cibo*, ubi primum coronatus eſt, ſtatim animum ad pacandas Italiæ civitates adjecit, & tam piis ſtudiis immortuus brevem Pontificatum paternæ in populos curæ gloria diſtendit.

INNOCENTIUS ſextus cùm Galliam & Angliam exitialis belli incendium devoraret, impigrè ſtetit pro domo Dei, & ingenti ſpiritu pro pace inter Joannem & Eduardum Reges ubique laboravit.

INNOCENTIUS ſeptimus non aliter ad hunc ſupremæ dignitatis apicem conſcendit, quam poſt fidelem operam conſtantiſſimè navatam in mitigandis Principibus, pacificandiſque urbibus Italiæ, quas maligna diſcordiæ vis agebat in præceps.

INNOCENTIUS octavus ſitientiſſimus Pacis inter Reges Chriſtianos fuit, & neminem movere arma ſine graviſſimis, & neceſſariis cauſſis ferre æquo animo poterat.

INNOCENTIUS nonus cum ante Pontificatum Nuncius eſſet Apoſtolicus Gregorii XIV. apud Venetos ſex annis commoratus, hos cum ſummo Pontifice, & Philippo II. Hiſpaniæ Rege armis animiſque conjunxit, & in Turcam impulit: unde illa celeberrima ad Naupactum victoria Sarracenorum audaciam fregit, & res Chriſtianas mirum in modum extulit.

O natum Paci Innocentiorum nomen! O lætam Chriſtianis appellationem! Cumulabit Decimus quod novem tentavere, tanto major, quanto numerus hic auguſtior.

Perge, Innocentii columba, perge, alas argenteas explica, circumvola terras, & maria, mundum luſtra, prætende ubique olivam cæleſtem, tanto deſideratam ambitu, & tam longis expectatam votis; da pacem, pacem toties appellatam, quæ à te uncto Domini, aut à nemine hodie videtur imploranda.

Quid reſtat, Principes maximi, niſi quod hactenus denegaſtis rationi, detis precibus, ſi per vos liceat, ſemper invictis. Quicquid iratos cohibere, quicquid placare poteſt armatos, uno vobis jam occurit agmine, ut & ſic orari ſit honorificum, & pudeat non exorari.

Ecce vobis Pontifex Opt. Max. totius Eccleſiæ paſtor & parens, amicas tendit manus, & cum jubere poſſit, rogat. Agit ſupplicem, oblitus pænè Pontificem. Vir cœlo dilectus, & melioribus auſpiciis natus, dignus qui ubique terrarum circumferat felicitatem, per tot proſpera patitur vos adverſos. Divinum illud & faſtigio ſuo par ingenium tot oneribus obluctatur, acri & vegeta ſenectute, à vobis premitur.

Digitized by Google

Urgentur viſcera paterna, toties Filios genitura, quoties Paci cupit reconciliatos. Pudeat non audire, cujus Anteceſſorem audivit Attila; Pudeat non obedire, cui mundi flagellum obtemperavit. Ætate longævus eſt, honorate canos: Primus eſt Orbis Pontifex, obſervare dignitatem: Pater eſt, agnoſcite charitatem. Abſit ut mitiſſimus ille Jacob cogatur dicere. *Simeon & Levi fratres, vaſa iniquitatis bellantia, in conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non ſit gloria mea. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura.*

Gen. 49. v. 5 & 7.

Tota cum ſuo Pontifice ingemiſcit mater Eccleſia olim triumphans, nunc deformata, ſquallore obſita, perfuſa lachrymis, confecta curis & doloribus: Obſecrat ne permittatis Amorrhæos & Moabitas ſuis cladibus inſultare: Ne ſinatis illos petulanter objicere, quod Barbaros habuerit veneratores, filios pænè ſenſerit parricidas. Quoties per Jubilæa vidimus Sacerdotes Sanctuario cum gemitibus affuſos? Quoties Religioſos pertinaci prece fatigantes Altaria? Quoties ſacras Virgines per crebra ſuſpiria Cæleſtium opem implorantes? Quoties ſupplicibus votis effuſam per templa multitudinem? Quantus hic & qualis rigor, ſi, quod omen Deus avertat, tam pauci homines nolint totum Orbem exaudiri, & ferreum nobis Cœlum, ac fere nocens faciant, dum aut non videtur audire, aut quod audit contemnere.

Vel ex utilitate publica putant eſſe à bellis nunquam feriari, vel ex ſua: ſi ex publica, audiant Auguſtinum clamantem. *Fragiliter ſplendidam eſſe felicitatem ſemper in bellicis cladibus, & in ſanguine civili, vel hoſtili, tamen humano cum tenebroſo timore & cruenta cupiditate verſantium. Felicioribus rebus humanis parva regna eſſe concordi pietate lætantia. Procul dubio melius eſſe bonum vicinum habere concordem, quam vicinum malum ſubjugare bellantem. Mala vota ſunt optare habere quem oderis, vel quem timeas, ut poſſit eſſe quem vincas.* Si Auguſtino non credunt, experimentis credant, & videant ut compendia captarum urbium fuerint ſemper diſpendia capientium; & tot victoriis paratam famem & miſeriam triumphantium populorum: Quod ſi è re ſua exiſtimant bellorum tumultus nunquam finiri, num injuſtiſſimi ſunt, qui lacerati orbis lachrymas in felicitatibus ſuis ponunt, nec aliter beati eſſe poſſunt, quàm ſi omnes miſeri fuerint.

Libro 4. de Civit. Dei c. 3.

Idem lib. 4. c. 15.

Sine cognatione illum eſſe oportet, juxta Homerum, *ſine Iure, ſine Lare*, qui belli amator eſt voluntate potius quam neceſſitate. Pauperrimum quoq; qui cunctorum calamitate dives eſt. Quàm multos mobili, & ſemper pugnaci ingenio attriverunt pœnæ & furiæ, quas in cæteros concitaverant! Achitophelem belli Judaici inter Patrem & Filium incentorem infamis laqueus abſumpſit. Alcimum Judæorum pſeudo-Pontificem, proditorem ſui generis, facem alieni, ultrices Dei manus confecere. Alexander Macedo, dum belli unius alterum gradum facit, quietis impatiens, & novi ſemper avidus ſanguinis, dum ſuos extra Solis & Oceani metas trudit in prælia, veneno periit ipſa domeſticorum manu, quibus nimia pugnandi libidine cœperat eſſe odioſus. Ereptus eſt rebus humanis, ut ajunt, viridis Deus, ne mundum ultra vexaret armis, quem beneficiis demereri oportuit. Hannibalem, dum inextricabiles bellorum ubique cauſas nectit, infamis ſenectus preſſit, ſolitudo abdicavit, venenum ipſius manu propinatum ſuſtulit. Romani victores orbis ſemper pleni, & ſemper cupidi, dum quietis ædem extra portas ſuas relegant conjuratas in ſe omnium manus ſenſere, & ſepties captam Reginam urbium, de qua Sibylla dixerat, ἔσται ῥώμη ῥύμη.

Ἀφρήτωρ Ἀθέμιστος Ἀνέστιος.

Erit Roma Vicus.

Citatur à Cardinali Baronio Caroli Craſſi Imperatoris libellus de viſione ipſi ante triennium quàm Imperio cederet, oſtenſa, in qua narrat ſe in locis inferis & purgatoriis vidiſſe complures Principum, & Epiſcoporum qui bellorum fomitem incendiſſent, animas graviſſimis ſuppliciis torqueri. Eo tempore Italia & Gallia, ut ibidem doctiſſimus ille Cardinalis ſcribit, diris factionibus agitatæ atque afflictæ, & quod deterius videri potuit, & planè monſtroſum, Epiſcopi & Abbates armati ad bella proceſſere, quod execrandum facinus cum diu inoleviſſet in Galliis, inde factum eſt ut florentiſſimæ Provinciæ bellis externis & civilibus acciſæ lugerent. Hoc quoque omnium deterrimum acceſſit, quod ab illius temporis ſcriptoribus laudati reperiantur Eccleſiaſtici, nomine bellicæ fortitudinis, cùm potius deteſtandi fuerint, tanquam Sacrorum Canonum violatores & muneris paſtoralis deſertores. Hæc Baronius.

Anno 888.

Baronii verba.

Varnenſis clades quæ luctuoſiſſima Chriſtiano orbi ſupra cæteras fuit, authorem habet atque adſtipulatorem è clero Julianum, qui

Digitized by Google

qui cum repetendi contra fœdus, belli ſuaſor fuiſſet, ingentes noſtrorum copias Amurathis furentibus gladiis objecit, ipſe cum adoleſcente Rege Sarracenorum ferro conciſus. Ita contentioſos atque atroces animos Nemeſis ſequitur, nec patitur quietos qui omnium otia in turbas ſollicitavere. Hæc in tam illuſtri exemplo poſita nihil movebunt? nihil efficient?

Patientur nè iterum fratres infeſtis armis concurrere, & regna labantia tot cladibus atterere? Heu! Fratres obliti fœderis, obliti nominis volunt extra orbem furere, occidere volunt quem non poſſunt odiſſe! At, dicet aliquis, minuta eſt iſta ſanguinis ratio, & ad pacem componendam parum apta. Reges enim ſubditos habent, affines & conſanguineos non habent. O vocem crudelem, hoſtem humani Generis, & naturæ parricidam! Ibi cumulum oportet eſſe criminum, ubi maximarum eſt oblivio Charitatum. Ubi Chriſtus exulat, ubi Amor non eſt, aut nullum, aut ruinæ proximum eſt Imperium. Sarracena Regna per ſcelus fundata ſtare aliquando cum ſcelere poſſunt, Deo furoris ſui Virgas ad noſtra ſupplicia deſtinante: Chriſtiana ſceptra quæ per fidem & pietatem exorta ſunt, iis orbata atque deſtituta per infamia Machiaveliſtarum conſilia omninò concidunt. Non cadit in tam pios Reges mens tam præpoſtera: Audietur aliquando Naturæ vox, reſurget in omnium animis Chriſtus, Charitas reviviſcet, & laboranti Mundo tandem pacificator aliquis exorietur.

Hæc ſub infantiâ Regis ſcripta.

Nos licet, aliis remotos terris, jam circumfulſit Rex auſpicatiſſimus, & ſuaviſſimus infans, paci regnorum & orbis bono natus. O quot votis expetitus, & quanto precum ambitu ſollicitatus! O quoties ſtimulavit deſideria! Quoties omnium ſpes excitavit, excitatas mora conſumpſit, conſumptaſque renovavit. Tarde magna proveniunt: Minùs fecerat, ſi properaſſet. Latebat in abdita fatorum Majeſtate terris ignotus, ſed cælo jam dictante cognitus. Oſtentatus eſt diu, antequam eſſet, nondum conceptus implebat ora vaticiniis, & paſſus ſuos fama prævolante deſignabat. Tandem emerſit optatus infans eo menſe quem fortium Menſem appellant, ingentis animi prærogativa. Natus eſt Sole mediam Aſtræam obtinente, legum moderatione tecturus orbem: Aſcendit cum Lyra concentum facturus publicæ tranquillitatis. Quod ſi tunc exertum Scorpius aculeum præferebat, minabatur Sarracenis, & Idumæas naſcenti palmas tàm ſæpè avorum ſudore nobiles promittebat. Riſere prodeunti cœleſtes domus tot auſpicantibus Divis, & natum plauſu totus orbis excepit. Jam ſe nemo miſerum putabat ortu felicitatis, Jam nemo felicem quem ipſe non faceret. Deterſit eo die Gallia omnem bellorum fuliginem, & pacis refulſit inſignibus. Tot habuit ora quot flammas, Tot illi flammæ, quot ſidera.

O Dilectum Deo Ludovicum! quem regeneraſſe videtur in filio eo menſe quo natus eſt! O Annam ſerò puerperam, ſed matrem verè fortunatam, quæ filium peperit, non tam ſibi quam Galliæ ſaluti! Multum hic habet de Patre, multum de Matre, utriuſque reddit imaginem ipſa confuſione gratiorem.

Riſum tibi faciet Gallia, novus Iſaac, & quem vix audire loquentem potes, videbis conſolantem. Quot catenas rumpent tam tenellæ manus! Quot aperient carceres! quot ſolvent exilia! Quot illuminabunt obſcura tam parvi oculi! Quot monſtra pedes calcabunt infantis! Silete fluctus, ſilete tempeſtates & omnes maris iræ ad tam placidi Regis nutum, & quam abſtuliſtis reddite mundo ſerenitatem. Diu illum terris cœleſtes commodate Virtutes, & quem tam ſalutarem feciſtis, facite diuturnum. Abſtinete ab illo manus fata, nec puſionem tangite niſi profutura. Facta hic avorum & annos vincat, & mortalis natus nihil niſi immortale ſentiat. Amet, & amari velit, timeat timeri. Sentiant oppreſſi liberatorem, injuſti vindicem, hoſtes animo bellicoſum, ſed Cives mente Pacificum. Rapit omnes ſenſus Natalis ille quem nobis æternæ pacis initium auguror. Spectate de ſuperis, LUDOVICE, tantum filium. Spectate Reges Chriſtiani omnes quaſi nepotulum. Date rebus feſſis quietem, Conticeſcant arma ad juſſus tanti Principis, tam potentis Oratoris, nec bellorum tumultus tàm fœlicibus cunis obſtrepant.

Ad vos iterum totus convertor, PRINCIPES MAXIMI, per quicquid charum eſt, rogo: per quicquid ſanctum eſt, obſecro: date poſcentibus pacem, date tranquillitatem mundo in tot miſeriarum incendiis ſuſpiranti. Facite ut pacificatores vos potius ſuos, quam veſtrorum Regnorum everſores orbis agnoſcat. Memoriæ proditum eſt in eo fatali bello quod inter Gallos &

Digitized by Google

los & Anglos diuturna contentione & feris cladibus tractum eſt, pium Anachoretam, quem vulgo Joannem Gandavenſem appellabant, ex ſylvis Deo inſtigante in aulas Regum deveniſſe, ut ferales inter ſummos Reges diſcordias componeret. Ab Anglo ſpretus & protervè repulſus dira illi omnia denunciavit non vanus augur. Ad Carolum autem Galliæ digreſſus, cum Principem deprehendiſſet ingenio miti & ad pacis conditiones inclinante, prædixit fore, ut recuperato Regno Delphinum, quem omnibus votis naſci optabat, haberet regni ſucceſſorem. Vaticinium proſpero eventu ſancitum, adeò pacis filios Deus amore proſequitur, bonorum affluentia cumulatos.

Timeat ille quiſquis pacificis omnium votis reluctabitur, gravem ſibi & ſuis de cœlo manum, rerum ſucceſſus infauſtos, vitam in turbido, mortem in incerto. Cogitate, PRINCIPES OPTIMI, & MAXIMI, num ſit æquiſſimum, quicquid poteſt eſſe in hoc fœdere pacis detrimenti, quicquid honori, quicquid putatur Imperio detractum, fortunatiſſimis totius Chriſtiani orbis commodis compenſari. Hoc planè locuples eſt, hoc magnificum, hoc verè Regium & ad omnem ſæculorum memoriam propagandum.

Mementote vos Chriſtianos imperare Chriſtianis, tales vos hominibus præbete qualem vultis vobis præſtari Deum. Hoc quicquid eſt vitæ anceps & lubricum, quicquid eſt dignitatis fragile, quicquid eſt virtutis, veſtram ſpectat æternitatem. Manet vos ingens & ſpectatiſſimum Tribunal, manet Judex puriſſima luce circumfuſus, ſub quo nec latere abdita, nec fucata fallere, nec perverſa vincere unquam potuerũt. Stabunt ad ejus conſpectum exutæ corpore, fortunis, imperiis Regum animæ juſta & injuſta clariſſimo fulgore viſuræ. Illic tonabunt ſupremi Numinis edicta, clamabunt oppreſſorum gemitus, lacrymæ pauperum loquentur. Pro divulſis aris ſtabunt tutelares Divi, & adverſus contumaces omnis Militia cœleſtis conſurget. Date operam PRINCIPES ſemper pii, ſemper invicti, ut quæ vobis invitis & reluctantibus per armorum licentiam ſunt commiſſa, per æquitatem veſtram emendata, nullam ſeculo labem, nullam veſtro nomini maculam relinquãt. Efficite ut juſtitia & pax in mutuos conveniant amplexus, per veſtra Regna, per veſtras urbes triũphali ferantur pompa, totius orbis humeris portentur in fixas & æternas ſedes, quas ut veſtræ bonitatis monimenta, & felicitatis noſtræ pignora colere ac venerari perpetuò licebit.

Pax ſuper Iſraël Dei.

INDEX

INDEX
RERUM, ET VERBORUM QVÆ IN HIS DE REGNO DEI LIBRIS PASSIM OBSERVANDA
potiſsimùm occurrunt.

A.

Aaron.

QUOTUPLEX fuerit Aaronis baltheus. pag.139.col.2.

Abias.

Et Aſa qualis, & cur cum unus eſſet impius, alius pius ambo æquè ingentes victorias de hoſtibus retulere. pag.250.col.2.

Academia.

Militares quam neceſſariæ ſtatui. p.123.col.2.

Actiones.

Quæ ratione componendæ. p.38.& 39.

Achaz.

Quanta fuerit Achazi juvenis regis corruptio. p.130.col.1.

Cauſæ ejuſdem idololatriæ. ibid.col.2.

Achazi punitio. p.272.col.2.

Actium.

Pugna navalis Actii qua ratione Cæſarem fecerit. p.149 col.2.

Adminiſtri.

Quanta eſſe debeat Adminiſtrorum diſtinctio. p.140.col.1.

S.Ferrandi de Adminiſtris monitum. p.140.co.2

Quantopere ſpectandi. p.142.

An magis obſequioſi eſſe debeant, quàm arguti. ibid.

Quid in iis præcipuum. ibid.col.2.

Ægyptii.

Qualis illis eſſet regendi modus, & quàm ſcrupuloſus. p.23.col.2

Albigenſes.

Quo tempore eorum furor efferbuerit. p.84.c.2

Alexander.

Quanta fuerit illius ambitio. p.99.col.1.

Acutum piratæ Alexandro dictum. p.119.col.1.

Quantum fuerit Alexander in ſuo exitu infelix, & quomodo imperium everterit. p.113 col.2. & 116.

Inconſulta Alexandri politica ubi continuata, & quam infelix exitus. p.204.col.1.

Aluares.

De Luna quàm potens gratioſus apud Joannem Caſtiliæ. p.46.col.2.

Amalazuntha.

Quàm providè rexerit Athalarici filii tenerum ætatem. p.182.col.2.

Amalechitæ.

Quale fuerit odium Judæorum in illos, & unde illius origo. p.233 col.2.

Amaſia.

Præfulgens Amaſiæ exemplum. p.155.col.1.

Ambitio.

Quanta ſit vaſtitas ambitionis. p 126.col 2

Amicitia.

Quàm bonum vitæ civilis inventum. p.152.c.1.

Amor.

Quanta ſint inconſulti amoris damna in principe. p. 45.col.2.

Animus.

Quo modo ad malorum patientiam roborandus. p.39 col.1.

Anna.

Carolum octavum fratrem quanta fide & prudentia moderata ſit. p.183.col 1.

Digitized by Google

Anſcherius.
Quis fuerit, & ſub quo Cancellarii partes egerit. p.130.c.1.
Antiochus.
Eupator ſub qua tutela relictus, & quo ſucceſſu. p.181.col.2.
Antiquitas.
Quo maximè nomine laudata. p.102.col.2
Apollonii.
Empuſa quidnam fuerit. p.176.col.1
Arabes.
Qua ratione pueri apud Arabes alerentur. pag. 36.col.2
Ariſtocratia,
Damna quænam ſint. p 18.col 1
Aſa.
An peccarit tolerando excelſa. p.252.col.2
Altera illius incuſatio. p.253.col.1
Tertia & quarta. p.ibid.
Aſſyrii.
Qua primum ratione Aſſyrii Reges gubernarint. p 23.col.2
Aſtra.
Quantà ſit Aſtrorũ vis in hominẽ. p.33. & 34.c.2
Athalia.
Ejus furor in legitimos Reges. p.260 col.1
Stoliditas in politicis, & allocutio ad primates. ibid.
Conſpiratio in Athaliam & ejus cædes.p.261.c.1
Propter quid & an juſtè cæſa ibid.col.1
An acta ejus per ſeptennium imperii valida.ibid col.2
Athei.
Quàm vecors Atheorum inſania. p.84.col.1
Athenæ.
Quomodo & quando perditæ. p.149.col.1
Athenienſes.
Quàm miſerabile & varium eorum Imperium. p 16.col.2
Quiſnam fuerit apud illos adminiſtrandi modus, & quàm vagus atque inconſtans pag 14 col.1
Avaritia.
Hiſpanorum quantopere lethifera. p.101.col.2
Auguſtus.
Quàm prudens, & pacis ſtudioſus. p.116.col.2
Quanta fuerit Auguſti moderatio. p.73.col 1
Aula.
Quale ſit aulæ lubricum. p.33.col.1
Quàm prudenter aulam reliquerit Ariſtoteles. ibid.col.2
S. Aurea.
Aureæ factum mirabile. p.268.col.1
Aures.
Quàm lethifer aurium pruritus. p.79.col.1
Auſteritas.
In regimine populorum an probanda. p.36.c.2
Authoritas.
Quanta ſit vis Authoritatis. p.164.col.2
Quid propriè ſit, & ubi.
An è cœlo veniat. p.166.col.2
Ad authoritatem conciliandam quæ vitia primùm ableganda. ibid.
Præcipui authoritatis ſcopuli quinam & quot. ibid.& 167
An ſit in grandi apparatu. ibid.col.1
Authoritatis vera inſtrumenta in quotuplici differentia p 168 col.1
Peritia in ſua cujuſque arte ad conciliandam Authoritatem quàm efficax. p.169.col.1
An expers authoritatis debeat regere. p.170 c.1
Quomodo defectus authoritatis ſupplendus. ibidem.

B.

Baleares.
Pueri qua ratione alebantur. p.36.col.2
Barbari.
Barbaras nationes Chriſto aggregare quàm nobile, quam laborioſum & generoſum. pag. 99 col 2
Baſilius.
Baſilii Imperatoris egregium facinus.p.145 c.2
Beatitudo.
Quam ob rationem à quibuſdam Theologis ſublata. p.23.col.2
Bellum.
Quanta ſit belli tyrannis. p.2.col.2
Quam neceſſaria ſit imperiis belli gerendi cura. p 115 col.
An licitum ſit bellum. ibid.col.2
Contra eos qui bella inter principes Chriſtianos ſeminant, & cupiunt eſſe perpetua ibid.& 116
An ſemper, vel ſine neceſſitate in imperio bellatum, & an propter ſe ſit bellum. ibid col 1
Quotnam ſint ad legitimum bellum neceſſaria, & quanti momenti ſit bellum indicere. p.118 col.1.
Quanta conſultatione in bello ſuſcipiendo ſit opus, & quàm accuratè cauſa perveſtiganda. ibid.col.2
Quam exitioſum ſit non tantum hoſtibus, ſed civibus etiam. ibid. col 2
An ex ſolo ſuo ſenſu princeps juſtè bellum aggrediatur. p.119 col.2
Quænam ſint cauſſæ bellorum legitimæ, & quãtopere cavendi prætextus. pag.120.col.1

Digitized by Google

Saluſtii dictum prudens de modo belli gerendi. ibid.col.2.
Diſciplina militaris quantum rerum in bello gerendarum inſtrumentum. p.120.col.1
Regis præſentia quantum poſſit in bello. ibid. col.1.& 2.
Quamplura in bellis conſilio, quàm impetu geruntur. ibid.col.2
Stratagemata in bellis an laudata, an perfidiæ. ibid.
Quanta debeat eſſe ſanguinis parſimonia. ibid.
Quantum proſint arcana ſcitè tecta. ibid.col.2
Bellorum præcipuæ cauſæ quot & quænam. p. 183.col.2. & 184 col.2
Qua ratione inſtruendi ſint belli apparatus atq; quid præſtare tum rex debeat. p.185
Quare numquam temere movenda. p.205 c.2
Apud Judæos quotuplicia. p.233.col.2
In ſeptem populos bellum lethale. p 134.col 1
Bella majeſtatis quare & quomodo geſta. ib.c.1
Bellum an inter fratres ejuſdem religionis fuerit licitum. ibid.col.2
Rationes utrimque allatæ. ibid.

Beneficia.

Quàm periculoſus ſit principi beneficiorum abuſus. p.94.col.2

Bivium.

Herculis quidnam fuerit. p. 43 col. 2

Blancha.

Regina quantam filii ſui curam geſſerit pag 183 col.1

Blaſphemi.

Quàm ſpurci in Religionem & peſtiferi. p.83.c 2
Eorum pœna. p.84.col.1

Bona.

Quibuſnam danda ſint à principe. p.73.col.2

Bonitas.

Qualis bonitas Imperiis ſit damnoſa. p.177.c.1. & quantum ſit bonitatis imperium. ibid.c.2

C

Caci.

Et Claudi arcis Sionis quinam. p.149.col.1

Caſar

An poſſit fieri Chriſtianus juxta Tertullianum. p 3.col.2

Calliditas.

Quàm ſervile vitium, & qua ratione ſit confeſſio imbecillitatis propriæ. p.198.col.2
An Chriſtianis liceat per calliditatem aliis inſidiari. p.199.col 2
Infelix exitus callidorum. p 201.col.2

Calvinus.

Calvini & Lutheri quàm exitioſæ faces! p.84,c.2

Canadenſes.

Quænam in Canadenſes expeditio.p.100.col.2

Cardinales.

Quare ita nominati, & quid ea vox ſonet, & quinam Diaconi appellati. p.98.col.2

Carolus.

Quintus quantæ pietatis princeps. p.79.col.1

Carthaginenſes.

Quam fuerint ſeveri. p.24.col.2

Caſtra.

Quanta debeat eſſe munditia caſtrorũ.p.236.c.2
An ſuilla comederetur in caſtris apud Judæos. p.237

Charitas.

Quænam ſit ejus origo & præſtantia.p.56.col.1
Motiva charitatis in Rege, quęnam eſſe debeant ibid.
Quo ſenſu charitas ejus debeat eſſe opifex.pag. 57.col.1

Chriſtianus.

An poſſit fieri Cæſar. p.3.col.2
Cur lex Chriſtiana videatur imperiis parum apta. p.4.col.1
Regnandi artes majores eſſe apud Chriſtianos, quàm apud infideles quibus rationibus probetur. p.5.col.1
Quare tam tardè permiſerit Deus Chriſtianos reges eſſe. ibid.col.2
Quænam ſint apud illos præſidia ad regnandum ibid.& ſeqq.
An per ritus Chriſtianos aptiores ſint populi ad regnum. p.6.col.2
Quàm grande iter ad palmas Chriſtiana lex aperuit. p.7.col.1
An juſtè omnes infideles imperiis à Chriſtianis poſſint ſpoliari. ibid.
An aliquando ſcrupuloſa poſſit eſſe apud illos imperii forma. ibid.col.2
De Chriſtiano regimine quænam ingenia malè ſentiunt. p.8.col.1
Quibus rationibus probentur ad ſenſum optimorum Philoſophorum, & naturæ lumen compoſita Chriſtiana imperia.ibid.quo jure caſtigata p.9 col.1
Quàm indignum Chriſtianos odiis ſcindi perpetuis. p.88.col.2

Chriſtus.

Quo ſenſu ſint accipienda Chriſti conſilia. pag. 4.col.2
Quanta Chriſti ſapientia in orbe reformando. p.5.col.1
Qua ratione Regem in cruce egiſſe ſit intelligendus. ibid.col.2

Quare

Quare noluerit ſuos eſſe mercenarios. p.76.c.1.

Clementia.

Quantum ſit Regii pectoris ornamentum. pag. 70.col.2.

Quomodo expediat Regem à teneris clementiam meditari. p.71.col.2.

Cleon.

Cleonis & Themiſtoclis quàm varii agendi modi. p.180 col.1.

Clerici.

An bene gubernationi rerum præficiantur. pag. 124.col.2.

Quam invidioſa clericorum in civilibus poteſtas. p.127.col 2.

Qua ratione fiant atrociores. p.128.col.1

Reſpondetur objectionibus quæ ſupra à cenſoribus Eccleſiaſticorum ſunt propoſitæ. ibid.

Qua ratione à principibus tractandi. p.106.col.1

Clerus.

Unde ſæpe læva mens iis qui à Clero, ad ſæcularem vitam tranſeunt. p.127.col.1.

Cognitio.

Sui quomodo ſit ſignum magnitudinis. pag.63. col 2.

Conjugia.

Quanta Conjugiorum vis. p.158 col.2.

Conſilia.

Chriſti qua ratione intelligenda. p.4.col.2

Poſt turpia conſilia, quænam maximè fugienda pag.138.col.2.

Quænam ſuadenda, quæ ſint venena conſultantiū & quinam ſit conſiliorū ſcopulus. ib. & 139

Conſilia ſine effectu, quibuſnam rebus aſſimilata. p.139.col.2.

Conſiliarii.

Quomodo dignoſcantur veri. p.136.col.1.

Quænam ſit prima lex conſultantium. ibid.c.2

An eruditi eſſe debeant, & quales in officio exercendo. ibid. & p.137

Conſulere à quo ars divina appelletur. ibid.

Undenam prima conſilia ſint haurienda. ib.c.1.

Quandonam à conſiliis deſiſtere oporteat. pag. 138.col.1.

Conſtantia.

Quo ſenſu pro magnitudine accipiatur. p.64.c.1

Conſtantinopolis.

Quomodo primum à Turcis libata deinde capta. p.10 col.1.

Quibus modis à Mahomete II. expugnata. pag. 149 col.2.

Conſtantinus.

Quàm litigioſa & funeſta Conſtantini Imperatoris cura de ſacris. p.78.col.1

Quas partes in concilio Nicæno geſſerit. ib.c.2.

Conſuetudinis.

Vis quanta ſit. p. 31 col.1

Conſuetudo naturæ affabrefacta quid poſſit. ib. col.1.

Conſultator.

Malorum conſultatorum quàm atrox pernicies. p. 258.col.2.

Utrum plus noceat malum conſilium etiam cum bono Rege, quam malus Rex cum bono conſilio. ibid.

Controverſa.

Quinam modum docuerint ſolvendi controverſa de fide, & ubi. p.90.col.1.

Curioſitas.

Quantopere cavenda ſit. p.39.col.2

Gemella infidelitatis ſoror quantopere arcenda. p.79 col.1

Cyrus.

Qualis fuerit illius educatio. p 33.col.2.

D.

David.

Exitialis quàm ſit ratio eorum qui dicunt Davidem in Uriam non peccaſſe. p. 172.col.1.

Quare à Saule licet peſſimo abſtinuerit p.181.c.1

Quomodo appellata fuerit illius vita. p 243.

Dotes ejus quales & à quo. ibid.col.1

Quid pacato regno fecerit. p.144.col.1

Nævi Davidis, cum à Deo receſſiſſet, quinam fuerint. ibid.col.2

De amicitia ejus cum Abnero quid ſentiendum. p.245.col.2.

Quænam fuerint Davidis extrema. p.246.col.1

Delator.

Delatorum quanta ſint damna, & quantopere ab iis cavendum ſit, maximè principibus. pag 51.col.1

Deus.

Quantopere ſui diffuſione cõmendetur, primus & ſolus independens Monarcha. p.2 col.1

Quomodo poteſtas ab eo primum ſparſa in Patres & viros. ibid.

Quænam debeat prima eſſe impreſſio de Deo. p 39.col.2

Quales de Deo ſenſus Princeps habere debeat. p.40.col 1

Dii.

Quibus rebus cenſeantur. p.72.col.1

Unde victoriæ falſos Deos colentibus. p 75.c.2

Gentibus quoruplices fuerint. p.270 col.2

A Judæis qualis conceptus. ibid.

Varia opinio de Diis. ibid.

Dii Hebræorū qui à Deo defecerāt, qui. p.271.c.1

Diſſidia.

Diſſidia.

Quanta cautio adhibenda in vitandis diſſidiis. p.114.col.1

Diſſimulare.

An & quo tempore liceat. p. 200.col.2

Metelli eam in rem illuſtre exemplum. ibid.2

Dives.

An dives eſſe imperium expediat. p 141.col.1

Quales divitiæ ſint imperiis neceſſariæ.ibid.c.2

Illarum effectus. ibid.

Qua ratione ſint omnium gerendorum inſtrumenta. ibid.col.2

Divinare.

Ex ſignis corporis quàm incerta res eſt. pag.34. col.2

Divitiæ.

Regum magnæ & multæ à quibuſnam interpretibus laudentur. p.220.col.2

An divitiæ ſint Dei bonum. p.221.col.1

An Salomon peccavit in immenſa ſuarum divitiarum copia ibid.col.2

Quomodo reſolvenda quæſtio. p.222.col.1

Vaſtæ & immanes Divitiæ an faciant ad Imperii felicitatem. ibid.col.1

Quare probantur in Ezechia divitiæ quæ in Salomone damnatæ. ib.col.2

Unde parari divitias Deus voluerit. pag. 123. col.1.

Dolus.

An omnis dolus ſit malus. p.199.col.1

Quinam doli & ſtratagemata laudentur. ibidem.

Domitor.

Domitorum regum quanta vis,& quàm perſultans fama. p.268.col.1.& 2

Divina Nemeſis in ipſos. p.269 col.1

Romani poſt domitum orbem quàm miſeri! ibid.

Infelicitas domitorum qui ſua viſcera egerunt ut aliena diripiant. ibid.col.2

E

Eblon.

Quis fuerit & ſub quo Cancellarii partes egerit. p.130.col.1

Eccleſia.

Quàm funeſtum ſit extra Eccleſiam mori. p. 88 col.2. ſi reformata eſt.quibus rationibus nulla eſſe probetur. p.89.col.1

An extingui prorſus potuerit, & inviſibilis degere in terris. ibid.col.2

De Eccleſia præclarus Tertulliani ſenſus. pag. 90 col 2

Eccleſiaſtici.

Aulæ quales eſſe debeant. p.95.col.1

Quibus rationibus hæretici principatum Eccleſiaſticorum impugnaverint. pag. 115.col. 2.

Rationes quibus alii contendunt eos excludere à miniſterio regali,proponuntur, quibus deinde reſpondetur. p.116.col.2

Educatio.

Qualis eſſe debeat ex Ariſtotele. p. 122 c.1

An Educatio publica eſſe debeat. ibid.col.2

Eleemoſyna.

Quare commune omnium gentium ſacrum.p. 97.col.2

Elias.

Eliæ Epiſtola ad Joramum. p.257.col 1

Epiſcopi.

Quanta Epiſcoporum utilitas. p.94 col.2

Quænam eſſe debeant Epiſcopi qualitates.pag. 95.col.2

Quantum neceſſe ſit Epiſcopos eſſe negotiorum peritos. ibid.2

Quinam maximè indigni Epiſcopatu. ibidem 2

Euchariſtia.

Quibus rationibus defendatur. p 92.col 1

Quot & quænam in hæreticis labefacient fidem Euchariſtiæ. p 93 col.1

Euripides.

Quam maximè ob rem cenſura perſtrictus.pag. 198.col.2

Europæi.

Quales & qua ratione regi debeant. pag. 173. col.2

Euſtachius.

Sebaſtæ Epiſcopus qualis, & quare Epiſcopi ornamenta abjecerit. p 3 & 4.col.1

Eutropius.

Qua ratione ſe geſſerit apud Arcadium Imperatorem,& quo exitu. p.182 col 1

Excelſa.

Quid eſſent propriè. p.252.col.2

An eſſent templa Idolorum. ibid.

Quotuplicia eſſent. p 253.col.1

Exercitus.

An expedit Regibus exercitum ſemper in procinctu habere. p.150.col.1

Ezechias.

Unde dicitur David revixiſſe in Ezechia. p. 273. col.1

Ejus laudanda facinora in religione & adminiſtratione regni. p.275.col.1

Cum Deo fortiſſimus in ſe mollior. ibid.col.2

Digitized by Google

Ejus morbus. ibid.& ſeq.
Ezechiæ vitia quænam. p.276.col.1
Solis retroceſſio in morbo Ezechiæ qualis, & unde. ibid.col.2.

F

Fama.

Quàm aſſiduo labore excolenda. p.169.col.2
Quantopere vitandi qui in illam incurſant ſcopuli. ibid.

Fatum.

Quænam dicantur peccata fati. p.282.col.1

Fides.

Quænam ſit illius definitio juxta Apoſt. pag.55. col.1
An debeatur non ſervanti. p.200.col.1
An oneroſa ſint perſolvenda, ubi fide ſancita ſunt. ibid.

Filii.

Rationes quæ degeneres filios arguunt. pag.249 col.2

Finis.

In mundo quotuplex ſit. p.20.col.2
Quare præfigatur pro titulo Pſalmis *in finem*, & quid hoc ſibi velit. ibid.
Finis Regnorum quis eſſe debeat. p.21.col.2
An ſola felicitas temporalis Regibus ſit pro fine. p.22.col.1

Fœdus.

Quid ſit,& quotuplex. p.152.col.2
Argumenta aſſerentium fœdus cum infidelibus. ibid.

Fœmina.

Principum quales eſſe debeant& quantum in iis momentum. p.159 col.1
An ſint Catholicæ novæ ſectæ principibus jungendæ. ibid col.1
Quot regna & per quas fœminas converſa. ibidem.
Quantum mali à pravis fœminis illatum. ibid.
Quanta felicitas nanciſci egregias virtute fœminas. p.160.col.2
Quàm reverenter habendæ. p.161.col.1
Luxus circa fœminas cur interdictus. pag.224. col.2
Quis numerus uxorum apud Hebræos Reges. p.225 col.1

Fortitudo.

Quid ſit. p.68 col.1
Qualis debeat eſſe in principe fortitudo, ibidem col.2

Franciſcus.

Primus quarta religione conſpicuus. pag. 79. col.1

Futura.

Quotupliciter cognoſci poſſint, & an eorum cognitio ſit licita. p 242.col.2

G.

Galla.

Galbæ errata in ſeditionibus. p 188.col.2

Galbi.

Gallorum virtus quanta. p 12.col.1.& 2

Gallia.

Regis Galliæ Sacramentum quodnam ſit. p 105. col.2

Gaudia.

Vera Chriſtianorum in quo conſiſtant. p. 108. col.2

Græci.

Qua ratione imperium perdidere. p.16 col.2
Imperium Græcorum quam perverſum. pag.9 col.2

Gratioſi.

Quantopere ſint principibus fatales. p.46.col.1
Et quodnam ſit adverſus illos remedium. ibid. col.2
Aluares de Luna quàm potens Gratioſus apud Joannem Caſtiliæ. ibid.col.2.

Gubernare.

Quænam ſit vera ratio Gubernandi ex Platone. p.112.col.2

Guillelmus.

Angliæ Rex dicterio irritatus quantum ſævierit. p.50.col.2

Gymnaſia.

Militaria quàm neceſſaria. p.23.col.2

H

Hæretici.

Et eorum progreſſus quales. p.84.col.1
Quænam ſint hæreſeōn cauſæ. ibid.
Primæ hæreſes contrà Triadem & Chriſti perſonam & poſteriores in Eccleſiam & Sacerdotes.unde. ibid.
Quinam Hæretici pœnis digni. p.86.col.1
Qualis præcautio in Hæreticis puniendis adhibenda. ibid.col.2
Ut in Hiſpania præfocati in fomite. ibid.col.1
In Belgio & Gallia quantò atrociores. pag. 87. col.1
In Francia primis temporibus ut habiti.ibidem. col.2
Quantopere optandum ut ſuavioribus remediis reſipiſcant. ibid.
Quàm fragili nixi fundamento Hæretici. p. 88. col.2
Qua ratione in avos & parentes maximè probentur injurii. p.89.col.1

Quæ-

Quæſtio hæreticis indiſſolubilis. ibid.
Quantopere conſequentias ſuas vendicent. p.90 col.1
An debuerint ab Eccleſia diſcedere propter Pontificum ſtatuta de exteriori diſciplina Eccleſiæ. ibidem col.2. undenam hæreſes. p. 84.col.2

Hamilcar.

In arcanis tegendis quàm providus. p.200.col.2

Hebræi.

Quantis cladibus afflictum fuerit Hebræorum imperium. p 9.col.1
Eorum cladis ratio. ibid.col.1

Hetburga.

Hedburgæ Eduardi Regis Angliæ indoles quàm mirè agnita. p.35.col.1

Heraclius.

Quàm luctuoſus ejus exitus ſe ſe ſacris rebus immiſcentis. p.78.col.2

Hercules.

Quidnam appellatum ſit Herculis bivium. p.43. col.2

Herodes.

Atticus qualis, & qualis ejus filius. p.34 col.2

Herodes.

Qua de cauſa à ſuis toleratus p.177. & 178. col. ult. & 1

Heroes.

Educatio Heroum quàm operoſa. p.36.col.1

Hieroboamus.

Qua arte uſus ad regnum contra Deum moliendum. p. 85.col.1. & 2

Homines.

Quiſnam fuerit ſtatus primorum hominum. p. 2 col.2

Homo.

Homini ſubditus quàm moroſa res ſit. pag.16. col.1
Miſeria hominis quanta. p.29.col.1

Honeſtas.

Vitæ quàm neceſſaria in gubernando. pag. 17. col.1
Quomodo ſit ſignum magnitudinis. pag. 63. col.2

Honor.

Ambitioſe quæſitus quàm ſævus hoſtis. pag.45. col.2

Huſſitæ.

Qua ratione ſanctitatis opinione deteriores. p. 48.col.2

I

Iaſon.

Vox Iaſonis inſcita. p.201.col.2

Iehu.

Mores quales fuerint, & ejus conſpiratio adverſus Reges. p.259.col.1

Ignis.

Translatio infantium per ignem & immolatio à quibus facta. p.271.col.2
Luſtratio per ignem unde & cur. p.272.col.1

Imperium.

Contra eos qui jus naſcendi in Imperio improbant. p.14.col.2
Quanta in electionibus imperatorum pericula. ibid.
Rapinis conflata quam parum diuturna. ibidem.
Quis imperio Turcico finis. ibid.
Imperia longæva unde & quibus rebus comparata. p.171.col.1
Quid in ſubditis noſſe oporteat imperantem p. 178.col 2
An imperium ſemper ſinuet mores regnantium. ibidem.
In quo conſiſtat tota vis imperii. ibidem. col. 2.
Quidnam ſit maximè periculoſum imperantibus. ibid.
Quales amici imperantibus ſint neceſſarii. ibid. col.2
Quodnam ſit imperii virus. ibid.
Ars imperandi quæ. p 180.col.1
Ut quiſque tractandus. ibid.
Quænam ſint præcipua tuentis imperii argumenta p.191.col.1
Imperiorum ætas cum ætate hominum comparata. p.192.col.1
Unde tam brevis multorum imperiorum duratio. & unde languor in imperiis. pag.192. & 193
An mors immineat imperiis, ſicut etiam mundo. ibid.col.1
Quis ſcientiſſimus imperiorum moderator. p. 194.col.1
Prima imperii turpitudo quænam ſit. pag.201, & 202

Impietas.

Ejus pœnæ civiles quænam. p.85.col.2

Impii.

Quid faciendum quando impii florere videntur. p.190.col.1
Cur aliquando in rebus gerendis felices: p.251. col 1

Improbi.

Quomodo in terris diſpoſiti. p.8.col.2

Digitized by Google

Indi.

Quidnam eorum ſalutem efficacius promoverit. p.23.col.2

Indoles.

In pueris quàm varia. p.30.col.1

An educatio indolem ſuperet. ibid.col.2

Unde noſcatur puerorum indoles. p.33.col.2

Indolis bonæ ſigna. p 35.col.2

An Deus etiam ſecundis cauſſis utatur ad bonam Indolem conſtituendam. p.273.col.2

Quodnam ſit ſignum infauſtæ indolis. pag.39. col.2

Infideles.

An liceat fœdera jungere cum Infidelibus, & ab iis communia vitæ ſubſidia accipere. pag 51. col.2

Quis mos in veteri teſtamento, in commercio cum infidelibus. p.153 col.2

Qualis ſub Moſe & Judicibus. ibid.

An David aliquando pugnaverit contra Saulem & gentem ſuam cum infidelibus. p. 154. col.1 & 2

Salomon & Joram quàm malis exemplis, & deteriore ſucceſſu fœdera cum impiis junxere. ibid.

Aſa & Joſaphat ubinam de fœdere cum infidelibus juncto reprehenduntur. ibid.

Fœdera cum infidelibus quantopere ab Apoſtolo vetita. p.156.col.1

Quid Concilia de hac re præſcribant. pag.157. col.2

Quis ea de re Scholaſticorum temperatior ſenſus. ibid col.2

Quot & quibus cum conditionibus liceat etiam infideli uti. p.158.col.1

Ingenium.

Magnum & manſuetum reperire quàm difficile ſit. p.28 col.2

Mediocre cum cultura maxima quàm bene cedit. p.30.col.2

Inſana qua ratione dignoſcantur. p.66.col.1

Injuria.

An in ſapientem cadat nec ne. p.51.col.1

Injuſtitia.

Quænam ſit ſumma injuſtitia qua regna diruuntur. p 144.col.1.

Quàm à Prophetis exagitata. ibid

Qua ratione regnum corrumpat. p.190 col.1

Injuſtitiæ ſeu juſtitiæ concuſſæ ſigna quænam. ibid.

Propter quid Romani citiùs puniti. ibid col.2

Graves Romanorum injuſtitiæ ubi & à quo comprehenſæ. ibid.col.2

Injuſtitiæ ſummæ effectus. p.191.col.1

Inſtitutio.

Voluptas quam atrox Inſtitutionis hoſtis. pag. 28.col.2

Inſtitutor.

Quale eſſe debeat Inſtitutorum munus. pag.33. col.1

Quot & quænam ſint ſcitu neceſſaria in Inſtitutione Principum. p.38 col.1

Ioas

Quàm horrenda Ioæ idololatria. p.266.col.1

Ioathanus.

Ejus laus, & præclara facta. p.268 col.1.& 270.

Iobus.

Jobi juſtitia adverſus improbos. p.111.c.1

Iojadas.

Pontifex an licitè Athaliam occidi juſſerit, atq; ejus virtus & animus. p.260 col 1 & 2

Quodnam illius regimen & politica. pag.262. col.2

Ejuſdem mors, & unde tanta mutatio. pag.263. col.1.& 2

Ioramus.

Unde tot ſcelera ejus & ruinæ. p.256.c.2

Ioſaphatus.

Qua ætate regnare cœperit. p.254.col.2

Quis Joſaphati nævus. p.256.col.2

Ioſias.

An ab omni culpa & cenſura ſit immunis. p.280 col 1.

Joſiæ virtutes, & unde illæ. ibid.

Quot & quænam illi objiciantur. p.281.c.1

Quam felix Joſias, & cur ejus filii tam miſeri. p. 282.col.2

Ira.

Iram ſibi theſaurizare quid ſit. p.21.col.2

Qua ratione curanda ſit ira mentis corruptrix. p.47.col.1

Iræ & amoris affectus quantopere ſint principibus vitandi. p.180.col.2

Iræ principum quid, quid veneres. ibid.

Iſthmus.

Iſthmi comparatio ad quid. p.78.col.1

Iucunditas.

Quomodo vinculum animæ ad corpus. pag.207 col.2

Ejus ſtatus & ſpecies. ibid.c.2

An ſit in ſpectaculis qualia fuere Ethnicorum. p.208.col.1

Quænam ſit præcipua jucunditatis vitæ ſocia, quænam mater. p.209.col.1

Ubinam ſit Chriſtianis expectanda. ibid.

Iuda

Digitized by Google

Iuda regnum.

Quàm miſeranda Regni Iudæ extrema. p.283. col 1

Iudæi.

Quare illis vetitum cum Ægyptiis commercium & in illis patriæ amor. p.224.col.1

Iudices.

Qua ratione à principe habendi. p.206.col.2

Conditiones judicum electorum quæ. pag 212 col.2

Iudicia.

Civilia quæ & quæ criminalia. p.232.col.2

Iudicium.

Quanta ſit vis judicii. p.38.c.1

A quonam ſit fax judicii. ibid.

Quanti momenti ſit diſcere de omnibus rebus bene judicare. ibid.

Judicium pueri quomodo firmandum. ibid.

Quænam prima fax judicii. p.39.col.1

Iudicium ut formandum. p.43.col.1

Iudicare.

Quantum præſtet conjungi Deo ad bene judicandum. p.44.col 2

Quænam ſit ars judicandi. ibid.

Iudicii capitales peſtes quot & quænam. pag. 45 col.2

Iulianus.

Imperator quomodo à Libanio perditus. pag.32 col.2

Abjecta religione quàm infelix. p.76.c.1

Iurare.

Quandonam debeat jurare princeps. pag. 49. col.2

Iuſtinianus.

Quo modo ſe ſe religioni immiſcuerit. pag.78. col.2

Iuſtitia.

Effectus juſtitiæ in adminiſtratione Regnorum p.27.col.1

Quanta ſit ejus magnitudo & utilitas. pag. 69. col.2

An juſtitia magis inclyti quàm armis Reges evadant. ibid.col.2

Qualis debeat eſſe zelus juſtitiæ in rege pag.79. col.1

Praxis juſtitiæ & juris notitia quodnam emolumentum afferant regi. ibid.col.2

Quanta ſit vis juſtitiæ. p.101 col.2

Corruptio juſtitiæ à S.Cypriano deſcripta. pag. 107.col.1

Quomodo providere juſtitiæ Rex debeat. ibid. col.2

Quinam juſtitiæ præfecturis digni. pag. 108. col.1

Iuſtitia Iobi adverſus improbos, qualis.pag.111. col.1

Quantopere commendet Principem juſtitię cura ſagaciſſima. p.180.col.1

Iuſtitiæ mirum in Camillo exemplum.pag.245. col.2

L

Legiſlatores.

Quales initio fuerint. p.23.col.1

Legum humanarum præpoſteritas quanta, & quid lex Moyſis præſcribit.ibidem.& pag.25. col.2.

Multarum legum congeries quantopere fugienda p.26.col 1 & 2

Legum multitudo quantopere noxia. pag.103. col.1

Quantopere cavendum ſit à legibus injuſtis. ibidem.

Obſervationi legum quantopere invigilandum ibidem.

Sua manu deſcribere leges quare Rex jubebatur. p.216.col.1

Qualis debeat eſſe legum zelus & obſervatio. p.101.& 102

Quandonam legum penuria laboratum, quando verò earumdem copia. ibid.

An expediat & ubi multas leges fieri. ibid.2

Quot & quas condere regnantes expediat. p.158 col.2

Lenitas.

Quàm maximè ſpectet ad Principes Chriſtianos. p.173 col.2

Leo.

Quanta fuerit Leonis decimi magnificentia. p. 112.col.1

Lex.

Chriſtiana quænam ſit, & cur videatur imperiis parum apta. p 4.col.1

Liberalitas.

Quàm amabilis in Principe. p 72.col 1

Qua ratione moderanda. p 73.col.1

Quodnam ſit deterrimum liberalitatis genus. ibid.

Lingua.

An poſt mentem, an ante mentem erudienda. p.38.col.2

Quo ſenſu mentis ſoror appellata. p.48.col.2

Quinam viri debeant eſſe linguæ potentes.pag. 49.col.1

Quomodo lingua Principis inſtituenda.ibidem col.2

Litera.
Quare olim ſuſpectæ dominantibus p.161.col.2
Decreta contra literatos. ibid.col.2
An, & quando literæ ſint perniciosæ civibus. p. 162 col 1
An uſus propter abuſum tollendus. ibid.
Adverſus oſores literarum. ibid.
Quomodo diſtinguenda pro ſtudiis literarum tempora. ibid.col.2
Quandonam eas Roma reſpuerit, quando adoraverit. ibid.
Quàm utilis educatio juventutis in literis. ibidem.

Literati.
Quomodo à Principe habendi. p.206.col.2

Loqui.
Quænam loquendi cauſſa. p.48.col.2
Qui loquaces, ibid.
Loquentium genera quot. p 49.col.2

Ludovicus.
Quanta fuerit S.Ludovici magnitudo. pag.100. col.1
Ludovici XI. prudentiſſimum conſilium. p.117. col.2

Lumen.
Lumini rebelles eſſe in Scriptura quid ſit. p.21. col.2

Lutherus.
Lutheri & Calvini quàm exitioſæ feces pag.84 col.2

Lyſander.
Lyſandri vox deteſtanda. p.200.col.1

M

Machiavel.
Suo ipſius exitu confutatus. p.77.col.1

Magnanimus.
Quales ſint magnanimi convictus & mores. p. 64.col.2
An liceat Magnanimo diſſimulare. ibid.col.2
An deceat Magnanimum ſuo ſenſu & arbitrio omnia gerere. p. 65.col.2

Magnitudo.
Quænam ſit prima lex magnitudinis. pag. 63. col.2
Quænam ſecunda, tertia, &c. p.64 & 65.col.2
Quænam ſint comites magnitudinis, & quænam prima ac præcipua. p.66.col.2
Quænam ſecunda, &c. p.69.col.1

Mahumetes.
Ad quid miſſus. p.9.col.2

Manaſſes.
Quænam fuerint cauſſę corruptionis illius Principis. p.277.col,2
Quantæ illi ad malum illecebræ. ib.col.2
Quam cita punitio. p.278.col.1
Manaſſis pœnitentia admiranda. ibid.col 2
Liberatio quoque mira. p 279.col. 1
Tertium mirandum quodnam. ibid.

Mare.
Quanto uſui Regibus, præcipuè Auguſto. pag. 149.col 1

Martichora.
Quænam, & quibus de rebus tela faciant. p.204 col.2

Mens.
Humana mundi regina quoſnam habeat adminiſtros. p.38.col.1
Quænam ſit ſumma bonæ mentis. p.40.col.2

Mentiri.
An liceat aliquando. p.199.col.1

Metellus.
Illuſtre Metelli exemplum de diſſimulatione.p. 200 col.2

Michael.
Profanus imperator a quibus laceratus. pag 76. col 2

Milites.
Strenuorum militum quantus honor. pag.236. col.2
Illorum delectus quantum juvet. ib.col 1
Quinam à prælis rejecti. ibid.col.1
Quam liberi debeant eſſe à flagitio. ibid.
An milites in caſtris legibus cæremonialibus abſoluti. ibid.col.2
An ſabbato planè ab armis ceſſare debuerint. ibidem

Miltiades.
Ejus lenitas quantopere à S. Auguſtino laudata, p.88.col.1

Miniſtri.
Diſcernere ingenia miniſtrorum quàm ſit arduum. p.44.col.1
Rationes quibus unus ſummus miniſter aſſeritur. p.131.col.2
Quot numero eſſe debeant. p.135.col.2
Qui cavendi & pernicioſi. ibid.
Qui omnium deterrimi. p.136.col.1
Eorum diſtinctio. p.140.col.1
Quomodo miniſtri maximè noceant Regibus. p.171 col.1
Quanti ſit momenti Miniſtrorum delectus, & in eos continuati expediat. p.180.col.2

Miſſa.
Et Authoritas Pontificis duo præcipua totius cum hæreticis controverſiæ capita. pag. 91. col.1

Qui-

Digitized by Google

Quibus rationibus Miſſa defendatur. pag. 91. col.1

Moderator

Quales eſſe debeant Moderatoris virtutes, & an multi adhibendi. p.32.col.2

Mæcenas.

Ejus ſapiens conſilium. p.85.col.2

Monarchia.

Quibus rationibus præſtantiſſima omnium dominationem probatur. pag. 17. & 18, col. 2.

Rabbini Monarchiæ inviſi quinam. p. 212.col. 1.

Moniales.

Quantopere Eccleſiæ utiles. p.96.col.2

Motus.

In regnis unde ſæpiſſime oriantur. p.150.col.1

Mulier.

Quàm ſævus hoſtis. p.45.col.2

Mundus.

Quotuplex mundi motus ex Platone. pag. 21. col.1

Unde ejuſdem corruptio. ibid.col.1

Reformatio mundi per quid facta. ibid.

Quo maximè modo ſtet. p.110.col.1

Mutatio.

Quàm ſit periculoſa. p.102 col 2

N

Nabuchodonoſor.

Cur Deus Nabuchodonoſori vectigalia pendi voluit, Pharaoni denegavit. p.187.col.1

Natura.

Qualiſnam ſit naturæ poteſtas. p.17.col.2

Felix natura ſine duce quantum damnoſa. p 30. col 2

Naupactum.

Qua ratione Chriſtianos Sultanis terribiles fecerit. p.149.col.2

Qualis fuerit Neronis educatio. p.23.col.1

Nobiles.

Quomodo à Principibus habendi. p.206.c.1.&2

Numerius

Et Valerianus imperatores qua ratione ſua exhauſere. p.204.col.2

Nummi.

Cruore ſtillantes ubinam & à quo viſi. pag.145. col.1

O

Ochoſias.

Quàm miſerè à matre impia & Achabi miniſtris obſeſſus. p.259.col.1

Quanta ipſius impietas & turbida conſilia ibidem.

Ejus & Jorami cædes. ibid col.2

Officiales.

Magna & incondita Officialium congeries quãtopere regnis peſtifera. pag.140. col 1

Quam indigni Principe famelici & rapaces. ibidem col.1

Quantum ſit in officialibus momenti. ibidem col.2.

Quomodo à Principe habendi. p.206.col 2

Ordines.

Quantum curandi ſint Principibus omnes Ordines, & beneficiis demerendi. p.206.col.1

Orientales.

Qua ratione regi debeant, & quales ſint. pag. 173.col.2

Othomani.

Ambitio eorum & ortus. p.11.col.1

Unde Othomanis ut cæteris imperiis exitium. ibid.col.2

Ozias.

Quam maximè ob rem laudetur in ſacris literis p.148 col.2

Unde Oziæ & tot Regibus appetentia Sacerdotii cum regno nectendi. p.266.col.2

Quis fuerit illi conſiliarius, & quæ laudabilia ejuſdem facinora. ibid.col.2

Nævus ejus quis & qualis. p.267.col.1

Oziæ præſumptio & pœna. ibid.col 2

P

Pagani.

Quis primus Paganorum exercitum contra fideles duxerit. p. 156.col 1

Papinianus.

Qualis fuerit Papiniani conſtantia. pag. 138. col.1

Patientia.

Quænam ſit patientia regia, & quàm regium pati. p.85 col.1.& 2

Paulus.

Pauli IV. motus in Philippum. pag. 83. col. 1.

Pauperes.

Sinarum & Turcarum cura circa rem pauperum quanta. p.98.col 1

Conſtitutio ſub Henrico II. in favorem pauperum. ibid.col.2

Pax.

Quantum & ad quid utilis. p.205 col.2

Pericles.

Deteſtanda fraus Periclis. p.200.col.2

Pharao.

Cur Deus Nabuchodonoſori tributa pendi voluit, Pharaoni denegavit. p 187.col.1

Pietas,

Pietas.

Qualis ſit pietatis ſenſus & cultus. p.39.col.1
Quænam pietas impia poſſit appellari. ibidem col 2
Dejecta nimis pietas quantopere declinanda. ibid.2.
An Principis pietas ſit tantum in actis exteriori-bus. p.40.col.1
Quænam ſint vera Pietatis exercitia. pag. 55. col.1
Quomodo Pietatis ſpecimen faciat deteriores. p.126.col 2
Qualis eſſe debet Pietas in Rege. p.169.col.1

Politia.

Quænam ſit optima. p.45

Politici.

Quorumdam Politicorum Regnandi forma p. 24.col.1
Quidam Neoterici quomodo mores tyranni exprimant. p.171.col.2
Quinam novorum affectatores. p.178.col.2
Quinam omnia miſceant. ibid.
Error eorum & confutatio. p.75.col.1

Pontifex.

Quanta debeat eſſe ſummi Pontificis reveren-tia. p.80.col 2
Infelicitas imperatorum Pontifici reluctantium p.81.col.1
Quàm malis ſæpe artibus incenduntur ab aliis Principib. ibid.col.2
Quomodo ſe gerere debeant Principes erga Pontifices iratos. ibid.
Quid ſi nullis obſequiis placari, ſed ſævire Pontifices erga innocentes velint. pag. 82. col 1
Summus Pontifex aſſeritur. p 91.col.2
An Pontifices & Prophetæ Regem adoraverint. p.226.& 227.col.2. & 1
Quanta Pontifici authoritas in divinis.pag.227 col.1
Ejus privilegia. ibid.
An David uſurparit munus Pontificis. pag.228. col.1
An Ephod tulerit. ibid.col.2
Pontificum & Regum poteſtas quomodo divi-ſa. p.22.col.1

Populi.

Dei regimen quale. p.2.col.2
Quàm diverſa populorum conditio. pag. 143. col.2
An Regum fuerit olim populos alere. pag. 144. col.2
Quantum dedecus, Reges qui patris populi ſunt, fieri ejus homicidas. p 145.col 1
Qua ratione à Principe habendus populus.pag. 206. col.2.

Porci.

Unde greges porcorum in Judæa, ſi prohibe-rentur alere. p.237.col.1

Poſſidius.

Quam ob rem à S. Auguſtino reprehenſus. pag. 208.col.1

Potentia.

Qua ratione à Deo ordinatæ. p.222.col.1

Præceptores.

A quonam appellati Animorum Patres, & quan-tus delectus in præceptoribus adhibendus. p. 31.& 32.
Impii præceptores quantopere cavendi ibidem. col.2

Principes.

Unde tam pauci Principes inter Chriſtianos be-ne morati deprehenduntur. p 28 c.1
Quænam ut plurimum mala Principum educa-tio. p 22.col 2
Magis fieri quàm naſci Principes quibus ratio-nibus probetur. p.30 col.1
An Principis pietas debeat tantum eſſe in actis exterioribus. p.40.col.1
Quales habere debeat de Deo ſenſus. ibidem. col.1
Rationes adverſus literatos Principes. ibidem. col.2
Pro eruditis Principibus argumenta. pag. 41. col.1
Authoritas pro literatis. ibid.
Reſpondetur objectionibus. ibid.
Qua ratione moderanda Principum ſtudia p.42 col.1
Quid & quomodo diſcant. ibid.
Quantopere cavendum ne nimis ſtudeant. ibi-dem.
Quam maturè inculcandum Principi officium. p.44.col.1
Res & homines noſſe quantum Principis referat ibid.col.1
Quantum cavere debet ne in minutis & levibus occupetur, & quænam debet eſſe occupatio. ibid.
Amoris inconſulti damna quanta ſint in Princi-pe. p.45.col.2
Quàm fatales ſint Principibus gratioſi. pag.46. col.1
Et quodnam ſit adverſus hoc malum remedium ibid.col.1

Quo-

Digitized by Google

Quomodo inſtituenda lingua Principis. p. 49. col. 2. & 51. col. 2
Victus qualis. p. 60. col. 1
Qualis prudentia eſſe debeat in Principe. p. 67. col. 2
Qualis fortitudo, & quomodo maxima faciat. p. 68. col. 2
Quantopere expediat Principem eſſe bellicoſum. ibid.
Ut pugnandum ſit Principi. p. 69. col. 1
Quare magna & perpetua lectio Principis eſſe debeat. p. 70. col. 1
Quantopere optandum ut Princeps in lenitatem potiùs quàm in ſeveritatem inclinet. ibidem. col. 2
Severorum Principum dira vaſtitas. pag. 71. col. 1
An Principem deceat frugalitas. p. 72 col. 1
Avarorum Principum exitus quàm funeſti. ibidem.
Prodigioſa tenacitas in opulento principe, & unde. ibid. col. 2
Ut formandus ad liberalitatem juvenis princeps ibid. col. 2
Principes in unum prodigi quàm ſæpe omnibus injurioſi. p. 73. col. 1
Quotnam ſint Principis præcipuæ functiones. p. 74. col. 1
Undenam Principibus cupiditas tractandi ſacra, & quantopere metuenda. pag. 77 & 78. col. 1. & 2
Quomodo pro Religione ſatagere Principes debeant. p. 79. col. 2
Quomodo ſe gerere debeant Principes erga Pontifices iratos. p. 81. col. 2
Quanta vi opus Principi ut beneficia legitimè diſtribuat. p. 94. col. 2
Cautio Principis in eo qualis eſſe debeat. pag. 95 col. 1
Quinam fuere pauperum miniſterio glorioſi. p. 98. col. 1
Quinam ſit optimus Principatus. p. 101. col. 2
Quantopere Principi cogitandum ſit de clementia, & quinam Principis clementia digni. p. 111. col. 2
Quam manſuetus eſſe debeat ſuis ipſius injuriis. ibid.
An ex ſolo ſuo nutu Princeps juſtè bellum aggrediatur. p. 119. col. 1
Quid facere debeant Principes qui jam uni omnia credidere, juxta Ariſtotelem. pag. 135. col. 1
Quomodo illis conveniat amare. ibid.
Quomodo Principes opulentiam aſſequantur, & ſervent. p. 147. col. 1
Prima circa perſonam Principis cura quænam eſſe debeat. p. 148 col. 1
An ſint Catholicæ novæ ſectæ Principibus jungendæ. p. 159. col. 1
An conjugia Principum etiam curanda. pag. 161. col. 1
Quinam maximè Principes authoritate prævaluere, quales ſine authoritate. p. 165. col. 1
Quare tam pauci inter Hebræos Principes memorandi. ibid.
Quandonam probi authoritate deſtituti. p. 166. col. 1
Bonorum Principum poteſtas qualis eſſe debeat p. 172. col. 1
Sapientiſſimi Principum qua moderatione authoritatem diſpenſent ibid col. 2
Quidnam faciat verendos Principes. pag 169. col. 1
Sapientiſſimi Principum qua ratione authoritatem diſpenſent. p. 172. col. 2
Quantopere pertineat ad Chriſtianos Principes lenitas, contra vero ſævitia eradat imaginem Dei in Principe. p. 173. & 174. col. 1. & 2.
Benevolentia Principum quomodo victrix & dominatrix omnium. p. 175. col. 2
Sævi Principes quomodo exhauriant regna. p. 176 col. 2
Juſtitiæ cura ſagaciſſimâ quantopere Principem commendat. p. 180. col. 1
Iræ Principum quid, quid veneres. ibidem. col. 2
Stabiliendæ Principum ſecuritati quantopere ſtudendum. p 181 col. 1
Quàm execrabile portentum in vitam Principis conſpirare. ib. col. 1
An tutius pupilli Principes matrum tutelæ committantur. p. 182. col. 2
Quanto ſtudio cavere debeat à ſuſpicionibus adverſus inſontes. p. 183. col. 2
Piorum & prudentium Principum conſilium circa bellorum cauſas. p. 184. col. 1
Quomodo ſe gerere debeant Provinciæ in Principum contentionibus. p 185. col. 2
Quantopere timendum numen Principibus adverſus plebem acerbis. p 186. col 2
Quid facere debeant Principes ubi habent æmulos ſuæ gloriæ. p. 241 col 2
Malorum Principum exempla quibuſnam rebus comparata. p. 201. & 202. col 1. & 2.
Diſſoluti luxu Principes quibus periculis pateant. p. 202. col. 1

Contubernium & comitatus Principis quantum ad ejus famam conferat. ibid.
Quibuſcum illis maximè pugnandum. ibidem col.2
Et quomodo honeſtè regnent. p 203.col.1
Quam miſera ſors imbellium Principum. p.283. col.2

Providentia.

Et placita Dei defenduntur p.282.col 2

Provincia.

Quomodo ſe gerere debeant in Principum contentionibus. p.185.col.2

Prudentia.

Quid ſit, & quare debeat eſſe comes magnitudinis. p.66.col.2
Quare in Rege debeat eſſe ſapientia. ibidem. col.2
In quo conſiſtat & cui rei comparetur. pag. 67. col.1
Quænam ſit ejus praxis. ibid.
Qualis debeat eſſe prudentia in Principe. ibidem. col.2

Pueri.

An rectius à parentibus noſcantur. pag. 34.col. 2.

Pugebrachius.

Scelus illius immane in Ladiſlaum adoleſcentem quodnam fuerit p 182.col.1

Pulcheria.

Theodoſio fratri quàm ſtudioſe affixa. ibidem. col.2

R

Regina.

Quam bene cum Regnis agatur, ubi Reginæ optimæ plurima poſſunt. p.160.col.1
Quàm reverenter habendæ. pag 161 col.1

Regnare.

Quàm miſera Regnantium conditio. pag. 14. col 1
A quo ſint paranda Regna. ibid col.1
Quotuplex via ad Regna. ibid.col.1
A quibus petenda ſint Chriſtianis regnandi præcepta. p.172.& 173 col. 2 & 1
An ſeverè regnari oporteat, an manſuetè. ibid. col 2

Regna.

Undenam Regnorum viciſſitudo, & varietas gubernandi. p.17.col.1
Quàm deteſtanda regni forma quæ ſæva & immitis & qualis eſſe debeat. p.27.col.2
Quænam ad tutelam Regni neceſſaria. pag.148. col.2
Regna per fœminas converſa. p 159.col.1
Quænam eſſe debeant prima Regnorum fundamenta. p.175.col.1
Per vim Regnantes quibuſnam ſimiles ſint.pag. 175.col.2
Qua ſæpius ratione proſtrata fuerint regna.pag 189.
Quænam ſit potiſſima regnorum tutela, & è contra peſſima corruptrix. pag. 189.& 190. col.1.& 2

Reges.

Qua ratione ſint imagines Chriſti Domini, regna verò Monarchiæ cœleſtis expreſſiones. p.1 col 1. & 2
Quotuplici modo dantur à Deo. p.2.col.2
Naſcentium Regum felicitas quanta. pag. 15. col.1
De pueris Regibus objectio diſſolvitur.ibidem. col.1
Reges pueri an ſemper infauſti. ibid.col.2
Regiæ adminiſtrationis quantus ſplendor, & utilitas. p.19.col.1
Qualis debeat eſſe ut ſit omnium optima. p. 20. col.1.
Poteſtas Pontificum & Regum quomodo diviſa p.21.col.1
Quid populis ſuis debeant. ibid col 1
Quanta regendi hominis difficultas. p. 23.col.1
Et quàm varii modi. ibid.
Qualis ſit ſervandus optimus regendi modus.p. 26.col.1
Optima regendi forma quomodo expreſſa.ibid col.1
Mores Regum quo ſenſu ſunt fata populorum. p.28.col.1
Regum optimorum nomina in brevi annulo poſſe geſtari quo ſenſu dictum. ibid.col.1
Quam multi in regno Dei perverſi. ibidem. col.2
Unde tanta bonorum Regum raritas. pag 29. col.1
Unde factum eſt ut Reges fundatores alicujus imperii fuerint optimi; & poſteri degeneraraint. p.29 col.1.& 2
Quænam ſit Regis poteſtas. p.103.col 2
Quomodo datus homini. ibid.
An ſit de jure naturæ poteſtas regum in ſubditos p.104 col.1
Quomodo uti poteſtate Rex debeat. ibidem
Rex injuſtus & violentus an ideò à populis abdicandus. ibid.col.2
Jus regum juxtà Samuelem ut intelligendum. ibid.

Quid

Digitized by Google

Quid populi Regibus debeant. p.195.col.1
Officium Regis erga ſubditos. ibid col.2
Cur Reges in clypeis, dum inaugurarentur, delati. ibid.col.2
Moſis de Rege ſenſus quis. ibid col.2
Regis Galliæ Sacramentum quodnam ſit. ibid. col.2
Officia Regis. p.106.col.1
Regum munia quàm diſtinctè à Navarro explicata. ibid.col.1
Quantopere cavere Reges debeant, ne cum ipſi ſint moderati, famulos perverſos habeant. ibid.col.1
Quænam prohibere debeant. ibid.col.2
Reges unde inclyti & venerandi. ibid col.2.
Quomodo providere juſtitiæ Rex debeat. pag. 107.col.2
Quibus de cauſis uni prolixius impendere quid. quid de publico decidit, Regis perſonæ ſit exitioſum. p.133.col.1.& 2
Quam miſeranda conditio Regis qui multorum ſapientum conſilia refugit. p.103.c.2
Quàm multi gratioſi Regibus ſuis formidabiles. p.134.col 1
Quomodo amare illis conveniat. p.135.col.1
Quàm contempta res eſt Rex pauper. pag 142. col 2
Qua ratione Reges numquam pauperes erunt. p.143 col.1
Num gratis regnare debeat. ibid.col.1
An Reges ſint domini omnium bonorum quæ ad ſubditos pertinent. p.172.col.1
Quàm ſtudioſè cuſtodiendi ſint Reges pueri & factiones tutorum obſervandæ. p. 181.col. 2.
Grande ejus rei in Antiocho exemplum. ibidem.
Quænam ſit prima Regis ſecuritas. p.193.col.2
Qualis ſit rex qui eſt ex mente Dei. p.194.col.1
Inſtitutio Regis qualis à Deo præſcripta. ibidem.
Quid Rex faciat divinis formatus inſtitutis. p. 195.col.1.
Reges quomodo maximè divites & glorioſi. ibid col.2
Quibus artibus reges maximi evaſere. pag.196. col.1
Optimus quibuſcum pugnare maxime debeat. p.202 col.2
Qua ratione ſplendidum ſe & verendum reddat ibid.
Quandonam honeſtè regnabit. pag. 203.col. 1.
Quidnam diſcernat regnantes bonos à malis p. 204.col.1
Ægyptiorum mos laudabilis in judicio de regibus ferendo. ibid.
Quàm peſtiferum ſit ſtrepitum amare in regnando, & moderationem fugere. ibid.
Utilis regni argumentum in quo conſiſtat. pag. 205.col.2
Quot & quas leges condere regnantibus expediat. ibid.col.1
Quid ſit utiliſſimum ad regnum componendum ibid.col.2
Quàm ignominioſum in regno aliquos pecudibus miſeriores vivere. p.206.col.1
Typus regni Dei. p.207.col.2
Rabbini Regiæ poteſtatis inimici quinam. pag. 210.col.2
Quibus rationibus & contra quos aſſeratur regia poteſtas. p.211.col.1
Præceptum Dei dè Rege conſtituendo. ibidem. col 2.
Regum Excellentia. ibid.2
An Reges jure omni exoluti ut pro libidine omnia illis facere liceret. p.217.col 2
Quomodo intelligenda verba Samuelis de jure Regis. ibid.
Quid cenſeat D. Thom. de jure Regis. p.218. c.2
Quæſtio de Davide. p.219 col.1
Rex an ſubditus Moſaicæ legis præceptis, & ad quid primò inſtituti Reges. pag 219.& 220. col.2.& 1
An divitiæ Regum magnæ & multæ ſint laudandæ. ibid col.2
Regis ſine opibus miſeria. p.221.col.2
Status præſens Regum, quare antiquæ frugalitati vix aptari poſſit. p.222.col.1
Regis magnificentia ubinam expreſſa. pag.226. col 2
Inſignia Regis poſt captivitatem quæ. ibidem. col.2
Honor Regum quantus. ibid.
An Pontifices & Prophetæ Regem adoraverint. ibid.col 2
Quænam alia Regis eminentiam commendent. p.227 col.1
An rex religioni & cæremoniis præfuerit. ibid. col.2
Quare Reges dicti ſunt Benefici. p.229.col 1
Populi quomodo Regibus dati. ibid.2
Quomodo expreſſa olim Dei imago. pag 230. col.1.
An fuerint imagines Regum in menſa panum propoſitionis. ibid.col 1

Digitized by Google

Notabilis conſuetudo in nativitate Regum. ib. col.1
Votum Hebræorum pro Rege. ibid.
Rex primùm in thronum aſcendens quibus monitus acclamationibus. p.231.col.1
An penes regem ſumma juſtitiæ authoritas. ibidem.
An juſſu ſuo ſine formulis judicii Reges potuerint occidere. ibid.col.1
Rationes cur tam perverſi Reges in populo Dei. p.238.col.2
Cauſæ particulares corruptelæ Regum Judæorum quot & quæ. p.239.col.2
Regum præceptores qui. p.240.col.1
Regis filii quantum honorem debeant matribus p.253.col.1.& 2
Fratrum amor in Regibus Galliæ commendatur. p 257.col.1
An Regum fuerit infeliciſſimus qui peſſimus. ibid.
Utrùm plus noceat malum conſilium cum bono Rege, quàm malus Rex cum bono conſilio. p 258.col 2
Unde tot Regibus appetentia ſacerdotii cum regno nectendi. p.266.col.2
An Reges fuerint olim ſacerdotes. p.267.col.1
An præſtabilior ſit Rex innocens & juſtus domitore urbium. p 268 col.1
Quanta res in Regibus pœnitere. pag.278.col.1
Quam rarum ſpectaculum Rex innocens. p.280 col.1.

Religio.

Quantopere neceſſaria ad gubernandum. p. 27. col.1
Chriſtiana quantum aliis ſectis prævaleat. p.74. col.2
Quantum poſſit ad ſtatum vel juvandum , vel proſternendum. p.85 col.2

Reſpublica.

An poſſit diu & feliciter conſiſtere. p.19.c.1
Quomodo à Platone deſcripta p. 23. & quænam ejus optima forma. p.25.col.1

Reſtitutio.

Quænam à Reſtitutione excuſent ſecundum Navarrum. p.115.col.1

Reus.

Notabile Rei dictum ſub Hadriano. pag. 114. col 1

Rhodanus.

Pœna Rhodani gratioſi. p.111.col.1

Robertus.

Roberti Francorum Regis Epitaphium laudatiſſimum. p.173.col.1

Roboam.

Qualis fuerit illius ſtatus ſub regni ingreſſum. p.249.col.2
Quot annis natus regnare inceperit, & quot annis regnaverit. p.250.c.1

Roma.

Antiqua quo tempore multum habuerit juſtitię p.24.col.2

Romani.

Propter quid citius puniti. p.190.c.1
Graves Romanorum injuſtitiæ à quo & ubi comprehenſæ. ibid.
Spoliatio imperii Romani miſeranda quandonam contigerit. p.191.col.1
Romæ fatum & duratio. p.192.col.2
Roma longæva arbori quare comparata. ibidem.

Rota.

Cæleſtis quid appelletur. p.11.col.1

Rufinus.

Qua ratione ſe geſſerit in tutela Arcadii imperatoris. p.112.col.1

S

Sacerdotes.

Quantus eſſe debeat ſacerdotum honor. pag.80 col.2
Etiam falſis ſacerdotibus quantum honorem impenderit Joſephus Patriarcha. ibid.
Quanta fuerit apud antiquos Sacerdotum authoritas. p.125.col.1
Quales fuere Sacerdotes qui laudabiliter clavum in aula tenuere. p.128.col.1
Quantum mali à pravorum ſacerdotum regimine invectum. p.129.col.2

Sevitia.

Quomodo eradat imaginem Dei in Principe. p. 174.col.1
Quantum majeſtatis ludibrium per ſæva quæque Dei ſpeciem exprimere. ibid.col.1
Macedonum reges quàm ſævi. ib.col.2
Quinam ſint magis ſævi, & quantam ſui veneni partem bibant. p.175.c.1
Qua ratione ſævi Principes ſua exhauriant regna. p.176.col.2
Quales ſint qui per ſævitiam meliùs regnare putant. ibid.
Rationes pro ſeveritate & motu proponuntur & refutantur. p.177.c.1

Salomon.

An peccarit in immenſa ſuarum divitiarum copia. p.221.col.2
Quare damnantur in Salomone divitiæ quæ in Ezechia probantur. p.222 c.2

Men-

Menſæ ejus & profuſio in omnibus an contra Dei legem. p.225.col.2
Quænam fuerint Salomonis ornamenta & virtutes. p.246.col 1
Vitia Salomonis. p.247.col.1

Sapientia.

Quænam ſit origo ſapientiæ. p.66.col.2
Sapientiæ laus. p.163.col.1

Saul.

Quænam fuerit prima laus Saulis. p.240 col.1
Cuinam primum ſe morigerum prębuit. ibidem col.2
An inceperit diſſimulare ſimul ac regnare. ibidem.
Quanta fuerit ejus cautio & modeſtia, & aliæ quænam in eo virtutes. ibid.
Vitia Saulis quæ, & quæ prima labes. pag. 241. col.1, & 2.

Schola.

Quantum utiles Eccleſiæ. p.97.col.1

Scriptura.

Honor quantus eſſe debeat. p 216.col.1

Secta.

Sectarum occultarum novitas quot reges paulatim regno exuit. p.189. & 190.col.1. & 2

Seditio.

Quàm varia ſeditionum genera. p.186.col.1
Frequentiſſimæ ſeditionum cauſſæ quænam ſint. ibid.col.2
Quodnam eſt optimum remedium. ib.col.2
Seditiones motæ ut compeſcendæ. pag.187.col. 1.
Popularis qualiter ſedanda. ibid. & ſeq.
Militares ſeditiones ut exarmandæ. ibidem. col.2
Nobiliſſima exempla apud Tacit. ibid.
Quænam viæ efficaciores. p. 188.col.1
Quænam capitaliſſima ſeditio, & ejuſdem exemplum. ib.col.2
Galbæ in ea errata. ibid.

Septemtrionales.

Populi quare domini terrarum. p.10.col.2

Sepulchra.

Unde Lucernæ in ſepulchris. p.281. col 1
Hæretici de ſepulchris extracti quinam. ibid. 2.

Sermo.

Qualis eſſe debeat in principe. p.52.col 1

Sculphus.

Quis fuerit, & ſub quo Cancellarii partes egerit p.130.col.1

Silentium

Qua ratione ſepes ſapientiæ. p 38.col.2

Sina.

Quanta Sinarum cura erga pauperes, & quare accuſatores noſtri futuri. p.98.col.1

Societas.

Peſſimæ ſocietatis quàm horrenda mala. p.259. col.2.

Spartani.

Reipublicæ Platonicæ quantum affines. pag.14. col.1

Spectacula.

Quænam Principem deceant. p.203.col.1

Spes.

Quomodo virtutum dulciſſima. p.55.col.2

Subditi.

Quid in ſubditis noſcere oporteat imperantem p.178.col 2

Suilla.

Cur & an comederetur in caſtris Judæorum. p.237.col.1

Summum.

Quare Deus non permittat aliquid eſſe in rebus humanis ſummum ſine modo. pag. 172. col.2

Sumptus.

In quibus rebus à Principe collocandi. pag. 203. col.1

Supplicia.

Apud Judæos quàm varia, & quænam eſſent. p. 233 col 1

Suſpicio.

Quantopere cavere à ſuſpicionibus Princeps debeat. p.183.col.1. & 2

Synedrion.

Apud Rabbinos cujus authoritatis. pag. 212. col.1
Quale fuerit illud ſynedrion. ibid.

T

Taciturnitas.

Qualis debeat eſſe in Principe. p 48.col.2

Tamerlanes.

Qua ratione filium inſtituerit. p.36 col.2
Tamerlanis dictum providum. p.148.col.2
Quam ob cauſſam à bellis quieverit. pag.204. col.2.

Tempora.

Quid in obſcuris temporibus, & caſibus ancipitibus faciendum. p.137.col.2

Terrena.

Communione ſui quantopere minuantur, Deus verò ſui diffuſione commendetur. pag.2

Digitized by Google

Themiſtocles.

Themiſtoclis & Cleonis quàm varii agendi modi. p.180.col.1

Theodoſius.

Quàm bene providit tutelæ Arcadii & Honorii, & cuinam illos commiſerit. pag. 182 col. 1.

Tiberius.

Qualis in tributo exigendo & in aliis. pag. 145. col.1

Qua de cauſa à ſuis toleratus. p. 177. & 178.col. 2 & 1

Quantopere Tiberius prudentior in ſeditionibus. p.189.col.1

Quàm pudenda vita & infirmæ artes Tiberianorum & Machiaveliſtarum. p.196.col.2

In quibus rerum novatoribus melior Tiberius ibid.

Artes Tiberianæ expenduntur. p.197.col.1

Quàm infirmus & infelix Tiberius in hac ſua arte fuerit. ibid.col.1

A quanam femina triumphatus. ibid.col.2

Timor.

Quiſnam ſit Timoris nimium acris effectus. p. 176.col.2

Trajanus.

Quanta fuerit hujus imperatoris ambitio p.99. col.1.

Tribulatio.

Quantum Regni Dei myſterium. p.8.col.2

Tributa.

Jus tributorum & neceſſitas quænam. pag.143. col.1

An lex divina præſcribat. ibid.

Quinam primum tributo ſubditi. ibid.col.2

Tributorum immoderata ratio quam capitalis regnis peſtis. p.144 col 1

Quàm modicus in tributo Tiberius, etiamſi natura ſævus. p.145 col.1

Neceſſitas tributorum quantopere expendenda an vera ſit. ibid.

Quid in neceſſitate pii Principes fecere circa tributa. ibid.col.2

Tributa nimia quibuſnam maximè fuere funeſta. ibid.col 2

Quot rebellionum cauſſæ. p.146.col 1

Cur Deus Tributa Nabuchodonoſori pendi voluit, Pharaoni denegavit. p.187 col.1

Quænam Tributorum ratio apud Judæos. pag. 223.col.1

Turca.

Quanta Turcarum cura erga pauperes, & ubi accuſatores noſtri futuri. p.98.col.1.& 2

Turcicum.

Imperium cur adeo magnum. p.8.col.2

Quomodo Chriſtiani illud fecerint. p. 10. col. 2.

Alia ejus ratio quænam, & alia. pag.10. & 11. col 2.& 1

Tutores.

Tutorum regis pueri factiones quantopere timendæ. p.181.col.2

Grande ejus rei in Antiocho exemplum. ibidem.

Quàm bene providerat Theodoſius Imperator p.182.col.1

Sanctus Ambroſius tutor juniorum Imperatorum quomodo ſe habuerit. ibid.col.1

Factio Rufini & Eutropii in aula orientali. ibidem.

Stiliconis in occidentali.

Tutorum perfidia quantopere execranda. ibidem.

An rurſus pupilli Principes matrum tutelæ committantur. ibid.col.2

Tyranni.

Quàm tetra tyrannorum regna, & quàm diſpar ab iis aula optimi Principis. pag. 207. col.1

Cur tyranni admodum ſævi non ſemper ferro, ſed morbo conficiantur. pag 257.& 258.col.2 & 1

An tyrannis occiſis res vertantur in melius. pag. 262.col.1

An tolerentur aliquando utiliùs, quàm perimantur. ibid col.1 & 2

Qualis ſit Tyrannorum vita. p.279.col.2

Tyrannicus.

Status infeliciſſimus quàm aptè deſcriptus. pag. 176.col.1

V

Valerianus.

Et Numerianus Imperatores qua ratione ſua exhauſere. p.204.col.2

Vanitas.

Quam ſæva mentis corruptrix. p.47.col.2

Venalitas.

Officiorum an probanda. p.107.col.2

Rationes pro venalitate. ibid.col.2

Contra venalitatem. p.108.col.1

Quàm mali à venalitate mores & exitus. p. 109. col.1

Venatio.

Ut tractanda maximè Principi. p.60.col.1 & 2

Verbum.

Verba quibuſnam rebus ſimilia. p.49.col 2

Verboſi

Digitized by Google

Verboſi ſine operibus quales habendi, & quibuſnam ſimiles. p.53.col.2

Virtus.

Ordo amoris à quo appellata. p.54.col.2
Quare ſæpius careat ſucceſſu. p.100.col.1

Vita.

Quot & quinam vitæ cardines figendi, & quot genera. p.43.col.2

Unctio.

Hebræorum qualis fuerit. p.213.col.2
Quanti fuerit apud illos. p.214 col.1
Minores ſacerdotes qualiter uncti. ibid.
Unctio à ſacerdotib. ad reges traducta quid deſignarit. ibid.
An Imperatores uncti. ibid. col.2
Forma regis ungendi quænam. ibid.
Quare ad fontes unctus. ibid.
Quis unctionis character. ibid.
Balſami unctio qualem potentiam denotarit. p.215.col.1
Saul & Jehu cur lenticula tantum uncti, ibidem col 1
An una unctio toti proſapiæ Regum ſuffecerit. ibid.
Quandonam defecerit. ibid. col.2

Voluptates.

Quàm periculoſæ Principi. p 59.col.1
Earum vilitas & venenum. ibid. col.1
Quales à Principe attrectandæ, & populo concedendæ. p.208.col.1

Urim.

Et Thumim quid apud Judæos, & an per urim Rex indicatus. p 213.col 1
Qualiter per Urim Dei mens indicaretur. ibid. col.1

Vuiclephus.

Quo tempore vixerit, & quibus hæreticis ſucceſſerit. p.84 col.2

X

Xenodochia.

Utrum Baſilicis utiliora. p.98.col.1

Z

Zelota.

Quam ob cauſam omnia perdidere. p.143.col.1

Zelus.

Saulis quis, & in quæ facinora ejus Zelotypia eruperit. p.242.col.1

FINIS INDICIS.

Digitized by Google

APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV.

EGo STEPHANUS CHARLETUS Provincialis Societatis Jesu, in Provincia Franciæ, poteſtate ad id mihi facta, ab admodum Reverendo Patre noſtro Præpoſito Generali VINCENTIO CARAFFA, facultatem concedo, ut P. NICOLAI CAUSSINI è Societate Jesu ſacerdotis *Libri de Regno & Domo Dei*, trium eruditorum ex eadem ſocietate noſtra judicio approbati, typis excudantur. Datum Pariſiis, anno 1649. Iunii die 20.

STEPHANUS CHARLETUS.

APPROBATIO DOCTORVM.

DEI Opt. Max. ſideribus dominantis nutu factum eſſe opinor, ut huic operi concipiendo, qui non defui, eidem in lucem edendo fidem præbeam. Hujus author, cujus ſcripta notiora ſunt quàm nomen, licet commendatiſſimum, *Lupara* ſanctioribus curis expeditus, in noſtram aſportatus Aremoricam, non ſolùm conſtantiam, & animi tranquillitatem non reliquit, divinarumque rerum ſtudium non amiſit, ſed quæ eum ſequutæ fuerant omnes virtutes Chriſtianas, omnibus ſupra hominum fidem impertiri ſtuduit: Novam Curiam ſanctam inter Teſca Coriſopitenſium aperuit, linguam quæ Aulam docuerat, quæque inter Principes loquuta fuerat ſapientiam, & aures quas Regi Chriſtianiſſimo exomologeſim facienti commodaverat, non minori, ſed frequentiori alacritate, & laudabiliori facilitate omnibus omnia factus, plebeiis ultro permiſit, nec pannoſos abhorruit.

Salubritate Cæli inſuper, & amabilioribus otiis recreatus, ad divinæ Ideæ exemplar, à multis tentatum Principem, & pluribus magna verborum pompa promiſſum, ab omnibus expectatum, à nullo hac tempeſtate præſtitum, inter Machiavelis calliditatem, & Anarchicorum popularem confuſionem medio euntem, & omnibus Politicæ Chriſtianæ numeris abſolutum in ſuis *de Regno Dei* diſſertationibus delineat, & format.

Inde ſupra humum & hominem aſſurgens, quaſi explorator è terra in Cælum, *Domum Dei* miſſus, illius naturam, quod nec Philoſophis: ordinem quod nec Jobo: Quid non valeant in libertatem humanam, quod nec Genethliacis conceſſum: mente concepit, calamo dimenſus eſt, fide definivit, exquiſitis tandem verbis eorum Arcana, quod in Paulo deſideratur, loquutus eſt; Atque Fabulis Aſtrologiæ ſuperſtitioſæ profligatis, Ephemerides Hiſtoricas ad cujuſlibet anni diem digeſſit.

Tandem quaſi Cælo demiſſus, Aſtrææ Pacis adeò deſideratæ apud Principes Chriſtianos Caduceatorem agit: Hujus defæcati viri pretioſis fruere otiorum pignoribus, lector Catholice, eo Duce cura Dei aſcribi Regno, & ponens cor in virtute ejus, deſigna tibi manſionem in Domo illa, in qua Angeli & filii Pacis Ephemeri defruuntur æterna. Hæc pauca è pluribus quæ ſenſit, dixi ſacræ Theologiæ Pariſienſis Doctor, & magni Conventus ſancti Iacobi Ordinis Fratrum Prædicatorum humilis Prior, die 10. Auguſti anno reſtauratæ ſalutis 1650.

F. YVO PINSART.

APPROBATIO DOCTORVM.

NOs Academiæ ſacræ Facultatis Pariſienſis infra ſcripti Doctores Theologi, Teſtamur hos *de Regno Dei & Domo ejus diverſos libros*, Ephemerides *inſuper* Hiſtoricas, & in fine eum qui *Angelus Pacis*, inſcribitur à R. P. NICOLAO CAUSSINO Societatis IESU, concionatore Presbytero compoſitos perlegiſſe: in quibus nihil alienum à fide, nihil diſſonum ab Eccleſia, nihil contra dignitates ei ſubjectas, aut contra bonos mores, ſed omnia juxtà ſpiritum Dei, vota ſanctorum, & doctorum hominum, & quod mirum eſt in rebus tam remotis, vanis, incertis, & periculoſis, proximã & certam pietatis, & doctrinæ ſacræ inveniſſe rationem, ita ut quod diu deſideratum eſt, jam habeamus in iſtis R. P. CAUSSINI libris Aſtrologum Religioſum & Coſmopolitam ſolitarium, endocelo brevi donandum ingenium authoris eſt cui multum debet Reſpublica litteraria, in cujus rei fidem hoc teſtimonium Syngraphis propriis & amanuenſibus hac decima menſis Auguſti die anni ſupra milleſimum ſexcenteſimi quinquageſimi Pariſiis munivimus.

T. C. DE LA HAYE Benedictinus.
F. OLIVARIUS RICHEOEUR Regens apud Prædicatores.

Digitized by Google